Digitized by Google

14
10 G
5

7
4 K
56

MAG 3027

14-10 ...

Digitized by Google

Digitized by Google

ETHICORUM
LIBRI QUINQUE
IN TRES TOMOS DISTRIBUTI

AUCTORE

JACOBO ANTONIO BACCI

SEMINARII LUCENSIS RECTORE

TOMUS III.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LUCÆ MDCCLX.

Ex Typographia Jacobi Juſti

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

ETHICORUM

LIBER IV.

:(o):(o):(o):(•):

BIBLIOTECA NAZ. ROMANA VITTORIO EMANUELE

De Affectionibus Animorum.

SUperiores tres libros, in quibus de felicitate, de humanis actionibus, earumque regula & norma, de vitiis, ac virtutibus diſputavi, conſequitur quartus de affectionibus animorum: nullus enim poteſt eſſe felicitati locus, nullus actionum honeſtati ac virtuti, niſi motus illi contineantur, quos excitari in nobis ipſi ſentimus, & poſſumus latine affectiones dicere. Hæ quidem ut virtutum materia ſunt, ita vitiorum. Quocirca philoſophi eſt, qui verſatur in moribus, id efficere præceptis ſuis, ut permotiones, de quibus hoc loco dicturi ſumus, famulentur,

Digitized by Google

obediantque rationi, iccircoque ad virtutem, ipſamque felicitatem conferant. Duplex autem erit hujus libri partitio: dicam enim primum de affectionibus generatim, tum de ſingulis.

PARS

Digitized by Google

PARS I.

De animi Affectionibus generatim.

CAPUT I.

Quid ſit animi Affectio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

I. AFfectio, de qua quærimus, deſcribi poteſt hoc modo: animi vis & impetus, quo ex opinione boni, vel mali vehementius impellimur ad fugiendum aliquid, vel appetendum cum inſolita quadam mutatione corporis. Cum affectio ſit vis & impetus, idcirco differt ab actione voluntatis, qua placide quidpiam, pacateque volumus: animus enim affectione concitatus in id, quod bonum eſt, aut videtur eſſe, impellitur multo vehementius, declinatque eodem modo ab iis, quæ mala ſint, aut eſſe videantur: quamobrem naſci dicitur affectio ex opinione boni, vel mali. Qui ſtudio tenetur V. C. ambitionis & gloriæ, ſi evehatur ad dignitatem, afficitur ſingulari lætitia; triſtitia vero, ſi dejiciatur e gradu: nam bonum putat conſequi dignitatem, atque ea privari, malum; quamquam fortaſſe non ita ſit, at ſecus.

Digitized by Google

II. Inhæret autem affectioni inſueta quædam corporis commutatio, quam humores efficiunt tenues in primis in venis, arteriis, nerviſque fluitantes, agitatique vehementius, qui vel ad cor, vel ad vultum confluunt, pro affectionum varietate, aliaſve partes, & eas præſertim, quæ vel ad aſſequendum bonum, ad quod impellit affectio, vel ad declinandum & amovendum malum, a quo abducit, aptiſſimæ ſint ex præſcriptione naturæ: ita enim natura comparatum eſt, ut certas animi cogitationes certi ac definiti motus conſequantur in corpore, & ſpiritus (ſic enim vocant) quaſi adminiſtri e cerebro illuc illabantur, ubi commovenda ſunt inſtrumenta, quibus uti animus ſolet, cum aut bonum ſequi aliquod, aut malum velit fugere; V. C. in ira fit magnus earum tenuiſſimarum partium concurſus ad vultum, ad linguam, ad oculos, ad manus: his enim eget animus ad propulſandam injuriam; cum ira ſit libido puniendi ejus, qui injuria læſiſſe videatur. Contra in metu concurſio fit ad cor, quippequod confirmandum, roborandumque eſt contra impetum impendentis mali. Ex quo poteſt intelligi, quomodo concitetur affectio, quæve ejus ſit cauſa: nam ſpecies boni, quod placet, aut mali, quod ingratum eſt, oblata animo, ipſum excitat ad cogitandum; cogitationem ſequitur motus earum partium, de quibus dixi; hic autem motus affectionem procreat, conſervat ac roborat, ut ſentit Carteſius (*de Paſſion. part. I. art.* 27. & 28.) Itaque eo magis fervet, atque exardeſcit affectio, quo eſt motus ille vehementior, & quo diutius durat, eo eſt affectio diuturnior.

III. Quo efficitur, a corporis conſtitutione pendere plurimum affectiones animorum; quipppequæ cum efficiantur a motu ſanguinis, humorumque tenuiſſimorum in nervis fluitantium, pro horum varietate variantur. Eſſe autem multiformem ac diſcrepantem humorum temperationem in corporibus, compertum eſt; qua in re non parum valent aer aut craſſus, aut tenuis, viciſſitudo caloris & frigoris, vitæ genus, ætas, alimentum, aliaque generis ejuſdem: iccirco videmus non modo hominum quoſdam certis affectionibus ſummopere perturbari, ut odio, ut iracundia, ut metu, quibus alii parum ac leviter commoventur; ſed etiam unam gentem ab alia ſæpe in his motibus diſcrepare: im-

mo

Digitized by Google

mo nec idem homo ſemper eſt ſui ſimilis: contingit enim; ut affectiones una cum ætate mutentur non modo propter mutationem judicii de rebus, ſed etiam propter humorum temperationem, cujus mutatio quædam ſolet eſſe progredientibus ætatibus. Eam ob cauſam in perturbationibus valet aliquando medicina, qua humorum acrimonia vario mitigationis genere lenitur, aut tarditas, & lentitudo promovetur quodammodo. Quamquam vero in affectiones influat corporis conſtitutio; vitium tamen, ſi quod in illis eſt, emendare ratio & poteſt, & debet, ut dicam.

CAPUT II.

Quot ſint animi Affectiones.

I. DE affectionum numero eſt quædam magna diſſenſio. Earum, ut Stoicis placet, ſunt genera quatuor, voluptas geſtiens, libido, metus, & ægritudo; quarum primæ ſunt ex opinione boni, hoc eſt, voluptas ex opinione præſentis magni alicujus boni, libido ex opinione futuri; reliquæ duæ cientur ab opinione mali, metus quidem impendentis, ægritudo præſentis; ſentiunt tamen Stoici plures partes h s quaſi generibus contineri (*Tullius Tuſc. qq. lib.*3.) ægritudini enim ſubjiciuntur invidentia, æmulatio, obtrectatio, miſericordia, angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamentatio, ſolicitudo, moleſtia, afflictatio, deſperatio, & ſi quæ ſunt de genere eodem. Sub metum autem ſubiecta ſunt pigritia, pudor, terror, timor, pavor, exanimatio, conturbatio, formido. Voluptati ſubjicitur malevoentia lætans malo alieno, delectatio, jactatio, & ſimilia; ibidini ira, excandeſcentia, odium, inimicitia, diſcordia, ndigentia, deſiderium, & cætera ejuſmodi (*Tullius Tuſc. qq. ib.*4.) Hæc autem definiunt hoc modo: invidentia eſt ægrituło ſuſcepta propter alterius res ſecundas, quæ nihil noceant nvidenti: æmulatio eſt ægritudo ex hoc orta, quod careas o, quo alter potiatur: obtrectatio, ſeu zelotypia ægritudo x eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipſe concupie-

pieris: miſericordia eſt ægritudo ex miſeria alterius injuria laborantis: angor eſt ægritudo premens: luctus ægritudo ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo: mœror ægritudo flebilis: ærumna ægritudo laborioſa: dolor ægritudo crucians: lamentatio ægritudo cum ejulatu: ſolicitudo ægritudo cum cogitatione: moleſtia ægritudo permanens: afflictatio ægritudo cum vexatione corporis: deſperatio ægritudo ſine ulla rerum expectatione meliorum. Quæ autem ſubiecta ſunt ſub metu, ea ſic definiunt: pigritiam metum consequentis laboris: terrorem metum concutientem: timorem metum mali appropinquantis: pavorem metum mentem loco moventem: exanimationem metum ſubſequentem, & quaſi comitem pavoris: conturbationem metum excutientem cogitata: formidinem metum permanentem. Voluptatis autem partes hoc modo deſcribunt, ut malevolentia ſit voluptas ex malo alterius ſine emolumento ſuo: delectatio voluptas ſuavitate auditus, aut aliorum ſenſuum animum deliniens: jactatio eſt voluptas geſtiens, & ſe efferens inſolentius. Quæ autem libidini ſubjecta ſunt, ea ſic definiunt, ut ira ſit libido puniendi ejus, qui videatur læſiſſe injuria: excandeſcentia autem ſit ira naſcens, & modo exiſtens: odium ira inveterata: inimicitia ira ulciſcendi tempus obſervans: diſcordia ira acerbior, intimo odio, & corde concepta: indigentia libido inexplebilis: deſiderium libido ejus, qui nondum adſit, videndi. Hæc ex Tullio fere tranſcripſi [*Tuſc. qq. lib.* 4.] ut comperta ſit de perturbationibus ſententia Stoicorum, quam in eo, quod ſpectat ad quatuor ſumma genera ſequi videtur Horatius, qui ait [*Epiſt. lib.* 1. *Epiſt.* 6.)

Gaudeat, an doleat, cupiat, metuatve, quid ad rem?

& Virgilio (*Æneid.* 6. *v.* 733.) his iiſdem affectionibus ait animas permoveri, quæ ſunt apud inferos: ſcribit enim:

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque; nec auras
Reſpiciunt clauſæ tenebris, & carcere cæco.

II.

II. Ariſtoteles nullum certum definit uſquam numerum affectionum, ſed varias nominat, ut fert occaſio. *Perturbationes autem appello*, inquit, (*lib. 2. Ethic. cap. 5.*) *ut cupiditatem, ut iram, ut excandeſcentiam, timorem, audaciam, ut invidiam, gaudium, amicitiam, ut odium, deſiderium, æmulationem, miſericordiam, & omnino ea omnia, quæ aut voluptas conſequitur, aut dolor.* Quo videtur effici, ex ſententia Ariſtotelis dolorem & voluptatem non eſſe affectiones, ſed ex his conſequi; cum affectio quælibet vel jucunda ſit, vel moleſta. Similiter in libris rhetoricorum (*lib. 2. cap. 2. & conſeqq. tom. 6.*) cum rationem tradit movendarum affectionum, ſcribit ordinatim de ira, de manſuetudine, de amicitia, inimicitia, amore, odio, timore, confidentia, verecundia, inverecundia, gratia, commiſeratione, indignatione, invidia, æmulatione.

III. A Thoma vero Aquinate, (1. 2. *q.* 23. *art.* 4.) aliiſque vulgo Peripateticis affectiones undecim numerantur, quarum ſex volunt eſſe in appetitu concupiſcente (ſic enim vocant) hoc eſt, amorem & odium, deſiderium & fugam, gaudium & triſtitiam; quinque in iraſcente ſpem & deſperationem, audaciam & timorem & iram: ſtatuunt enim appetitum in bonum tendere ſubjectum ſenſibus, concupiſcentem quidem in bonum, quod facile ſit ad aſſequendum, iraſcentem vero in arduum, & appetitum utrumque declinare a malo contrario; iccircoque affectionibus, quæ ad primum & ſecundum pertinent, bonum eſſe propoſitum, aut malum eodem modo: amori quidem bonum, quod vel præſens ſit, vel abſit; odio malum ſimiliter nulla habita vel abſentiæ, vel præſentiæ ratione; deſiderio bonum futurum, & fugæ futurum impendens malum; gaudio præſens bonum; præſens autem malum triſtitiæ; ſpei bonum arduum, quod licet aſſequi; ſecus naſcitur deſperatio; audaciæ malum arduum, quod declinari facile, ac vinci poſſit; timori, quod difficile ſit vitare; iræ tandem malum, ut ulciſcendum. Hæc quidem Peripatetici; ſed errare videntur primum in eo, quod appetitum putent a voluntate diſcrepare re ipſa, non tantum nomine; cum facultas, quæ bonum appetit, ſit voluntas, quæ particeps eſt rationis & ſcientiæ, eademque bonum velit, quod ſub ſenſus non cadit, & quod

ſub-

Digitized by Google

ſubeſt ſenſibus, & quod facile eſt, & quod arduum; deinde in eo, quod cum iraſcendi, cupiendique appetitu non aliud quicquam poſſit intelligi niſi vis, qua poteſt animus iraſci, & cupere, cur ad eam vim affectiones omnes ſint referendæ, nihil eſt cauſæ: quî enim cum ira convenit V. C. timor, ſpes, deſperatio? ſed de his videant Phyſici (*vid. Piccolom. in Philoſophia de Moribus gradu* 1. *cap.* 11. 12. 13. 14., *&* *Gaſſendum tom.* 2. *lib.* 10. *cap.* 1. *&* 2.)

IV. Gaſſendus in affectionum numero non longe abeſt a Peripateticis: earum enim recenſet duodecim quaſi capita, voluptatem & moleſtiam, amorem & odium, cupiditatem & fugam, ſpem ac metum, audaciam & puſillanimitatem, iram & lenitatem.

V. Carteſius autem ſex affectiones decernit eſſe principes [*de Paſſion. part.* 2. *art.* 69.] admirationem, amorem, odium, cupiditatem, lætitiam & mœrorem, ex quibus proficiſcantur, & conſtent aliæ permultæ. Eum plures ſequuntur, ut Purchotius [*tom.* 3. *part.* 3. *Phyſ. ſect.* 3. *cap.* 4. *prop.* 2.] Le Grand. (*tom.* 2. *parte* 9. *cap.* 8. *num.* 8.)

VI. Sunt, quibus videtur, affectionem unam eſſe fontem, & caput reliquarum, hoc eſt, amorem, cujus variæ ſint formæ, & nomen multiplex: amor enim cum inhiat bono, quo caret, cupiditas eſt, aut deſiderium, ſpes item, & audacia, cum incenditur ad potiundum, gaudium cum poſſidet; odium, & fuga, cum id averſatur, quod eſt bono contrarium; cum ſublata ſpes eſt conſequendi boni, deſperatio; ira cum permovetur ad ulciſcendam injuriam, repellendumque contemptum; cum acciderit malum, triſtitia; quod poſitum in his, valet in reliqua (*vid. S. Auguſt. de Civit. Dei lib.* 14. *cap.* 7. *num.* 2. *tom.* 7., *& de Subſtant. dilectionis in Append. ejuſdem tomi*, *vid. & Franciſcum Seno de uſu Paſſionum part.* 1. *Diſſ.* 3.) Et revera amor is eſt, qui non modo inter affectiones obtinere principatum, ſed etiam earum fons & origo eſſe videatur: nam propterea odio habemus aliquid, cupimus, gaudemus, triſtamur, ſperamus, deſperamus, audemus, metuimus, quia amamus; & contra, affectiones fere aut nullæ ſunt, aut remiſſæ, amore ſublato.

VII. Verum ut ut eſt, oportet de multis affectionibus diſputare morum inſtituendorum, & regendæ vitæ gratia. No-

Digitized by Google

Nobis viſum eſt explicare atque expendere conſequentes, hoc eſt, amorem, odium, deſiderium, fugam, ſpem, deſperationem, timorem, zelotypiam, iram, voluptatem, moleſtiam, æmulationem, invidiam, pudorem, admirationem, gaudium, triſtitiam.

VIII. Conſtat autem affectiones alias eſſe plurimas: tot enim ſunt, quot motus animorum varii atque multiplices, maximeque inter ſe diſcrepantes; quos licet ipſi ſentimus, tamen habere perſpectos omnino, & enumerare nullo modo poſſumus: ex quo magna exiſtit de affectionum numero diſſenſio philoſophorum. Equidem quaſdam conſulto prætereo hoc loco; propterea quod eas inter virtutes, aut vitia recenſui libro ſuperiore: quales ſunt audacia, miſericordia, aliæque generis ejuſdem. Accedit, quod vix erit ulla, quæ ad enumeratas paullo ante referri non poſſe videntur.

CAPUT III.

Sint ne bonæ Affectiones, an malæ.

I. Celebris eſt ſententia Stoicorum, quibus omnis animi commotio videtur mala, quam & perturbationem vocant, mentis ægrotationem, morbum, inſaniam, hoc eſt, inſanitatem, ut Tullius explicat (*Tuſc. qq. lib.*3.) propterea quod in perturbato animo, ſicut in corpore ſanitas eſſe non poſſit; cum ſanitas animorum poſita ſit in tranquillitate quadam, atque conſtantia; quo efficiunt, eum, qui perturbatis his motibus cietur, in morbo eſſe & inſanire, & cum ſapientia ſanitas ſit animi, iiſdem vacare ſapientem. Quod declarant luculentius; quia qui ſapiens eſt, idem fortis; at in fortem virum non cadit timor, infractio animi ac demiſſio, immo nec perturbatio plane ulla propter humanas res, quas, qui forti animo eſt, iccircoque magno & excelſo, deſpicit, & infra ſe poſitas arbitratur. Rurſus qui ſapiens eſt, eumdem convenit eſſe temperantem; qui autem temperans & moderatus eſt, idem conſtans; qui autem conſtans, quietus; qui quietus, perturbatione omni vacuus. Cum vero virtutes

Digitized by Google

inter ſe nexæ ſint & conjugatæ, ut diximus (*lib.3. part.1. cap 9.*) & qui fortis eſt & temperans, idem ſit juſtus ac prudens, & in fortem ac temperantem non cadat perturbatio; igitur nec in prudentem & juſtum. Deinde ſapiens optime exequitur munus ſuum, quod eſt ratione bene uti; at conturbatus animus non eſt aptus ad obeundum munus ſuum, ut conturbatus oculus non eſt probe affectus ad videndum, totumve corpus a ſtatu cum eſt motum, deeſt officio ſuo & muneri; igitur non cadit in ſapientem ægritudo & perturbatio. Tum veniunt ad alias perturbationes, quibus neceſſe ſit vacare ſapientem: quoniam qui ſapiens eſt, non iraſcitur: ſi enim iraſcitur, etiam tumet: quod autem in tumore eſt, male affectum eſt, ut membrum turgidum. Rurſus qui iraſcitur, is etiam concupiſcit ultionem, quam cum conſecutus eſt, lætatur: ex quo fit, ut alieno malo gaudeat; quod quoniam non cadit in ſapientem, ne ut iraſcatur quidem, cadit. Similiter miſericordia, & invidentia abeſſe debent a ſapiente: nam illa eſt ægritudo ex alterius rebus adverſis; hæc autem ægritudo ex alterius rebus ſecundis; at ſapiens debet vacuus eſſe ægritudine, quæ habet tabem, cruciatum, afflictionem, fœditatem, lacerat, exeſt animum, planeque conficit. Eodem modo cum lætitia geſtiens habeat levitatem, ardorem, libido, hæc etiam aliena a ſapiente oportet eſſe, ut & deſiderium & ſpes & deſperatio: nam ſapienti nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis lætabile ad efferendum videri poteſt. Eademque eſt ratio reliquarum perturbationum; quippequæ ſunt contrariæ conſtantiæ, & ſapientis hominis gravitati, iccircoque rationi: quamobrem perturbatio definita eſt a Zenone adverſa ratione contra naturam animi commotio, aut brevius appetitus vehementior: vehementior autem intelligitur is, qui procul abſit a naturæ conſtantia. Reprehendunt vero Peripateticos, qui admittant perturbationum mediocritatem: *Mediocritates autem malorum*, eſt apud Tullium (*Tuſc. qq. lib.4*) *quis laudare recte poſſit? quis enim poteſt, in quo libido, cupiditaſve ſit, non libidinoſus & cupidus eſſe? in quo ira, non iracundus? in quo angor, non anxius? in quo timor, non timidus? libidinoſum igitur & cupidum & iracundum & anxium & timidum cenſemus eſſe ſapientem?* Quocirca ſtultum putant,

in

in vitio modum quærere; præſertim cum perturbatus & incitatus animus non facile cohibere ſe poſſit, nec, quo loco vult, inſiſtere omnino, quæque creſcentia pernicioſa ſunt, eadem ſint vitioſa naſcentia: etenim perturbationes ipſæ ſe impellunt, ubi ſemel a ratione diſceſſum eſt; ipſaque ſibi imbecillitas indulget, in altumque provehitur imprudens, nec reperit locum conſiſtendi. Igitur nihil intereſt, utrum moderatas perturbationes approbent, an moderatam injuſtitiam, moderatam ignaviam, moderatam intemperantiam: qui enim vitiis modum apponit, is partem ſuſcipit vitiorum; quod cum ipſum per ſe odioſum eſt; tum eo moleſtius, quia ſunt in lubrico, incitataque ſemel in proclive labuntur, ſuſtinerique nullo modo poſſunt. Hæc fere eſt Stoicorum ſententia ex Tullii verbis atque ore deſcripta.

II. Contra Peripatetici affectiones non modo naturales eſſe dicunt, ſed etiam utiliter a natura datas. Iracundiam cotem fortitudinis vocant: vix enim fieri poteſt, ut quis dimicet pro legibus, pro libertate, pro patria, niſi ira excanduit fortitudo: imperia ſeveriora nulla ſunt ſine aliqua acerbitate iracundiæ: oratoris aut accuſantis, aut defendentis, ſine aculeis iracundiæ remiſſior eſt actio, & parum apta ad perſuadendum, & animos concitandos. Cupiditas plurimos impulit ad præclara, ut ad literarum ſtudia Demoſthenem: diſcendi cauſa ultimas terras luſtrarunt Pythagoras, Democritus, Plato: num putamus hæc fieri ſine ſummo cupiditatis ardore potuiſſe? Ægritudo ipſa valet ad ignominiam infamiamque ſentiendam, ne impunitas peccanti data videatur. Miſericordia utilis eſt ad opem ferendam, æmulatio ad aſſequendum bonum, quo careas, metus ad diligentiam. Hæc & alia hujus generis Peripatetici diſputant apud Tullium (*lib.4. Tuſc. qq.*) fatentur tamen, ea reſecanda eſſe, evelli penitus dicunt nec poſſe, nec oportere.

III. Quamquam vero Stoici a Peripateticis maxime diſſentire videantur; tamen putarunt multi ſapientes (*Franciſcus Seno parte 1. de Uſu Paſſionum ſerm.1. Purchot. parte 2. Ethic. cap.12. Piccolom. in Phil. de Mor. grad.1. cap.25. Duhamel in Reg. Burg. Phil Mor. q.ult. Lactant. lib.6. Divin. Inſt. cap.15. S. Auguſtinus de Civit. Dei lib.9 cap.4.*) eos verbis tantum, & oratione ab aliis diſcrepare, ſententia & re

re convenire, ut in multis ſolent: neque enim affectiones funditus tollunt a ſapiente, ſed damnant exuperantiam, quam indicant etiam nomina, quibus utuntur, ægrotationis, morbi, perturbationis, inſaniæ, ægritudinis, geſtientis lætitiæ, libidinis: quæ quidem eſſe vitioſa compertum eſt. Idcirco loco libidinis ponunt voluptatem, gaudium loco geſtientis ac nimiæ lætitiæ, pro metu cautionem, quæ ſic definiunt, ut auctor eſt Tullius (*lib.4. Tuſc. qq.*) *voluntas eſt, quæ quid cum ratione deſiderat: quæ autem adverſa ratione incitata eſt vehementius, ea libido eſt, vel cupiditas effrenata, quæ in omnibus ſtultis invenitur. Itemque, cum ita movemur, ut in bono ſimus aliquo, dupliciter id contingit: nam cum ratione animus movetur placide atque conſtanter, tum illud gaudium dicitur: cum autem & inaniter & effuſe animus exultat, tum illa lætitia geſtiens, vel nimia dici poteſt, quam ita definiunt ſine ratione animi elationem: quomodoque bona natura appetimus, ſic a malis natura declinamus; quæ declinatio ſi cum ratione fiet, cautio appelletur, eaque intelligatur in ſolo eſſe ſapiente: quæ autem ſine ratione, & cum exanimatione humili atque fracta, nominetur metus. Eſt igitur metus rationi adverſa cautio.* Nihil vero ægritudinis loco ſubſtituunt; quod tamen, ſuperioribus ita conſtitutis, non omittendum videbatur. *Unde apparet*, ait Lactantius [*lib.6. Div. Inſt. cap.15.*] *non illis rem defuiſſe, ſed verbum, cujus indigentia eum totam affectum, qui eſt vel maximus, contra quam natura pateretur, auferre voluerunt.* Quocirca Stoici non eodem modo loquuntur, ac alii; ſed idem ſentiunt: nam voluntas, ſeu deſiderium, ſi modum tranſit, libido eſt; gaudium, ſi inſolenter ſe efferat, geſtiens ac nimia lætitia nominatur; cautio immoderata, humilior & fractior, quam oporteat, evadit metus. Non tollunt igitur affectiones, ſed moderantur & regunt.

IV. Hoc autem ita eſſe, intelligi etiam poteſt ex eo, quod ipſi ſibi contigiſſe ſcribit A. Gellius (*Noct. Attic. lib.19. cap.1.*) cum enim navigaret Calliopeja Brunduſium, magna quadam coorta tempeſtate, philoſophus in Stoica diſciplina celebris, quamquam nec lamentaretur, nec fleret, ſicut cæteri omnes, nec vociferaretur; tamen perturbationem ac metum vultu præſeferebat non multum ab reliquis diſcrepan-

Digitized by Google

pantem. Sedatis deinde fluctibus, & mari pacato, ipſe Gellius cum ex eo quæſiviſſet, quæ nam eſſet timendi cauſa, philoſophus librum protulit Epicteti διαλέξεων quintum, in quo ſcriptum erat, in repentinis caſibus ſapientem quoque paullum moveri, contrahi, expalleſcere; & hoc inter ſapientem, & ſtultum hominem diſcrepare, quod ille etſi permovetur; nihilominus ſtatum ſuum, & ſententiam retinet; hic vero dejicit ſe, & qualia ſibi primum viſa ſunt, ſæva & aſpera & metuenda, talia reipſa cenſet eſſe. Hæc eleganter, & fuſius ex A. Gellio deſcribit etiam Auguſtinus (*de Civit. Dei. lib.9. cap.4. num.2.*)

V. Quæ cum ita ſint, Stoici affectionibus modum ponunt, non eas tollunt omnino: nam affectio adverſa rationi non cadit in ſapientem; at, cum ſecundum rationem eſt, cadit; atque hæc eadem eſt ſententia Peripateticorum. Quæ autem ſecundum rationem eſt, ἐυπαθέια nominatur a Stoicis, hoc eſt, bona affectio; quam tamen non affectionem vocant, ſed conſtantiam; quod quidem eſt mutare nomen, non rem (*vid. Piccolom. in Phil. de Mor. grad.1. cap.25. & 26.*) Idem, quod dixi, videtur ſignificare etiam Seneca homo Stoicus: ait enim (*lib.1. de Ira cap.16.*) *ſentiet* (ſapiens) *levem quemdam, tenuemque motum: nam, ut dixit Zeno, in ſapientis quoque animo, etiam cum vulnus ſanatum eſt, cicatrix manet. Sentiet itaque ſuſpiciones quaſdam & umbras affectuum: ipſis quidem carebit.* Quid eſt levis ac tenuis motus? Quid ſunt umbræ affectuum, niſi affectiones ratione temperatæ? ac ſi cicatrix manet in ſapiente, ſanato vulnere; igitur vulnus fuit.

VI. Verum Stoici, gens elata & ſuperba & nimium ſibi confidens, videri volunt ab reliquis diſtare, & quamdam ſe aſſecutos eſſe divinitatem: & quamquam ſenſerint, ſe affectionibus ac perturbationibus obnoxios, ut alii; tamen eo loquendi genere uſi ſunt, quo eas a ſapiente amputare plane viderentur; non intelligentes, ſe ejuſmodi facere ſapientem, qui nuſquam ſit, nec eſſe poſſit in terris, & idcirco fateri, ſe non eſſe ſapientes. De Peripateticorum pugna cum Stoicis ſatis dixi.

VII. Illud autem compertum eſt, nihil affici omnino, non gaudio, non triſtitia, non amore, non odio, non deſi-

de-

Digitized by Google

derio eſſe immanitatis in animo, ſtuporis in corpore, ac ſublatis affectionibus, omnem etiam everti funditus humanitatem: vix enim iis evulſis poteſt homo quicquam facere: quamobrem datæ ſunt utiliter a natura tamquam ſtimuli ad officia vitæ, ad ſtrenue id ſequendum, quod honeſtum eſt, fugiendumque, quod turpe, ideoque ad virtutem plurimum valent; metus ad cautionem & diligentiam, ira ad juſtam imperii ſeveritatem, ſpes ad magna quædam ſuſcipienda, & ſuperanda, quæ obſtant, triſtitia ad corrigenda malefacta, odium ad declinanda ea, quæ nocere poſſint, cupiditas rerum optimarum inflammat animum ad potiundum, ac generarim hanc omnes magnam habent opportunitatem, quod non ſinant, eas cogitationes elabi ex animo, & evaneſcere, quas bonum ſit, & utile conſervare.

VIII. Quocirca videmus, eos, qui remiſſius affectionibus permoventur, parum idoneos eſſe præclaris rebus gerendis, torpere, hebeſcere ac languere in ocio, & ſomno quodam quaſi conſopiri, a quo iners atque ignava natura ægre excitari poteſt. Contra qui affectiones habent ratione moderatas, iidem erecti ſunt, prompti, alacres, expediti ad adminiſtrationes & munera, nec difficultatibus, aut incommodis ab honeſto opere deterrentur: quoniam his permotionibus utuntur tamquam adminiſtris ad officia virtutum, atque ut ſecundis ventis ad navigandum, aut equis in trahendo curru, quibus corporis animique corrigant tarditatem. Virtus itaque non abjicit, evellitque funditus affectiones, ſed in iis moderandis, continendiſque verſatur; atque eodem modo ethica diſciplina, a qua tam multa præcepta traduntur de regendis affectionibus animorum; quod argumento eſt, eas regi poſſe, extirpari autem & tolli omnino nec poſſe, nec oportere.

IX. Hæc cum ita ſint, efficitur, perturbationes, de quibus quæritur, naturales eſſe ex ſeſe, iccircoque non malas, ſi obediant rationi, nec prava opinione ſuſceptas: ſunt enim quædam aut bona, aut mala non fucata, ſed vera. Licet autem hæc bona appetere, ſperare, amare, iiſdemque gaudere & lætari; mala autem fugere, declinare, odiſſe, eorumque aſpectu ac præſentia triſtari, ut ratio præſcripſerit, atque id non opinionis eſt, ſed naturæ. Certe quis eum

non

on laudet, qui ſummo virtutum, parentum, patriæ, ami-
orum ſtudio & amore teneatur, atque vehementi odio
itiorum? qui magna afficiatur cupiditate opem ferendi pe-
iclitanti aut homini, aut civitati? qui conſcius imbecillita-
s ſuæ in metu ſit, nequid faciat, quod minus honeſtum ſit,
c deceat? Hæc, & alia hujus generis etiam in ſapientem
adunt: quare ſcribit Horatius [*lib.2. Od.7.*]

Sperat infeſtis, metuit ſecundis
Alteram ſortem bene præparatum
Pectus. . . . .

liena quidem eſt a ſapiente vitioſa & immoderata per-
irbatio, ægritudo, inſania, libido, nimia lætitia, ſed non
ffectio, moderata modo ſit, ut res, ut tempus, ac tandem
t ratio poſtulat.

X. Quæ vero afferuntur a Stoicis, valent tantum con-
a affectiones adverſas, repugnanteſque rationi, quas mor-
os eſſe, & inſanitatem, inter omnes convenit. Quamobrem
ſi in fortem virum humilis quædam animi demiſſio infractio-
ue non cadit; at metus cadere poteſt ad vitanda pericula,
dhibendamque curam & diligentiam, quam ſæpe etiam
es humanæ flagitant: quippequæ negligendæ omnino non
int a ſapiente, licet nunquam anteferendæ virtuti. Item
ui temperans eſt, idem conſtans, & quietus; non tamen
uælibet affectio conſtantiæ, & tranquillitati contraria eſt,
d tantum ea, quæ modum non tenet; cum civilis tranquil-
tas, non ocio, ſed actuoſa vita, rectaque actione conti-
eatur. Nolo hominem perturbationum æſtu concitatum, ſed
e ſtupidum quidem, ac ſtipiti ſaxoque ſimillimum: quem-
dmodum enim ille ineptus eſt fungendo munere ſuo; quia
on ratione ducitur, ſed cupiditate; ita hic, proptereaquod
ſtrumentis caret ad res præclare gerendas. Iraſcitur ergo
nterdum ſapiens; verum non tumet, non concupiſcit inju-
am ultionem, non lætatur alieno malo, non invidet: nam
nvidentia vitium eſt, non affectio: miſeretur alienam cala-
iitatem; non tamen iccirco tabeſcit, & ægritudine lacera-
ır ac plane conficitur. Quo fit, ut miſericordia male de-
nita ſit ægritudo, & generatim perperam velit Zeno, af-
fe-

Digitized by Google

fectionem omnem, quam perturbationem vocat, eſſe adverſa ratione contra naturam animi commotionem. Nec quicquam eſt cauſæ, cur reprehendantur Peripatetici, quaſi cum moderatas affectiones probant, iidem approbent malorum mediocritatem; quod idem eſt ac laudare moderatam aut injuſtitiam, aut ignaviam, aut intemperantiam: nam diſcrepat inter affectiones & vitia; in his enim modum quærere ſtultum eſt; cum quælibet vitiorum pars vitium ſit: at affectio non eſt mala ex ſeſe, ſed cum modum excedit a natura conſtitutum. Neque illud univerſe verum eſt, quod ſumunt Stoici, quæ creſcentia pernicioſa ſunt, eadem eſſe vitioſa naſcentia: quoniam ſæpe contingit, ut quorum initium bonum eſt, eorum ſit mala progreſſio; cum non res ipſa vitioſa eſt, ſed exuperantia; ut qui cibum ſumit, qui dormit, qui ambulat, aut ludit cum modo, recte facit; at ſi nimium, in vitio eſt: immo fere quicquid honeſtum eſt, ſi modum exceſſerit, de virtute declinat, ac deflectit ad vitium.

XI. Conſtat igitur levia eſſe Stoicorum argumenta, immo plena fallaciis, quibus videri volunt affectiones tollere ex animo ſapientis: potius in eo laborandum eſt, ut vehementior earum, concitatiorque impetus comprimatur, quod etſi eſt arduum quodammodo, id tamen ratione duce conſequi licet. Nec quæ a natura ſunt data utiliter, propterea eorum conſentaneum eſt fibras extrahere, quod latius fundi poſſint, quam oporteat; ſed reſecanda ſunt, quæ redundant, ac retinenda, quæ bene utenti prodeſſe videantur: qua de re paullo poſt dicam: in uſu enim affectionum poteſt eſſe honeſtas, aut turpitudo.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

[library stamp]

De recto Affectionum uſu.

QUoniam capite ſuperiore affectiones non modo naturales eſſe diximus, ſed etiam utiliter a natura datas, & regi oportere, non extirpari radicitus, videndum eſt, quomodo iis recte uti, honeſteque poſſimus. In eo autem omnis eſt affectionum uſus, qui in laude ac virtute ponitur, ut illæ quidem quaſi ſtimuli & inſtrumenta ad id ſequendum quod honeſtum, fugiendumque quod turpe ſit, adhibeantur, pareantque rationi; iccirco enim ſunt datæ a natura. Quamobrem cum eas moderatas eſſe præſcribit philoſophia, non remiſſas vult eſſe, ſed ita & temporibus, & locis, & rebus accommodatas, ut tueantur modum, & rationem ſequantur ducem: poſſunt enim vehementes eſſe, incenſæ, inflammatæ; nec tamen e circumſcriptis cancellis egredi; V. C. maxima lætitia in rebus proſperis, quibus utatur religio, patria, reſpublica; acerbiſſimum odium malefactorum, ardens amor, ſtudiumque virtutis non vitio datur, ſed laudi. Contra vero alieno malo gaudere, bono triſtari, quamquam remiſſe & parum, turpe eſt.

II. Hoc quidem arbitror velle Peripateticos, dum affectionum mediocritatem probant: neque enim eas vitia eſſe concedunt, quæ mediocriter temperent, ut reprehenduntur a Lactantio Firmiano (*lib. 6. Divin. Inſt. cap. 16.*) & ex eorum ſententia effici contendunt Stoici [*apud. Tull. lib. 4. Tuſc. qq.*] quis enim philoſophorum neſciat, cavendum eſſe a vitiis etiam mediocribus? at ſentiunt, ut mihi videtur, affectionibus commoveri, & quando & quomodo & quibus de rebus oporteat, non in vitio eſſe, ſed in laude ponendum.

III. Ex quo conſequens eſt, rectum affectionum uſum ex fine præſertim, cauſaque pendere, ut ſapienter ſcribit Lactantius (*cit. loc.*) ſi rectam viam tenet affectio, recta eſt, quamquam concitate moveatur; ſi obliquam, perverſa, etſi quiete, remiſſeque graditur: nam poteſt & qui graditur, errare, & qui currit, rectam viam tenere. *Omnis igitur ra-*

Digitized by Google

tio, concludit Lactantius [*Divin. Inſt. lib. 6. cap. 16.*] *in eo verſari debuit, ut quoniam earum rerum impetus inhiberi non poteſt, nec debet; quia neceſſario eſt inſitus ad tuenda officia vitæ, dirigeretur potius in viam rectam, ubi etiam curſus offenſione, & periculo careat.* Et rurſus (*cit. loc. cap. 17.*) *Illud potius efficere debemus, ut affectus, quibus prave uti vitium eſt, dirigamus in rectum: nam iſtæ concitationes animorum juncto currui ſimiles ſunt, in quo recte moderando ſummum rectoris officium eſt, ut viam noverit, quam ſi tenebit, licet quam concitate terit, non offendet; ſi autem aberraverit, licet placide ac leniter eat, aut per confragoſa vexabitur, aut per præcipitia labetur, aut certe, quo non opus eſt, deferetur. Sic curſus ille vitæ, qui affectibus velut equis perniciibus ducitur, ſi viam rectam teneat, fungetur officio. Metus igitur, & cupiditas ſi projiciantur in terram, vitia fient; virtutes autem, ſi ad divina referantur.* Et certe inflammati homines cupiditate rerum divinarum, ſtudio pietatis, & religionis, charitatem in Deum, & alios ſibi naturæ communione ſocietateque conjunctos eo uſque progreſſi ſunt, ut plura & magna & præclara geſſerint, quam vel dici, vel credi poſſe videretur; ac nullo labore, nullis periculis, difficultate plane nulla a ſuſcepto ſemel itinere revocarentur. Contra in quem calamitatum, vitiorumque gurgitem homines dejecerit inſana gloriæ & imperii libido, aut voluptatum, aut divitiarum; hiſtoriæ teſtantur, & confirmat experientia. Accepimus, fuiſſe quammultos, qui cum vitæ improbitate in omnium bonorum odium incurrerent, ac magnam labem, infamiamque ſuſciperent, mox laude floruerunt ſanctitatis & gloriæ; non quod affectiones extraxerint ex animo, ſed quod eas in rectum curſum converterint, quæ oblique raperentur: quo factum eſt, ut amor, odium, deſiderium, ſpes, metus, aliæque ejus generis affectiones, quæ antea vitioſæ eſſent, rectæ evaſerint mutatione tantum uſus, & finis, in quo conſtituendo, præfiniendoque omnis ſapientiæ ac prudentiæ ratio verſatur, ut diximus.

IV. Quamquam tamen nullum ſit vitium in fine; in modo poteſt eſſe aliquod, quod neceſſe ſit fugere: nunquam enim quicquam appetendum eſt, faciendumve, aut declinandum eo impetu, qui perturbet mentis tranquillitatem quaſi nu-

nube moleſtiæ; licet id bonum ſit, in quod fertur affectio: etenim mens, niſi quieta ſit & expers curarum, vix fungi poteſt officio ſuo utiliter ac fructuoſe, & virtutis viam tenere, atque adverſarios cognoſcere, eorumque inſidias ac vim propulſare.

V. Enimvero fieri poteſt, vehementem eſſe affectionem; cum tamen animus ſit quiete & tranquillitate pleniſſimus; ut etiamſi navis concitato feratur curſu impulſa ſecundo flatu ventorum, non tamen jactantur ii, qui in navi ſunt; immo placide ſedent, ac lætantur, ſe brevi in portum delatum iri. Eodem modo delectatur mens affectionibus, quaſi remis ac velis, quibus ad honeſtatem, tamquam ad portum, quamprimum poſſit appellere. Hæc autem delectatio cum moleſtia curiſque conſiſtere nullo modo poteſt. Quamobrem quæ animum ſollicitat & pungit affectio, etſi in re honeſta verſatur, fugienda eſt, vel certe a ſollicitudine & angore vindicanda. Quod ſiquando, quod appetitur, id non licet aſſequi; aut accidit, quod appetitioni contrarium eſt, non iccirco mœret ſapiens: ſecum enim reputat, omnia ad Dei voluntatem referenda eſſe, cum qua noſtra cohæreat, neceſſe eſt.

Digitized by Google

CAPUT V.

Quæ ſit regendarum Affectionum ratio.

I. UT affectiones rectam viam teneant, cohibendæ ſunt: iccirco quæ ſit earum regendarum ratio & diſciplina, quæritur. Verum cum regi non poſſint, niſi cognitæ ſint, in his cognoſcendis omnis cura in primis, ac diligentia adhibenda eſt, & inveſtigandum, an ad vitium declinent, & conſtitutos a natura fines prætergrediantur: nihil enim eſt animo difficilius, quam perturbationes ſuas videre, ideoque peccata, in quæ labitur: itaque finxit Æſopus, mortales ſingulos binas habere manticas, quarum altera ante pectus, altera a tergo propenderet, in priorem aliéna vitia projicere, in poſteriorem ſua; ex quo fit, ut illa cernantur a nobis; hæc autem ſecus; quamquam & plura ſint, & multo graviora. Hanc fabellam eleganter deſcribit Phædrus (*Fab. lib. 4. fab. 9.*)

Peras impoſuit Jupiter nobis duas;
Propriis repletam vitiis poſt tergum dedit,
Alienis ante pectus ſuſpendit gravem.
Hac re videre noſtra mala non poſſumus:
Alii ſimul delinquunt, cenſores ſumus.

Sed Plato (*apud. Galenum de cognoſc. curandiſque animi morbis cap. 2. Operum tom. 2.*) cauſam affert, cur ita ſit: cum enim nos nimium amemus, ac ſupra modum; amor autem cæcus ſit, ipſi nos videre, ac vitia noſtra non poſſumus.

II. Quamobrem præſcribit Galenus (*cit. loc. cap. 3. & ſeqq.*) ut habeas admonitorem, ac judicem actionum tuarum, a quo admodum flagites, ut ſi quem tibi inhærere animadvertat turbidum motum vel iracundiæ, vel amoris, vel odii, vel cupiditatis, vel alium, ſtatim indicet: polliceere autem, ei te maximam gratiam habiturum, & fac intelligat, fore, ut id majoris beneficii loco ponas, quam ſi

pe-

periculoſo corporis morbo laborantem revocaret ad ſanitatem: nam reipſa & graviores ſunt, & magis nocent animi ægrotationes, quam corporis; cum corpus abjectum quidpiam ſit, & caducum, animus vero res divina & ſempiterna. Is vero ſi facturum ſe id recipiat, quod petis; at elapſis aliquot diebus, nihil dicat, ne putes, te perturbationibus ac vitiis carere; ſed puta, eum aut negligentia tacere, aut verecundia, aut metu, ne in aliquam offenſionem incurrat, ſibique conflet invidiam: ſolet enim veritas & admonitio odium parere. Cæterum qui homo eſt, is in multis delinquit, & ſæpe. Quocirca idem rurſus etiam atque etiam roga; ac ſi qua de re re monuerit, gratias age, atque id, in quo peccatum eſt, corrige, ut ille promptior ſit & paratior in poſterum ad admonendum. Hæc fere Galenus, qui non modo corpori, ſed facit etiam animo medicinam.

III. Verum ad hanc rem non omnes ſunt adhibendi, at ſeniores, qui perturbationibus vacui ſint, & probitate, prudentiaque præditi, & rerum uſu diutius exercitati, quos univerſi egregios, & frugi eſſe fateantur (*Galen. cit. loc. cap. 6.*). His præceptis egent plurimum adoleſcentes, qui admonitorem pati non poſſunt, immo plerumque oderunt & fugiunt; eos vero ſequuntur, qui in ipſorum vitiis connivent, qui multa indulgent peccantibus, & morem gerunt cupiditati, iccircoque faciunt, ut morbus invaleſcat vehementius.

IV. Illud etiam proderit, aliorum dicta & facta attentius conſiderare, ut quos in cæteris immoderatos, & rationi adverſos motus deprehenderis, eoſdem in te vituperandos atque emendandos putes, & ea ſequaris, quæ laudabiliter, honeſteque fiant. Profecto Galenus, de quo ſæpe dixi, cum patrem haberet, ut ipſe ſcribit (*de cognoſc. curandiſque animi morbis cap. 8. tom. 2.*) a perturbationibus alienum, frugi, juſtum, humanum; & contra matrem adeo iracundam, ut vel dentibus ancillas diſcerperet aliquando; ſemper autem vociferaretur, & cum viro contenderet multo odioſius, quam Xantippe illa cum Socrate; Galenus, inquam, officiorum honeſtatem, quam intuebatur in patre, amare, imitarique cœpit; odiſſe autem, & fugere matris improbitatem, ac vitium. Et Antoninus Philoſophus teſtatur (*lib. 1. eorum, quæ*

ad

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ad ſeipſum num. 1., *& conſeqq.*) didiciſſe ſe officia virtutum, a parentibus ſuis, ab avo, a proavo, a præceptoribus, ab educatore, ab amicis, aliiſque, quos ſibi proponeret ad imitandum: licet enim in hominibus, tamquam in ſpeculo, videre, quid deceat, quid non deceat omnino.

V. Similiter opportunum eſt eos conſulere, qui de animi perturbationibus moderandis præcepta tradunt: ſic enim intelligi poteſt, quæ affectiones ſint bonæ, quæ ſecus, quid in ſingulis vitioſum ſit, quid honeſtum: quoniam & libri tacite monent bene, vel male factorum.

VI. Hoc vero menti altius inhæreat, neceſſe eſt, plurima eſſe peccata, quæ nos latent. Si tamen eniti, & diligenti ſtudio ſcrutari velimus ea, quibus concitamur, nimio erga nos ipſos amore ſublato, quoad fieri poteſt, facile incurret in oculos inordinata & perturbatrix affectio; ſed oportet ſingulis diebus in eam rem incumbere vigilantius.

VII. Perturbationibus cognitis, ad eas moderandas, continendaſque aggredi debemus, nec quicquam prætermittere, quod ad opus perficiendum neceſſarium atque utile videatur. Cum vero in unoquoque fere ſoleat perturbatio quædam maxime dominari, & tenere principatum, omnibus opibus viribuſque, ut hæc rationi pareat, elaborandum eſt: nam compreſſa temeritate potentioris, reliquæ facilius obedient & obſequentur imperio, ut victo duce, milites fere in victoris poteſtatem veniunt. Hæc cum dixerim, videamus jam, quæ ſit via & ratio, qua felicem exitum pugna contra perturbationes ſit habitura.

VIII. Primum quidem ad hanc rem valet plurimum firma quædam & conſtans voluntas victoriæ referendæ: quoniam in cæteris pugnis etiam qui ſtrenue præliantur, non continuo ſemper vincunt; animus autem, qui adverſus immoderatas affectiones fortiter dimicare voluerit, eaſdem ſine ulla dubitatione ſuperabit. Eam porro voluntatem hæc cogitatio maxime roborabit, præclarum eſſe ac libero homine dignum pacate vivere, temperate, manſuete, patienter, ac tandem vacare perturbationibus in omni vita. Hæc repetenda ſunt animo, atque expedit ſæpe renovare propoſitum turbidos motus comprimendi, ne obſoleſcat & remittatur; præſertim vero mane ac veſpere, & cum incidit

cau-

cauſa, ex qua aliquanto vehementior poſſit exiſtere perturbatio. Galenus ſcribit (*de cognoſcendis curandiſque animi morbis cap. 6, tom. 2.*) conſueviſſe ſe monita quædam pythagorica, quæ huc pertinent, primum quidem legere bis ſingulis diebus, tum vero, ne unquam exciderent e mente, etiam memoriter pronunciare.

IX. Deinde perturbationum origo diligenter exploranda eſt, ideſt cauſa efficiens turbidum motum in animo: nam cauſa ſublata, quod ex ea naſcitur, id tolli neceſſe eſt. Pravarum vero affectionum eſt cauſa omnis in opinione, quam auget conſenſio imperitæ multitudinis: nam exiſtimamus id bonum eſſe & utile, quod non eſt, immo ſæpe quod malum eſt & noxium; quamquam ſecus eſſe videatur: declinamus autem ab eo, quod malum videtur eſſe, cum non ſit, aut leve ſit; idemque nobis contingit, quod pueris, qui ſi pomo careant, ſummopere perturbantur ac dolent, atque inanis umbræ metu exhorreſcunt. Videmus quoſdam maxime teneri aut gloriæ, aut imperii, aut voluptatum, divitiarumque cupiditate, quæ quidem & ſummum bonum eſſe, & vehementer appetendum putant; quo fit, ut ſi quid horum amittant, aut non poſſint conſequi, mœrore tabeſcant; cum tamen ſapientes, etiamſi forte his rebus carent omnibus, bene & quiete vivant; immo plures carere ſponte voluerint ad beate vivendum; nam pecuniæ libido, voluptatis, principatus, gloriæque popularis tot curis implicata eſt, ut ſit inimica vitæ tranquillitati.

X. Quare a magnanimitate, ex qua exiſtit terrenarum rerum & gloriæ contemptio & toleratio incommodorum, pertubationes, mentiſque ægritudines depelluntur: qui enim magno animo eſt, adverſis non frangitur, & putat, nihil fere ad ſe pertinere præter virtutem honeſtatemque factorum: *ſtatim igitur*, ait Epictetus (*in Man. cap. 1. n. 4.*) *omni aſpero viſo occurrere ſtude, ac dicere: viſum eſt, ac nullo modo id, quod eſſe videris. Deinde explora illud, atque examina iis, quas habes, regulis: prima autem hac vel maxime, utrum circa ea verſetur, quæ in noſtra poteſtate ſunt* (hoc eſt circa actiones, & opera) *aut quæ in noſtra poteſtate non ſunt. Quod ſi circa aliquod eorum verſetur, quæ in noſtra poteſtate non ſunt, promptum hoc eſto: nihil ad te.* Hunc hu-

humanarum rerum contemptum Galenus, ut ipſe memoriæ prodidit (*de cogn. curandiſque animi morb. cap.* 8.) edoctus eſt a patre ſuo & dictis & factis, quippequi eum monebat, ut & juſtitiam & modeſtiam & animi magnitudinem, prudentiamque ſectaretur, plurimique faceret; gloriam vero & honorem, & pecuniam pro nihilo duceret: quibus monitis obtemperavit Galenus: addit enim: *imperterritus, atque immotus ad ea omnia, quæ quotidie in vita accidunt, maneo; quemadmodum patrem quoque manere tum intuebar: itaque neque jactura, neque interitus rei cujuſpiam perturbatione me ulla afficiet*. Et paullo poſt: *ſi aut bos, aut equus, aut mancipium interiit, non tanti ſunt hæc, ut ad me perturbandum idonea ſint; quippequi cum egregie ſim memor eorum, quæ me pater monere ſolitus erat*. Antoninus item philoſophus, cum res humanas nullo haberet loco (*vid. lib.* 2. *eorum quæ ad ſeipſum n.* 12.) id aſſecutus eſt, ut ſine perturbatione viveret.

XI. Quapropter multum confert ad effrenatas, ac turbidas permotiones ſedandas, res, quæ occurrunt, & vel appetitum alliciunt ad ſequendum aliquid, vel incitant ad fugiendum, ementita ſpecie nudare & introſpicere, quid illæ ſint in ſeſe: ſi enim, quod bonum videtur eſſe, id malum eſſe perſpicias, profecto fugies; & contra ſi quid appaiet ut malum, intelligas aut malum non eſſe, aut bonum eſſe, amabis: iccircoque affectio, quæ declinet a malo, & bonum ſectetur, bona & honeſta futura eſt: nunquam igitur peccatum appetes, ſed virtutem; nunquam virtutem, ſed vitium oderis: ex quo conſequens erit, ut nec te inordinata perturbatione commoveri ſinas, quæ turpis eſt & rationi contraria, & deterius malum, quam paupertas, quam jactura divitiarum & gloriæ, quam morbus, quam mors etiam: hæc enim levia ſunt, & minus diuturna; ideoque nec idonea ad perturbandum animum ſapientis: *facultatis rationalis eſt*, ait Antoninus Philoſophus [*lib.* 2. *eorum, quæ ad ſeipſum num.* 12.] *conſiderare, quam velociter evaneſcant omnia in mundo corpora, in ævo eorumdem etiam memoria; cujuſmodi ſunt omnia, quæ ſub ſenſum cadunt; horumque ea maxime, quæ vel voluptate alliciunt, vel dolore percellunt, vel cum faſtu celebrantur: quam vilia contemnenda, quam ſordida, caduca, mortua ſint. Quinam ii ſint, quorum opiniones,*

vo-

voceſque claritatem largiuntur. Quid ſit ipſum mori, quodque, ſi quis rem ipſam per ſe intueatur, cogitationeque ab illa ſubmoverit ea omnia, quibus tamquam larvis horrendis inſtructa imaginationi noſtræ ſe objicit, nihil eſſe aliud comperiet, quam opus naturæ. Opus autem naturæ ullum quiſquis expaveſcit, puer eſt. (Vid. & lib.12. num.81.)

XII. Mox ſi objectis rebus ſentiamus, nos vehementius affici & perturbari, eas removere oportet a ſenſibus; quippequæ magnam vim habent ad fallendum, acuendamque appetitionem voluntatis, odiumve concitandum. Qui ædium magnificentiam & luxum contemplatur, aut dignitates & gradus, eum facile punget ambitio; aut capietur illecebra voluptatis, qui periculoſa ac lubrica conſuetudine delectatur, aut ardebit iracundia, qui ſeſe adiungat ad litigioſorum hominum ſocietatem; triſtitiam melancholicis parient lugubres apparatus, tenebræ, ſolitudo. Itaque ab objectarum rerum ſpecie, quibus irritari ſpiritus ſolent, quoad fieri poteſt, cavendum eſt. Si qua vero animo inſidere cœperit perturbatio, eum expedit ad alias cogitationes ac ſtudia convertere, ut ſenſim deferveſcat æſtus, remittaturque vis ſanguinis concitata: quoniam cum mens avocatur ab re, qua permovetur, facile quieſcit motus, qui cogitationem ſequitur, ut docent Phyſici.

XIII. Præſertim vero cum primum nobis obrepit aversa quædam a ratione commotio, tunc obſiſtere neceſſe eſt, & ſuſtinere voluntatem: eſt enim multo difficilius, impetum, qui longe progreſſus eſt, comprimere, quam ſedare naſcentem. Nota ſunt illa (*Ovid. de Rem. Amor. lib.1.*)

Dum licet, & modici tangunt præcordia motus,
Si piget, in primo limine ſiſte pedem.
Opprime, dum nova ſunt, ſubiti mala ſemina morbi,
Et tuus incipiens ire reſiſtat equus.
Nam mora dat vires, teneras mora percoquit uvas,
Et validas ſegetes, quæ fuit herba, facit.
Quæ præbet latas arbor ſpatiantibus umbras,
Quo poſita eſt primum tempore, virga fuit.

Digitized by Google

Tum poterat manibus ſummâ tellure revelli ;
Nunc ſtat in immenſum viribus aucta ſuis.

. . . .

. . . .

Principiis obſta : ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

XIV. Quo efficitur, optimum eſſe cupiditatibus repugnare etiam in rebus levioribus licet jure permiſſis, quales ſunt ea videre, loqui, audire, inveſtigare, quæ vacant utilitate & fructu ; ut in minutis compreſſæ affectiones in magnis modum teneant. Quapropter cum his motibus agendum eſt, ut præceptores & pædagogi ſolent cum pueris, quos ſi vident inſolenter, aut inepte quicquam facere, quamquam id ignoſcendum ætati videatur ; tamen eos objurgant, & ſæpe emendant ferula, ne aſſueſcant ad delinquendum in poſterum, & in graviora labantur. Quo quidem beneficio & nos affici ab iis putandum eſt, a quibus reprehendimur, & culpamur : *permitte omnibus*, ait Galenus (*l b. de cognoſc. curandiſque animi morbis cap. 3.*) *ut quicquid damnant in te, libere adverſum te dicant : neque ipſe adverſum quempiam indignare : ſic vero tibi ſint omnes, ut Zeno dicebat, pædagogi videlicet.* Monet tamen, audiendos eſſe non omnes, ſed eos tantum, qui morum innocentia, ſapientia, ac prudentia valent : nam alii ſæpe aut propter ignorantiam, aut propter malitiam etiam honeſta vituperant, laudantque contraria.

XV. Generatim vero opportuniſſima eſt repellendis perturbationibus exercitatio quotidiana ; quippe quæ virtutem parit cupiditati repugnantem. Itaque ſi amor, odium, ſpes, deſiderium, aliæque hujus generis affectiones inclinent in aliquid adverſa ratione, enitendum eſt, ut ſecus & velis, & facias, & pergas eatenus, quatenus hæc proclivitas ſublata ſit, & in contrariam partem propendeas. Profecto ut tibi imperes, & contentione opus eſt, & ſpatio temporis diuturno ; immo nunquam hæc cura deferenda eſt in omni vita : nam plerumque, amputatis ramis, manet radix, ex qua turbidi motus & cupiditates exoriuntur. Fere ſatis eſt, ſi proficias in dies. *Si teipſum hoc honore afficere decreviſti*, ſcribit Galenus (*de cognoſc. curandiſque animi morbis*

cap.

cap. 6.) perſpice, & cura, ut aliquanto continentius hodie vivas, quam heri. Senties etiam magnas animi tui lætitias, ſi quando revera amator modeſtiæ, temperantiaque extiteris: ſic enim gaudet quicumque in ea re proficit, cujus eſt amator. Quamobrem ea pugna & contentio non eripit ſapienti tranquillitatem. Ut vero proficias, cave, ne te cum negligente & diſſoluto compares, ſed cum optimo, diligentiſſimoque, quem ſuperare primum ſtude, tum etiam teipſum, ut rurſus monet Galenus [*cit. loc.*] id ſtudere oportet, inquit, quod in modeſtia ſit ſummum. *Porro autem ſi hoc faciemus, non incaſtigatos quoſpiam, ac diſſolutos nobis conferemus: nec ſatis eſſe putabimus, ſi plus quam illi & continentiæ, & modeſtiæ adepti ſimus: ſed primum quidem eos, qui iiſdem rebus ſtudeant, ſuperare conabimur* [*pulcherrima enim eſt hæc concertatio, atque æmulatio*) *poſt vero etiam nos ipſos: ut videlicet ex diuturna conſuetudine ad hæc ipſa, quæ & ſaluberrima ſunt, & adeptu facillima cum voluptate feramur, memores ſemper pulcherrimorum dictorum, quorum vel hoc eſt in primis unum: delige optimum vitæ genus.* Sed intelligendum eſt, nos ſemper ab eo fine & extremo abeſſe, quod petimus, & latere quidpiam intrinſecus, quod vitioſum ſit, iccircoque indignum ſapiente: nam ſeipſum plane perſpicere, atque mentis ſinus intimos, ac receſſus pervadere difficillimum eſt. Hæc quidem laus ejus eſt propria, qui aſſecutus ſit abſolutiſſimam ſanctitatem. *Is ſolus*, ait Galenus (*de cognoſcendis, curandiſque animi morbis cap. 2.*) *qui ſapientiſſimus eſt, perfecte ſeipſum cognoſcit: reliquorum autem omnium perfecte quidem nullus: alius autem alio & magis, & minus: quod enim in vita univerſa, & in artibus omnibus videmus, ut magnas quidem, atque inſignes rerum eminentias, differentiaſque quivis unus e multis facile poſſit diſcernere; exiguas autem, ac tenues ii dumtaxat, qui & prudentes ſint, & ipſarum artium periti; idem in peccatis quoque, atque affectibus uſu ſolet venire.*

XVI. Eſt etiam perturbationum, quibus afficimur propter adverſus caſus, medicina præmeditatio, de qua ſupra dixi (*lib. 3. part. 4. cap. 8.*) potiſſimum vero mortis memoria immoderatis affectionibus medetur: *mors, & exilium*, ait Epictetus [*in Man. cap. 20.*] *omniaque, quæ terribilia viden-*

 tur,

tur, ante oculos tibi quotidie ſunto: maxime vero omnium mors: neque quidquam unquam humile cogitabis, neque quidquam nimis cupies.

XVII. Tandem etſi diligentiſſime curandum eſt, ne deſit unquam noſtra opera, improbus labor ac ſtudium in gubernandis, moderandiſque perturbationibus; tamen perſuaſum habeamus neceſſe eſt, nos nihil poſſe omnino ſine cæleſti præſidio, & naturæ, quæ ſaucia ac debilitata eſt contagione peccati, irritos conatus fore, niſi adiuventur a Deo, a quo iccirco auxilium ſemper efflagitandum eſt contra vim inſanientium cupiditatum. Hoc cum ignorarent Stoici, aliique olim philoſophi, optime quidem de cohibendis affectionibus diſputarunt; ſed id conſecuti ſunt, ut homines ſuperbos efficerent, non continentes ac temperatos: quoniam vim omnem commotionum comprimendarum putabant eſſe in natura, qua una duce, liceret honeſte vivere; cum tamen & ipſi naturæ, quæ ex ſeſe imbecilla eſt, ſit a Deo, & a chriſtiana philoſophia adhibenda curatio: ſic enim & error a mente depelli poteſt, & contineri voluntatis proclivitas ad peccandum.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Nullam eſſe Affectionem, quæ regi non poſſit.

I. CUm pleriſque ea familiaris, atque uſitata ſit excuſatio, ſe animi ægrotationibus mederi non poſſe, oportet omnino hunc peccantibus aditum intercludere: quamquam enim noſtræ voluntatis non eſt affectionem tollere; eſt tamen regere ac moderari, eique in pravum inclinanti non conſentire: quoniam iccirco ratio nobis eſt data tamquam regina ac domina, quæ vinci, & peccare non poteſt invita; cum peccatum non poſſit eſſe ullum, niſi ſit idem voluntarium: quiſquis igitur peccat perturbatione aliqua concitatus, abſtinere poteſt ab eo, in quo delinquit; iccircoque moderari perturbationem, ſi velit: velle autem debet non remiſſe, ſed vehementer, non languidiore quodam ſtudio, ſed inflammato & operoſo; ita quidem ut non modo nihil concedat cupiditati, quoad fieri poteſt, at ſtudeat ſecus facere: nam paulatim contraria conſuetudine minuetur perverſa propenſio, tandemque plane evaneſcet. Vulgatum eſt illud: nihil difficile volenti. Nullum eſt facinus tam arduum ac præclarum, quod perfici non poſſit animi magnitudine, atque conſtantia. Videmus quoſdam, qui cum peſſimi eſſent, & magno perturbationum æſtu, ut ſuperbiæ, ut iracundiæ, ut avaritiæ, ut libidinis jactarentur, optimos evaſiſſe, modeſtos, liberales, pacatiſſimos, continentes; ſed nos ſæpe malumus infirmitatis ſpecie occultare voluntariam improbitatem, quam aliquid laboris in repellendis cupiditatibus tolerare, & cum corporis curandi cauſa nihil ſit, quod prætermittatur, induſtriæ, grave nobis, ac moleſtum videtur in animi curatione quodammodo laborare; quod reprehendit Ovidius (*de Remed. Amoris lib.* I.)

Du-

Dura aliquis præcipta vocet mea: dura fatemur
Eſſe; ſed ut valeas, multa dolenda feres.
Sæpe bibi ſuccos, quamvis invitus, amaros
Æger, & oranti menſa negata mihi eſt.
Ut corpus redimas, ferrum patieris, & ignes,
Arida nec ſitiens ora lavabis aqua.
Ut valeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore majus habet.

II. Certe aſpectus, atque auctoritas hominum præſertim graviorum, gratia, amicitia, occaſio gerendi negocii, vitæ periculum, aut fortunarum continet affectionum temeritatem; cur igitur continere ratio non poſſit? Vereri quidem alios decet, ſed nos ipſos maxime, & quod, ſpectante honeſtiſſimo viro, facere turpe arbitramur, nunquam eſt committendum, ut coram nobis ipſis geramus: an ipſi nos afficiamus injuria, quam ab aliis acceptam ferre non poſſumus? Itaque monet Galenus (*de cognoſcendis, curandiſque animi morbis cap. 5. Oper. tom. 2.*) *Tu vero teipſum in primis verere, atque illi auſculta, qui dixit: Omnium autem maxime tui ipſius te pudeat.*

III. Do equidem, vehementem perturbationem, quæ jam in animo inveteravit, non ſtatim, neque una die comprimi poſſe, ut nec belluæ ex feris & immanibus illico mites redduntur, & manſuetæ; ſed cum has tandem ars atque induſtria condocefaciat & mitiget, cur non poſſimus paulatim, adhibita diligentia, domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates? cum illud primum non ſit omnino in nobis ſitum: nam quæ fera ſunt natura, non ſemper abjiciunt feritatem; hoc autem alterum noſtræ ſit voluntatis, ut ſupra diximus (*vid. Galen. de cognoſc. curandiſque animi morbis cap.6.*)

IV. Cavendum vero, ne ceſſemus unquam, nec deſperandum putemus, quamquam ætate provecti: etenim ne curam quidem unquam dimittimus recuperandæ valetudinis, quæ afflicta ſit, medendique corpori: quocirca multo magis animo, cujus eſt ſanatio voluntaria, oportet ſemper facere medicinam, quæ etſi non ſtatim morbum depellit plane omnem, at ſaltem extenuat, levatque aliquantum: ex quo cer-

ta,

Digitized by Google

ta, atque explorata ſpes eſt fore melius in dies, ac tandem perfectam ſanitatem conſecuturam: nam ſi quovis die, & menſe, & anno proficias, eo venies, ut te confirmatum, & ex ægrotatione, qua laborabas, recreatum ſentias.

V. Quod ſi non poſſis abſolutiſſimam valetudinem, hoc eſt, ſummum excellentiæ & ſanctitatis gradum aſſequi, ſaltem emerges e vitæ cœno, & aſſurges, atque accedes ad honeſtatem; & ſenſim fiet, ut ejus ardenti ſtudio & amore capiaris: itaque ſponte, & cum voluptate illuc eas, quo antea gradereris invitus, & cum moleſtia: nam initia quidem virtutis ardua videntur, & minus grata; ſed facilis eſt, & jucunda progreſſio, ut ſupra dixi (*lib.3. part.1. cap.13.*) quod exponit Ovidius: ait enim (*de Remed. Amor. lib.1.*)

Sed tamen eſt artis triſtiſſima janua noſtræ:
Et labor eſt unus, tempora prima pati.
Aſpicis, ut prenſos urant juga prima juvencos?
Ut nova velocem cingula lædat equum? &c.

VI. Quod in ſtudio literarum, idem contingit in moribus: nam cum primum animum adiicis addiſcendis artibus, & diſciplinis, omnia plena ſunt difficultatum & moleſtiarum; at cum profeceris, tum tanta ſequitur delectatio, ut a ſtudio, atque inſtituta exercitatione divelli nullo modo poſſis. Vide autem, ne turpiſſimum ſit, ut in ſcientiis, quibus des operam, ita in virtute, animique temperantia & moderatione non progredi, & nullam inde capere voluptatem. Sed profectus ex eo pendet plurimum, ut aures æquas & faciles admoveas obiurganti & admonenti, non adulanti; & ex ea, quæ ſuccreſcit, perturbationum ſegete, ſemper aliquid ſtudioſe amputes & circumcidas; non tamen tuis viribus, atque ſolertia nixus confidas, ſed ope divina.

CA-

CAPUT VII.

Honeſtum eſſe, utile, jucundum Affectiones regere.

I. CUM honeſtum ſit id, quod congruit rationi, quodque, detracta omni utilitate, ſine ullis præmiis, fructibuſque per ſeipſum poteſt jure laudari, nemo dubitat, quin honeſtiſſimum ſit regere perturbationes, comprimereque tumultuantes: id enim eſt & rationi, & hominis naturæ maxime conſentaneum: quoniam homo in eo præſertim diſtat a belluis, quod cum ratione præditus ſit, eam ſequi & poteſt, & debet, ut ducem, non inſanum impetum, quo belluæ rapiantur, neceſſe eſt.

II. Præſcribit autem ratio, ne unquam jura violentur, nec libertas detur perturbationibus, ac licentia dominandi. Itaque ut honeſtum eſt domeſticos patrifamilias, diſcipulos præceptori, populos ſubeſſe ac parere principi, ita commotiones ſubjectas eſſe rationi, quæ earum rectrix eſt, ac regina a Deo conſtituta. Qui hunc principatum tenet, magis laudatur a ſapientibus, quam ſi barbaras gentes domuerit, ac longe lateque fines dilatet, atque explicet imperii ſui; habeturque præclarius ſeipſum vincere, quam alios, & ſibi imperare, quam civitatibus: nam contra alios omnium facultatum apparatu, viriumque præſidio, at contra nos ſola ratione pugnamus, objecta quaſi phalange cupiditatum, quæ hoſtes ſunt domeſtici, & incluſi penitus in viſceribus, & amicorum ſpecie occultantur, quorum iccirco difficile eſt aut inſidias, aut vim declinare. Eam ob cauſam ait Horatius (*lib.2. Od.2.*)

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam ſi Libyam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Servtat uni.

Et

Digitized by Google

Et Boetius [*de Conſolat. lib. 3. proſ. 5.*]

Qui ſe volet eſſe potentem,
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœdis ſubmittat habenis:
Etenim licet Indica longe
Tellus ſua jura tremiſcat,
Et ſerviat ultima Thule;
Tamen atras pellere curas,
Miſeraſque fugare querelas
Non poſſe, potentia non eſt.

Etenim principatus omnium præſtantiſſimus eſt, a quo pendeas, habere neminem, non duci in capiendis conſiliis, in dictis & factis cupiditate, non odio, non amore, non metu. Ex quo eſt illud Claudiani (*in Panegyr. Theodoſii in 4. Honorii conſulat.*)

. . . . *Tunc omnia jure tenebis,*
Cum poteris rex eſſe tui. . . .

Quocirca dominatum hujus generis, ac victoriam M. Tullius reliquis præfert omnibus: ſic enim Cæſarem laudat (*in Orat. pro M. Marcello*) *Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; ſed tamen ea viciſti, quæ & naturam, & conditionem, ut vinci poſſent, habebant: nulla enim eſt tanta vis, tanta copia, quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangique poſſit. Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adverſarium nobilitate, ingenio, virtute præſtantem non modo extollere jacentem, ſed etiam amplificare ejus priſtinam dignitatem; hæc qui faciat, non ego eum cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo judico.* Et paullo poſt: *cæteros quidem omnes victores bellorum civilium jam ante æquitate, & miſericordia viceras; hodierno vero die teipſum viciſti.* Iccirco ab Iſocrate hoc eſt Nicocli præceptum datum (*Orat. de Regno*) *Impera tibi ipſi non minus, quam & cæteris: idque maxime regium putato, ſi nullis libidinibus ſervias; ſed cu-*

cupiditates magis in poteſtate habeas, quam cives tuos.

III. Ex quo conſequens eſt, maxime glorioſum eſſe & laudabile ſibi imperare: quod autem tale eſt, idem honeſtum oportet eſſe; atque in hoc cernitur etiam excelſi animi magnitudo, firmumque judicium de bono ac malo, ideoque mentis eximia ſapientia.

IV. Deinde perturbationibus vacare, hoc eſt, vehementioribus, turbidiſque motibus animorum utile eſt; primum quidem ad valetudinem, vitamque diuturnam: cum enim corpus, & animus partes ſint inter ſe conglutinatæ natura, ſanitas & quies animi permanat in corpus, & humorum temperationem tuetur, quam affectionum acriori vi perturbari compertum eſt. Celebris eſt præceptio illa ſcholæ Salernitanæ [*cap. 1.*]

Si vis incolumem, ſi vis te reddere ſanum,
Curas tolle graves, iraſci crede profanum.

Ex quo natum proverbium puto, eum, cui cerebri parum eſt, diu vivere: qui enim talis eſt, is cum non multa cogitet ac meditetur, nec ſe curis implicet, quiete vivit, iccircoque ejus bona eſt valetudo, & vita diuturna.

V. Mox opportuniſſima eſt perturbationum vacuitas ad negocia bene gerenda: qui enim nec mœrore angitur, nec metu, nec odio, nec libidine concitatur, nec iracundia, res aggreditur conſiderate, & perficit cum dignitate, atque conſtantia; contra perturbationis æſtus, etiam quod bene inchoatum, atque inſtitutum eſt, id ſæpe uno impetu labefactat; ſcilicet affectionum temeritas eſt inimica prudentiæ, ſine qua nihil, quod rectum ſit, fieri poteſt. Itaque non eſt ſapientis, eos homines, qui turbidis motibus cieri ſolent, adhibere ad rerum adminiſtrationem, & munera magiſtratus: nam ſæpe non prudentia ducuntur, ſed cupiditate.

VI. Deinde vacare perturbationibus confert plurimum ad benevolentiam hominum comparandam: qui enim mites ſunt, qui manſueti, qui fortes, qui temperantes, non litigioſi, non timidi, non elati propter res ſecundas, nec fracti propter adverſas, non invidi, non iracundi, amantur ab omnibus, & quiſque familiaritate eorum, ac conſuetudine de-

Digitized by Google

delectatur. Ex quo multa bona ad vitæ opportunitates proficiſcuntur. Eam animi temperationem ſequuntur etiam ope & gloria; præſertim vero ſi qui ſibi imperat, is præterea ingenio floret, & literis, vel divitiis, vel nobilitate, ſummam conſequitur apud homines & benevolentiam, & laudem, atque ornatur inſignibus honorum & dignitatum.

VII. Poſtremo cum perturbationes ſint fontes vitiorum, qui eas moderatur, nihil faciet, quod non ſit honeſtum: malefacta enim ſemper ex immoderato quodam animi motu oriuntur; itaque nihil peccabit, ſaltem quod grave ſit; ex quo fiet, ut felicitate potiatur ſempiterna; quod eſt ſummum bonorum.

VIII. Tandem jucundiſſimum eſt animum habere vacuum perturbationibus: qui enim his non permovetur, Deo paret, ac ſubeſt omnino, ſervat cum hominibus ſanctam ſocietatem, non effertur, non invidet, cavet a contentionibus, nocet nemini: itaque ſtudioſe cuſtodit ordinem, quo pax & tranquillitas continetur non modo ſingulorum, ſed etiam familiæ, civitatis, & humanæ reipublicæ: ſublatis enim commotionibus, quaſi ventis, omnia pacatiſſima ſunt, atque expertia periculi & moleſtiarum.

IX. Libertas item, quæ tantum ejus eſt propria, qui ſibi didicit imperare, ac ſemper ratione uti, & conſtanti judicio, ſummam parit animo voluptatem: quid enim poteſt eſſe jucundius, quam videre ſe iis vinculis ſolutum, quibus inſipientes omnes tenentur? Verum hoc loco pauca dixi: cum multa ſcripſerim libro ſuperiore de utilitate, ac jucunditate virtutis.

CAPUT VIII.

De perverſo Affectionum uſu, & quæ ex eo incommoda conſequantur.

I. PErverſus affectionum uſus in hoc ſitus eſt omnis, ut illæ tamquam adminiſtræ adhibeantur ad peccandum, ut ſæpe fit, ad turpem quæſtum, ad quærendam famam, gloriamque popularem, ad incontinentiam, ad ſuperbiam, ad temeritatem, ad alia vitia generis ejuſdem: hæc enim maxima eſt ordinis perturbatio; cum obediat animus, cujus eſt imperare; eique affectiones, quas ſubeſſe oportet, imperent & dominentur. Hinc autem quæ damna & incommoda cum privata, tum publica proficiſcantur, licet uno verbo dicere; nam omnium fere, quibus affligimur, fons & origo eſt perturbatio.

II. Hæc primum menti affert miſeram cæcitatem, & impedit, quominus ea videas, quæ utilia ſunt, quæ præclara, quæ honeſta: nam defixus in re una, quam tibi objicit vehemens affectio circumſeptam adumbrata imagine bonitatis, avocaris ab reliquis, & vix potes quicquam aliud aut cogitare, aut velle: hæret enim forma in cerebro expreſſa, atque depicta vi & impetu perturbationis, & ſæpius inſtaurata ac renovata cogitando. Eam intuetur animus quaſi neceſſario, & boni ſpecie fallitur: quamobrem uſuvenit, ut nec veram, ac ſinceram honeſtatem videat, nec mercedem benefactis, nec pœnam ſceleribus conſtitutam, nec calamitates, nec infamiam, & diſſolute ac perverſe judicet præſertim de rebus agendis, ſequaturque id, quod etſi malum eſt, bonum tamen eſſe videatur; in quo quidem apparet cæcitas quædam ſingularis, cui difficile eſt facere medicinam: nam curandum eſt, ut forma illa, quæ altius infixa eſt in cerebro, deleatur; ad quam rem opus eſt vi, atque ſolertia. Quocirca avari, ſuperbi, incontinentes vix redeunt ad ſanitatem: habent enim ſemper inhærentem in animo imaginem gloriæ, pecuniæ, voluptatis, eamque contemplantur,

&

Digitized by Google

& amant ut ſummum ac ſupremum bonorum, ac venerantur & colunt, ut Deum: qua in re, quemadmodum & in aliis quammultis, cum errent maxime, cæci jure nominantur, immo etiam dementes: nam ex confuſione formarum, quæ ſunt in mente, dementia naſcitur: *Sanos intelligi neceſſe eſt*, ait Tullius [*Tuſc. qq. lib.3.*] *quorum mens motu, quaſi morbo, perturbata nullo ſit: qui contra affecti ſunt, hos inſanos appellari neceſſe eſt. Itaque nihil melius, quam quod eſt in conſuetudine ſermonis latini, cum exiſſe e poteſtate dicimus eos, qui effrenati feruntur aut libidine, aut iracundia . . . . qui igitur exiſſe e poteſtate dicuntur, idcirco dicuntur, quia non ſunt in poteſtate mentis, cui regnum totius animi a natura tributum eſt*. Et paullo ante dixerat (*cit. loc.*) *animi affectionem lumine mentis carentem nominaverunt amentiam, eamdemque dementiam*. Et certe poteſt perturbatio quamdam formam ita infigere interdum in phantaſian (ſic enim vocant Græci) ut non inchoata, ſed perfecta, atque abſoluta dementia conſequatur, & reipſa nullus ſit rationi locus. Fere tamen quæ perturbatione, cupiditateque geruntur, ea ſunt voluntaria, ut diximus: neque enim deeſt cognitio, & major eſt proclivitas voluntatis.

III. Deinde perturbationes premunt animum jugo turpiſſimæ ſervitutis: ut enim, qui ſervus eſt, is domino pareat neceſſe eſt, nec poteſt judicium ſuum ac voluntatem ſequi; ita cum ratio perturbationibus, ac dominante cupiditate impellitur ad obediendum, in ſervitute verſatur eo turpiore, quo animus præſtantior eſt corpore; præſertim cum ſervitus in genere morum non neceſſitatis ſit, ſed voluntatis. Sunt autem quidam ejus ſervitutis gradus; quippe quæ tanto eſt imperfectior, quanto plura facit ratio arbitratu ſuo, non imperio perturbationum; perfecta vero, eademque miſerrima, cum omnino ratio ſuccumbit; quod vix contingit unquam; niſi humana natura plane mutata ſit in naturam, moremque belluarum. Ex quo poteſt intelligi, eos inſanire, qui putant, tum ſe liberos eſſe, cum turpem ſervitutem ſerviunt vivendi licentia: ſunt enim ſervi, iidemque miſeri, quamquam longe, lateque in populos dominentur, ut ſcribit Claudianus (*in 4. Honorii Conſul.*)

Tu

Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent,
Si metuis, ſi prava cupis, ſi duceris ira,
Servitii patiere jugum; tolerabis iniquas
Interius leges . . .

Simile eſt illud Perſii (*Satyr.5.*)

Liber ego: unde datum hoc ſumis tot ſubdite rebus?
An dominum ignoras, niſi quem vindicta relaxat?
I puer, & ſtrigiles Criſpini ad balnea defer,
Si increpuit, ceſſas nugator? Servitium acre
Te nihil impellit? Nec quicquam extrinſecus intrat,
Quod nervos agitet? Sed ſi intus, & in jecore ægro
Naſcantur domini, quî tu importunior exis,
Atque hic, quem ad ſtrigiles ſcutica, & metus egit herilis?

At non domini ſunt perturbationes, ſed tyranni, & carnifices, & furiæ, quæ animum terrent, & cruciant tædis ardentibus, ut dixi aliis in locis, & præcipitem agunt in ærumnas, ac gurgitem flagitiorum.

IV. Nec vero tantum animo nocent, ſed etiam corpori, & valetudini, & vitæ: nam ex curis, ægritudinibuſque animorum exiſtunt corporis attenuatio, vigiliæ, imbecillitas virium, febres, morbi, & ſæpe etiam interitus. Omitto pericula fortunarum, & adverſos caſus quamplurimos, in quos conjicit perturbatio, quæ ſolet eſſe imprudens maxime, & temeraria. Præterea quis neſciat, ex perturbationibus naſci lites, contentiones & rixas, & contumelias, alienæ famæ detractionem, dolos, inſidias, injuſtitiam, cædes ac bella, & omnia tandem flagitia ac mala, quibus & privati homines, ac familiæ in perniciem incurrunt, & evertuntur omnino reſpublicæ?

V. Quod ſi ad perturbationes, quæ in animum dominantur, accedat auctoritas & potentia, nihil miſerius, nihil magis exitiale, ac pertimeſcendum aut eſſe, aut excogitari poteſt: nam cæcus impetus, qui ex ſeſe præceps eſt, tantum incrementi capit, ut nulla vi, nullo objecto aggere contine-

nea-

Digitized by Google

neatur: quoniam qui opibus & potentia valent, præſertim vero reges ac principes, ii putant eſſe dignitatis ſuæ eo ire, quo cœperint, atque id omne disjicere & propulſare, quod obſtat: *etiamſi ingeritur*, ait Seneca (*lib.1. de Ira cap. 16.*) *oculis veritas, amat, & tuetur errorem: coargui non vult, & in male cœptis honeſtior illi pertinacia videtur, quam pœnitentia.* Ex hac vero principis ac potentium improbitate labes ſequitur univerſæ reipublicæ: nam eorum, qui præſunt, virtutem imitari difficile eſt, ſed vitia, facillimum; & quod talium hominum exemplo fit, id etiam jure putatur fieri. Tunc nulla eſt vis legum quamquam ſanctiſſimarum: magis enim movent facta, quam jura, quæ vel ab ipſis juſtitiæ cuſtodibus violentur. Quantam perniciem & cladem attulerint non ſibi tantum, ſed etiam reipublicæ Julius Cæſar, Caligula, Nero, Domitianus (*Sveton. in eorum vit.*) Romanorum imperatores, Sardanapalus rex Aſſyrius (*Juſtin. lib.1.*) Balthaſſar Chaldæus (*Daniel. cap.5.*) Darius Perſa (*Q. Curt. lib.5.*) Cleopatra Ægypti regina (*Dion. Caſſ. lib.51.*) Henricus, qui octavus eſt dictus, rex Britannorum (*Sander. de Schiſm. Anglic. lib.1.*) aliique, quorum immenſa eſt multitudo, propterea quod perturbationibus parerent, tamquam dominis, & ſervirent cupiditati, teſtantur hiſtoriæ.

IV Hæc cum ita ſint, qui nolit in cæcitatem incidere, in inſaniam, in ſervitutem, in dedecus, in calamitates, & ſibi exitio eſſe, & familiæ, & patriæ, & reipublicæ, perturbationes regat, & coerceat neceſſe eſt, adhibeatque tamquam adminiſtras ad honeſtatem.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

Homines cognoſcendi, regendique gratia, eorum affectiones inveſtigare oportere.

I. QUoniam, quæ penitus in animi latebris ac receſſu concluſa ſunt, ea non licet cernere, id facere oportet, quod medici ſolent: indicia enim diligenter obſervant, ac ſigna morborum, quibus, etſi conjecturis tantum quibuſdam, non certa ratione ducantur, adhibent medicinam. Ita cum ſenſus non pateant animorum, quinam illi ſint, intelligi poteſt quodammodo conjectura; quæ tamen prudenter, & caute facienda eſt, non temere & ſine ratione; quod ſuſpicioſi hominis eſt, iniqui, malevoli.

II. Alia vero ſunt affectionum indicia, alia propenſionum & morum. Hæc poſtrema vix variantur: pendent enim a corporis conſtitutione: quamobrem facile qui abundant ſanguine, qui flava bili, qui pituita (φλέγμα Græci vocant) qui melancholia, licet cognoſcere: quoniam rubor quidam in vultu, forma corporis plena ſucci, agilitas, mobilitaſque membrorum indicat ſanguinis affluentiam; flavam autem bilem color vividus, motus, qui agilitatem ſimul, gravitatemque præferat, corporis conformatio non invenuſta, ſed paullo ſiccior: in quibus melancholia ineſt, ſeu atra bilis, ii colorem habent fuſcum & lividum, motum tardiorem, corpus aliquanto compactius, oſſa grandiora; ac tandem colorem pallidum, motus tarditatem, corporis mollitiem procreat pituita, ſeu φλέγμα: a varia autem corporis conſtitutione propenſionum, morumque varietatem aliqua ex parte pendere, ſupra diximus (*lib.4. cap.2.*) Porro cum indole convenire, ac moribus ſolet inceſſus, quem indicium eſſe vel ſuperbiæ, vel avaritiæ, vel incontinentiæ, vel crudelitatis, vel levitatis, ignaviæ etiam, & doli, ſcribit Heineccius [*Elem. Philoſ. Mor. cap. 2. ſect.4.*] Cum autem greſſus decorum

rum ſervat, virtutum eſt index, ut prudentiæ, ut modeſtiæ, ut gravitatis. Sæpe tamen incerta eſt coniectura.

III. Certiora indicia poſita ſunt in dictis & factis: nam ſermo naſcitur a cogitatione; cogitatio autem a moribus, & propenſione voluntatis. Quare ſcribit Seneca (*Epiſt.* 114.) *Iracundi hominis iracunda oratio eſt, commoti nimis incitata, delicati tenera & fluxa*. Et paullo poſt (*cit. loc.*) *nulli moleſta eſt, niſi animus labat. Ideo ille curetur: ab illo ſenſus, ab illo verba exeunt, ab illo nobis eſt habitus, vultus, inceſſus*. Et rurſus (*Epiſt.* 115.) *Cujuſque orationem videris ſollicitam & politam, ſcito animum quoque non minus eſſe puſillis occupatum ..... Oratio vultus animi eſt, ſi circumtonſa eſt, & fucata, & manufacta, oſtendit, illum quoque non eſſe ſincerum, & habere aliquid fracti: non eſt ornamentum virile concinnitas*. Quæ & in orationem cadunt literis conſignatam, atque in ſcribendi modum (*vid. Heineccium cit. loc.* §. 127.)

IV. Facta item, ſaltem progrediente ætate, ut fructus arborem, cujuſque naturam & mores in lucem proferunt: nam difficile eſt ſemper contra naturam niti: incidunt cauſæ, ut comporationes, ut perturbatio aliqua, ut colloquia cum familiaribus, in quibus perſona deponitur ingenio & veritati contraria. Nihilominus in his, de quibus dixi, poteſt eſſe etiam diu ſimulationi locus; ſed affectiones, & occulti motus animorum facile apparent in geſtu, in vultu, in oculis, ut mœror, lætitia, amor, odium, zelotypia, iracundia: nam affectiones concitantur etiam ſine juſſu voluntatis, nec tantum relinquunt ocii ac temporis, ut ſimulationum involucris tegi, & quaſi velis quibuſdam obtendi poſſint. Quamobrem vel qui continent querimonias, ii vix occultant animi perturbationem, ipſique ſapientes laude, aut vituperatione permoventur, nec temperant a verbis; præſertim ſi ſolertia quadam ſtudeas id, quod latet, elicere. Equidem hoc pacto ipſemet exploravi, quid nonnulli cogitarent, quidve ſentirent: cum enim levi quadam exprobratione eos ad iracundiam excitaſſem aliquando, non tantum vultu, verum & verbis de me etiam aperire non dubitarunt ſententiam ſuam, quod nullo modo tranquilli, pacatique feciſſent. Adoleſcentes quidem, & pueri facillime affectiones patefaciunt, præſertim oblata opportunitate V. C. ludi, convivii, oble-

ſtationum, rixæ, caſtigationis, familiaritatis & colloquii inter ſocios & pares procul a virorum præſentia, quorum auctoritatem vereantur. Iccirco tum maxime animadverſio adhibenda eſt, permittendumque interdum, ut erumpat indoles & natura, quæ latet.

V. Caput autem, ſi forte vox nulla audiatur, totius animi ſimulacrum eſt: *omnis enim motus*, ait Tullius (*de Orat. lib. 3.*) *ſuum quemdam a natura babet vultum, & ſonum, & geſtum; totumque corpus hominis, & ejus omnis vultus, omneſque voces, ut nervi in fidibus, ita ſonant, ut a motu animi quoque ſunt pulſæ*. Et deinde: *ſed in ore ſunt omnia. In eo autem ipſo dominatus eſt omnis oculorum . . . . . Animi eſt omnis actio, & imago animi vultus eſt, indices oculi: nam hæc eſt una pars corporis, quæ, quotquot animi motus ſunt, tot ſignificationes, & commutationes poſſit efficere*. Tum addit: *oculos autem natura nobis, ut equo, & leoni ſetas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit*.

VI. Qui vero alienas affectiones perſpicere non poſſit ipſe per ſe, quænam illæ ſint, fortaſſe diſcet a familiaribus: qua tamen in re circumſpectione, accurataque conſideratione utatur neceſſe eſt, & videat, ne falſo rumore fallatur: nam domeſtici & familiares vel amore, vel odio etiam ſæpe ducuntur ad dicendum, & judicandum: ſi tamen vera dicunt, nec diſſimulant, teſtes ſunt omnium optimi: nam qui prodit in publicum, & in multorum oculis, conſpectuque verſatur, ſtudet vitia tegere, & continere naturam, cui vim fere non facit inter domeſticos. Quapropter qui ſapit, is quovis loco ac tempore, ſive cum ſuis, ſive cum aliis, occultat animi perturbationes, aut potius comprimit & coercet, ut virum bonum decet, ne unquam ſit ulla erumpendi via: ſi enim illæ compertæ ſint, facile inimicis & callidis arma ſubminiſtrantur.

VII. Alienarum affectionum cognitio multas habet opportunitates cum in gerenda republica, & domo, ac familia bene adminiſtranda, tum in privatæ vitæ ratione prudenter retinenda, & cum dignitate. Principes quidem cognitas habeant, oportet eorum affectiones, quos præficiunt rebus publicis, & adhibent adminiſtros ad gubernationem, commoditatemque populorum: male enim iis & principis exiſtimatio

tio, & gravia negocia, ac publica committuntur, qui timidi ſint, qui melancholici, qui cupidi, qui audaces, qui libidinoſi, aut aliis perturbationibus concitati, cum quibus nec prudentia, nec juſtitia, nec animi magnitudo & conſtantia, nec humanitas poteſt conſiſtere, nec continentia; quæ quidem virtutes, aliæque generis ejuſdem maxime neceſſariæ ſunt gerenti magiſtratum. Similiter qui familiæ, aut ſocietati præeſt, eam quidem reget multo ſapientius, ſi cujuſque affectiones perſpexerit: neque enim omnes gubernandi ſunt eodem modo; ſed ut fert ſingulorum affectio, & natura. Iccirco fere conſentaneum eſt timidos excitare & confirmare benignitate, audaces quadam ſeveritate comprimere, mœrentes ac triſtes ſolari quidem, at non ſinere, eos in otio deſidiaque languere & hebeſcere; appetentem honoris & gloriæ adhortari, ut in veræ laudis, quæ a recte factis naſcitur, cupiditate verſetur, & in flagitia labi ſibi ducat infamiæ; amanti proponere ſolidum ac verum bonum, quo adepto, poſſit beate vivere; qui ſpe ducitur, ei præmia virtutis ampliſſima polliceri; quorumdam odium transferre, & convertere ad malefacta; lætitia qui effertur inſolentius, hunc ſenſim abducere ab oblectationibus, atque inanitate ludorum, & ad gaudium revocare, quod firmum ſit & ſempiternum; iracundos non tum fere punire, cum peccant, ſed cum animi motus ita deferbuit, ut id, in quo peccarint, ipſimet poſſint cognoſcere.

VIII. Ex quo conſequens eſt, maximam in gubernandis hominibus, & in civili, vel domeſtica diſciplina adhibendam eſſe prudentiam, & judicii ſagacitatem. Similiter cuique in privata vita utile eſt eorum, quibuſcum verſatur, affectiones habere perſpectas ad cautionem tum in familiaritate & colloquiis, ut ſe ad aliorum mores & naturam accommodet, cum fieri poteſt honeſte, & humanæ ſocietatis tuendæ gratia; tum in conciliandis, inſtituendiſque amicitiis, ne deinde has divellere cum dedecore, & moleſtia neceſſe ſit; tum denique in contrahendo, ne detrimentum & incommodum conſequatur, ut fere contingit, ſi quocum contrahis, perturbatis motibus cietur, ut metu, ut vehementi cupiditate honoris, voluptatum, & divitiarum. Hactenus de affectionibus univerſe.

PARS II

De ſingulis Affectionibus.

CAPUT I.

De Amore.

I. AMor eſt inclinatio voluntatis rei cuidam adhærentis, quæ bona videatur. Ex quo conſequens eſt, rem amori objectam eſſe id, quod aut in ſe, aut opinione ſit bonum: neque enim tantum bonitate, ſed & bonitatis umbra adducimur ad amandum. Dicitur vero etiam pulchritudo amori propoſita: nam bonum, & pulchrum vix differunt; iccircoque Græci una τȣ̃ καλȣ̃ voce utrumque ſignificant: quod enim pulchrum eſt, idem concinnum: quod concinnum, idem bonum; & contra. Amor igitur, cum verſetur in pulchro, turpes voluptates, quæ furioſæ ſunt & inſanæ, abominatur; quippequæ pulchritudini ſunt contrariæ: repugnant enim concinnitati. Ineſt autem pulchritudo in animis, in officiis, in doctrinis, aliiſque hujus generis, quamquam ſub ſenſum non cadunt; quæ quidem eadem eſt bonitas: at quæ cernitur in corporibus, eſt quaſi imago, & flos bonitatis interioris, iccircoque amatur. Sic virtus decorem quemdam præſefert, ut in verbis, in geſtu, in operibus honeſtiſſimum; ita plerumque in vultu. Ejus floris illecebris quaſi eſca quadam latens bonitas allicit intuentes. Accedit, quod pulchritudo radius eſt divinæ bonitatis, quæ cum ex ſe ſit amabilis, ejuſdem amatur pariter adumbratio. Contta deformitas odioſa eſt: indicium enim vi-

videtur eſſe cujuſdam latentis improbitatis: quare eſt in veteri proverbio, qui deformis ſit, eumdem eſſe difficilem, moroſum, aſperum. Porro cum ea inclinatio & propenſio, qua amoris naturam, vimque diximus contineri, pacata eſt, actio eſt unius voluntatis, qualis ineſt in beatis mentibus; cum adjunctum habet motum eorum humorum, qui ſunt in corpore, & ſpiritus nuncupantur, affectio eſt, de qua quærimus. Quo pacto hi ſpiritus cieantur, ad Phyſicos attinet explicare.

II. Eſt autem amor multiplex; hoc eſt, cupiditatis; cum quidpiam amatur, ut nobis bonum, benevolentiæ, cum alteri optamus, bene eſſe, noſtra etiam utilitate detracta; amicitiæ, cum mutuus eſt amor, & naſcitur a virtute, quæ ex ſeſe allicit voluntatem. Cum Deus amatur in ſe, & homines ejus gratia, charitas nominatur virtutum maxima, in qua verſantur Theologi.

III. Amor quidem cupiditatis, qui latiſſime patet, atque in omnium fere animos pervaſit, græce φιλαυτία, latine amor ſui, quo quiſque quærit & appetit felicitatem ſuam, & propriæ ſtudet commoditati, poteſt vel rectus eſſe atque honeſtus, vel perverſus & turpis. Rectus eſt, ſi in eorum delectu, quæ ad finem conferunt, & extremum bonorum, is ſervatur ordo, qui eſt divinitus conſtitutus; perverſus autem, cum ſecus. Qui appetit id, quod reipſa ſummum bonum eſt, & potiundi gratia rationem ſequitur ducem, is facit honeſte, & ſapiens eſt; qui vero, ut ſit beatus, ſequitur inſanientem cupiditatem, ut gloriæ, ut divitiarum, & libidinem voluptatum, is facit cum flagitioſe, tum ſtulte. Cæterum errant, qui amorem ſui reprehendunt plane omnem, & præcipiunt, eum ex animo evellendum eſſe radicitus: nam id volunt, quod fieri non poteſt omnino; cum amor ille naturæ ſit, non voluntatis: nam quis neſciat, nos ad felicitatem & ſummum bonum impelli natura, & illud ipſum eſſe, ad quod dicta omnia, facta, & conſilia ſunt referenda? Huc ſpectant omnes etiam nihil tale cogitantes, vel qui privatis negociis, vel qui publicis, qui militiæ, qui artibus, qui ſtudio literarum dant operam: neque in eo ſunt vituperandi; quoniam nunquam oportet privatam utilitatem, quæ ve-

vera ſit, non adumbrata, a Dei cultu, & ſalute reipublicæ, & civium caritate disjungere: his enim ſalus etiam continetur, & felicitas ſingulorum: quamobrem poſſumus ſemper nos ipſos amare honeſtiſſime, & Deum, & homines, quibuſcum vivimus. Tunc igitur jure culpantur, cum hac affectione, propenſioneque naturæ perverſe abutuntur; hoc eſt, ut ſuis cupiditatibus morem gerant, jus violant ſanctæ ſocietatis, intemperanter vivunt, & ſe a Dei obedientia & amicitia alienant; & dum beati volunt eſſe, procellis jactantur, & fluctibus graviſſimarum calamitatum. Hic quidem amor immoderatus & nimius ſummopere improbatur a ſapientibus, & malorum omnium origo eſt: nam, in quo ineſt, is cum omnia ſuis commodis metiatur, nec vir bonus poteſt eſſe, nec bonus civis, & dum vult ſibi uni prodeſſe, vehementer nocet cum ſibi, tum aliis: quoniam cum non obediat rationi, ſed turpiſſimis perturbationibus incitetur, miſere vivat neceſſe eſt, & juſtitia contempta, benevolentia, liberalitate, cæteriſque virtutibus, quibus homines cum hominibus copulantur, nullam habet rationem patriæ, familiæ, amicorum; & modo ſibi conſulat, aut potius conſulere videatur, perniciem affert ipſi communitati: quod feciſſe accepimus Marium, Syllam, Cæſarem, alioſque, ut teſtantur hiſtoriæ (*vid. Plutarc. in vita C. Marii, Syllæ, & Julii Cæſaris*) Contemnit item Dei cultum & religionem, cui ſua commoda, & ipſius corporis voluptates & illecebras anteponit: neque enim ea pati poteſt, quæ præſcribit religio; quippequæ dura & aſpera videantur.

IV. Ex hoc amore tria potiſſimum naſcuntur vitia, quæ orbem terrarum univerſum impura lue polluunt, & quicquid in hoc ineſt boni, labefactant & perdunt, ſaluti & tranquillitati contraria, hoc eſt, incontinentia, avaritia, & ambitio: qui enim nimium ſe amat, voluptates quamquam turpiſſimas conſectatur, & quærit pecuniam & opes quaſi inſtrumenta explendarum cupiditatum, & ſe magni facit, ad quem iccirco refert omnia. Quo fit, ut videat aliena peccata, non ſua, ut id bonum & præclarum contendat eſſe, non quod tale eſt in ſeſe, ſed quod eſſe judicat, ut conſilio adhæreſcat ſemel ſuſcepto, ſpretis amicorum & ſapientum admonitionibus, ut putet, ſe ſapere; quamquam

for-

Digitized by Google

forte ſit & inſipiens, & infantiſſimus: quamobrem cum & ipſe, dum quidpiam facit, quod ignorat, nec aliis agendi poteſtatem, curamque committat, qui ſint periti [*vid. Platon. Dial.5. de Leg.*] vel gravia negocia inverti neceſſe eſt. Lepidum eſt illud Socratis (*apud Stob. tom.1. Serm.23. ex Ariſtonymi tomariis*) *Si quis in theatro coriarios juberet ſurgere, eos ſolum ſurrecturos; ſimiliter ſi fabros ærarios, textores, aut alios generatim. Si autem prudentes, aut juſtos, hic omnes exſurrecturos fore. Eſt autem*, addit Socrates, *hoc in primis in vita perniciosum, quod, cum hominum pars maxima ſtulta ſit, ſapere tamen ſibi videatur.*

V. Verum non tria hæc tantum vitia φίλαυτίαν comitantur, & habent quaſi procreatricem, ſed omnia, ut dixi. *Omnium vero*, ait Plato (*Dial. 5. de Leg.*) *maximum quiddam malum in multorum animis eſt innatum; cujus quidem, cum facile ſibi ignoſcant, remedium nullum excogitant. Eſt autem hoc, quod dicere ſolent, quod natura ſibi quiſque amicus eſt, recteque eſt, ita id ſe habere. Sed revera nimius in ſeipſum amor omnium peccatorum omnibus ſemper eſt cauſa: occæcatur quippe circa amatum, qui amat. Quapropter qui ſe amat, cum ſeipſum magis, quam veritatem, honorandum putet, quid juſtum, bonum, pulchrum ſit, male judicat.* Hunc ergo morbum tam exitialem, tam tetrum, cum ſingulis inimicum, tum familiæ, & communitati, & reipublicæ, & religioni, ut depellamus ex animo, diligentiſſime curandum eſt, atque intelligendum, quod ſupra dixi, ſine aliorum, & ſocietatis, & religionis bono noſtrum nullo modo poſſe conſiſtere: ſic enim Dei providentia conſtitutum eſt, ut partium, membrorumque ſanitas nexu omnium inter ſe, & totius corporis ſanitate conſervetur. Sapienter itaque ſcriptum eſt a Platone (*Dial. 5. de Leg.*) *decet ſane, eum, qui magnus vir futurus eſt, neque ſeipſum, neque ſua diligere, ſed juſta ſemper.* De φίλαυτία quæ eſt amor ſui, hactenus; de benevolentia, & amicitia ſupra diximus (*lib.3. part.3. cap.17. & 18.*)

VI. Quemadmodum vero nos ipſos & recte amare poſſumus, & perverſe; ita alios: cum enim id volumus & optamus hominibus, quod reipſa bonum eſt; quamquam ſperamus fore, ut inde in nos honeſtum aliquod proficiſcatur emolumentum, recte facimus: nam fere amor civilis hic bo-

no-

Ita me amor lapſum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, jactat, largitur: quod dat, non dat, deludit:
Modo quod ſuaſit, diſſuaſit: quod diſſuaſit, id oſtentat.

Quamquam vero hæc ὑπερβολικῶς dicta videantur, non tamen abſunt a veritate: neque enim ullæ ſunt tempeſtates cum iis, quas amor concitat, comparandæ. Quamobrem nihil mirum eſt, ſi eum motum cum ſumma levitas, tum flagitia fere omnia comitantur. *Totus vero iſte*, ait Tullius (*lib.* 4. *Tuſc. qq.*) *qui vulgo appellatur amor* (*nec hercule invenio quo nomine alio poſſit appellari*) *tantæ levitatis eſt, ut nihil videam, quod putem conferendum*. Sed non modo habet levitatem, verum etiam inſaniam: perturbat enim mentem, eamque e ſuo loco dimovet. Cum tamen inſania hæc ſit voluntatis, hominem non liberat a peccato; immo eum in omne turpitudinis genus dejicit. Quod Charinus explicat (*apud Plautum in Mercator. Prologo*)

. . . Amorem hæc cuncta vitia ſectari ſolent,
Cura, ægritudo, nimiaque elegantia:
Hæc non illum modo, qui amat, ſed quemque attigit,
Magno, atque ſolido mulctat infortunio.
Nec pol profecto quiſquam ſine magno malo,
Præquam res patitur, ſtuduit elegantiæ.
Sed amori accedunt etiam hæc, quæ dixi minus,
Inſomnia, ærumna, error, terror, & fuga,
Ineptiæ, ſtultitiaque adeo, & temeritas,
Incogitantia excors, immodeſtia,
Petulantia, cupiditas, & malevolentia.
Inhæret etiam aviditas, deſidia, injuria,
Inopia, contumelia, & diſpendium,
Multiloquium, parviloquium . . . . .

Qui hac libidine, & quaſi rabie corripiuntur, continuo ſe avocant & alienant a ſtudio artium & diſciplinarum, in quibus excellere potuiſſent; unaque in re defixi alias cogitationes non capiunt, & modo indulgeant dominanti perturbationi, abjiciunt obedientiam in Deum, in parentes, in

alios, quibus parere neceſſe ſit, amicos non audiunt, in diſcrimen adducunt vitam & dignitatem, odia & ſimultates ſuſcipiunt, deſerunt familiam & patriam, & quamquam diſſipato patrimonio non commoventur, atque ita vivunt, ut humanitatem interdum omnem exuiſſe videantur, ſemper aridi, pallentes, humiles, abjecti, ignavi, diu noctuque ſolliciti, ac ſæpe mala corporis valetudine afflicti, ac plane proſtrati. Videmus adoleſcentes, quorum magna erat expectatio, immo & progreſſio in rebus optimis, hac perturbatione quaſi vi tempeſtatis abreptos, inglorios ac miſeros fuiſſe in omni vita, cum, ſi primis ſtudiis adhæſiſſent, beate & cum laude vivere potuiſſent. Qui ſapit, is alienis malis & periculis eruditur, atque intelligit, ubi amor eſt, ibi judicium & prudentiam eſſe non poſſe.

VIII. Amor certe quanta miſeriarum excitarit incendia, teſtis eſt omnis antiquitas, immo & ætas noſtra. Quam luctuoſi fuerint amores Antonii, Cleopatræ (*Plutarc. in vita Antonii*) L. Catilinæ [*Salluſt. in Conjurat. Catil.*] immo & Sampſonis (*Judic.* 16.) & Salomonis [3. *Reg.* 11.] & aliorum, qui paſſim occurrunt apud ſcriptores, res pervulgata eſt, nota & manifeſta omnibus. Ipſe Lucretius Carus, amatorio poculo accepto, furore percitus fertur ſeipſum interemiſſe (*Lambin. in ejus vita*, *Capaſſ. hiſt. philoſophic. lib.* 4. *cap.* 1. *Euſeb. in Chronico Olymp.* 171.) Sed magno ſemper illud futurum eſt exemplo poſteritati, quod amoris libidine, rabieque geſſit Henricus Britannorum rex Octavus nomine: hunc enim ſingulari ſcientia præditum, & ſanctiſſimis inſtitutis imbutum amor commutavit in belluam tam obſcenam, tam immanem ac tetram, ut nulla truculentior inveniri poſſe videretur, quippequæ & magnam honeſtiſſimorum civium, & ſacrorum antiſtitum multitudinem indigniſſime trucidarit, & templa diripuerit, & regni ſui gloriam, & religionem funditus everterit, & tandem humana omnia, & divina jura violarit (*vid. Sanderus de Origine*, & *progreſſu Schiſmatis Anglicani*) Sinamus itaque poetas inſanire, *quorum fabulis*, ut Tullius ſcribit (*Tuſc.qq. lib.*4.) *in hoc flagitio* (hoc eſt, in amore) *verſari ipſum videmus Jovem*, & a peſte tam nefaria & calamitoſa caveamus; quæ ſi forte jam innaſci cœperit in animo, curandum diligenter eſt, ut

evel-

Digitized by Google

atur. *Sic igitur affecto*, ait Tullius (*Tuſc. qq. lib. 4.*) *hæc adhibenda curatio eſt, ut & illud, quod cupiat, oſtendat, quam leve, quam contemnendum, quam nihil ſit omnino, quam facile vel aliunde, vel alio modo perfici, vel omnino negligi poſſit. Abducendus eſt etiam nonnunquam ad alia ſtudia, ſolicitudines, curas, negocia. Loci denique mutatione, tamquam ægroti non convaleſcentes, ſæpe curandus eſt. Etiam novo quodam amore* (hoc eſt, honeſto) *veterem amorem tamquam clavo clavum ejiciendum putant. Maxime autem admonendus, quantus ſit furor amoris: omnibus enim ex animi perturbationibus eſt profecto nulla vehementior; ut ſi jam ipſa illa accuſare nolis, ſtupra dico, & corruptelas, & adulteria, inceſta denique, quorum omnium accuſabilis eſt turpitudo; ſed ut hæc omittas, perturbatio ipſa in amore fœda per ſe eſt: nam ut illa præteream, quæ ſunt furoris, hæc ipſa per ſeſe quam habent levitatem, quæ videntur eſſe leviora?*

. . . . injuriæ,
Suſpiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rurſum. Incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias.

Hæc inconſtantia, mutabilitaſque mentis quem non ipſa pravitate deterreat? eſt enim illud, quod in omni perturbatione dicitur, demonſtrandum, nullam eſſe (*intellige immoderatam*) *niſi opinabilem, niſi judicio ſuſceptam, niſi voluntariam: etenim ſi naturalis amor eſſet, & amarent omnes, & ſemper amarent, & idem amarent, neque alium pudor, alium cogitatio, alium ſatietas deterreret.*

IX. Et pudor quidem magnam vim habet, niſi animus humilis ſit & fractus omnino, idemque amens & cæcus: quis enim non videt, ſummopere dedecere, hominem, qui ad mundi ornatum, & admirabilem ordinem contemplandum natus ſit, ipſumque omnium conditorem & moderatorem Deum, ab unius mulierculæ nutu pendere quaſi turpiſſimum ſervum, atque ab ejus amore non poſſe divelli, & eam voluptatem quærere, quæ maxime flagitioſa ſit, & cauſam afferat pœnitendi? Cum vero ſint, qui Platonici amoris nomi-

ne tegere & velare ſtudeant turpitudinem ſuam, & ſummi philoſophi majeſtatem, auctoritatemque deprimant, ne peccare ipſi videantur; quid de amore hoc, quem habent in ore, ſenſerit Plato, explicandum eſt. Docet igitur (*in Conviv.*) quo pacto quis quaſi quibuſdam gradibus ad ſummum pulchrum, hoc eſt, Deum, poſſit aſcendere, & præſcribit, ab uno ad duo eſſe progrediendum, & a duobus in omnia, quæ pulchra ſunt, corpora; ab his ad pulchritudinem animorum; a pulchritudine animorum ad pulchritudinem officiorum & legum; ab hac ad omnium pulchritudinem doctrinarum; a pulchritudine doctrinarum ad eam doctrinam, quæ ipſius ſummi pulchri doctrina eſt; ac tandem ipſum pulchrum in ſeſe eſſe contuendum, quod ſemper idem eſt, nec naſcitur, nec interit, nec creſcit unquam, neque decreſcit, & pulchrum eſt ex omni parte, & quovis tempore, nec pulchritudinem habet cum corpore, officio, doctrinaque communem, aut inhærentem in alio, & quaſi fortuitam, ſed a natura ſua minime diſcrepantem, quæ etſi communicatur cum omnibus, quæ pulchra ſunt, atque hæc intereunt, aut naſcuntur; ei tamen nihil addi, aut detrahi poteſt; & concludit Plato, eum, qui ſummum pulchrum videat, eique cohæreat, beatum fore.

X. Hic quidem amor eſt Platonicus, idemque honeſtus, nobilis, generoſus, immo divinus, quo per res creatas ad Deum ducimur ſummum & infinitum bonum: ſed quæ illius cum amore muliebri ſimilitudo, quæ affinitas, quæ cognatio? alter enim animum ſurſum erigit, tollitque a terra altius; alter deprimit & defigit in lutum: ille virtutes comites habet; hic vitia: quare ille a Platone jure laudatur; hic autem vituperatur acerrime. Cum vero ſcribit Plato, ad Dei amorem gradum eſſe primum corporum pulchritudinem, neſcio, cur muliebrem præſertim formam ridiculi amatores interpretentur, de qua Plato non meminit; quaſi admirabilis, atque abſolutiſſimus ordo naturæ, conſentientes æquabileſque Cæli motus, ſplendor aſtrorum, & Solis, totius mundi pulchritudo ſempiterna atque perfectio, via non ſit multo tutior, qua ad ſummum pulchrum perveniri poſſit, quam in periculoſa ſpecie ac forma verſari, quæ floris inſtar brevi flacceſcat & decidat. Itaque non ſunt audiendi poetæ, qui e muliebri aſpectu animum ad Deum extolli volunt,

lunt, & amorem in Deorum grege annumerant: *o præclaram*, ait Tullius [*Tuſcul. qq. lib.4.*] *emendatricem vitæ poeticam! quæ amorem flagitii ac levitatis auctorem in concilio Deorum collocandum putet*. Profecto videmus neminem, qui amatoriam levitatem cum virtute ac Dei amore conjungat.

XI. Dixi, quid ſit amor, & quotuplex, & quam inſano amori & maxime pernicioſo oporteat adhibere medicinam. Nunc quæ ſint cum amoris cauſæ, tum effecta, dicendum eſt. Generatim alios amandi cauſa eſt id, quod placet: etenim ut, quod placet, id amamus in nobis, ita in aliis; quos item amamus, quia illis ea inhærent, quæ nobis grata ſunt, & probantur. Quo fit, ut morum, ſtudiorumque ſimilitudo ſit plurimum ad conciliandam benevolentiam idonea: nobis enim gratum eſt, alios eſſe, qui ſtudiis noſtris ac moribus delectentur, idemque judicent eſſe faciendum, quod ipſi ſequimur: hoc enim modo judicium noſtrum probant; quod quidem nobis maxime gratum eſt. Fit etiam, ut qui ſibi proponit cujuſpiam bonum, eum amet; contra oderit, ſi malum, quod in illo ineſt, ſecum ipſe conſideret & contempletur. Eam ob rem, quoniam uſuvenit, ut quæ in amico bona ſunt, ea cernamus, non mala; in adverſario autem & inimico quæ mala, bonis poſthabitis, immo ipſa eadem, quæ bona ſunt, mala videantur; iccirco illum amamus, hunc odimus: ac parentes mirifice filios diligunt, quamquam ſæpe vitioſos; quia vitia ipſa animo & mente concipiunt quaſi virtutes, aut ſaltem ea ita minuunt, ut nuſquam appareant. Plus etiam in illis opinantur eſſe pulchritudinis, venuſtatis & gratiæ, quam reipſa ſit: nam rei amatæ, hoc eſt, filiorum notionem, quam habent in mente acceptam a ſenſibus, inſtaurant, ornant, perficiunt: quare progrediente tempore non rem in ſe contuentur, ſed ejus ſimulacrum, quod animus, impellente amore, effinxit multo perfectius, ideoque opportunius ad augendam in natos benevolentiam: ex quo extat fabella (*apud Avienum* 14. *poſt Phædrum*)

Juppiter in toto quondam quæſiverat orbe,
Munera natorum quis meliora daret.

Cer-

Certatim ad regem currit genus omne ferarum,
Permixtumque homini cogitur ire pecus.
Sed nec ſquamigeri deſunt ad jurgia piſces,
Vel quicquid volucrum purior aura vehit.
Inter quos trepidæ ducebant pignora matres,
Judicio tandem diſcutienda Dei.
Tunc brevis informem traheret cum ſimia natum,
Ipſum etiam in riſum compulit ire Jovem.
Hanc tamen ante alias rupit turpiſſima vocem,
Dum generis crimen ſic abolere cupit:
Juppiter hoc norit, maneat victoria ſiquem
Judicio ſupereſt omnibus iſte meo.

XII. Rurſus conſequens eſt, ut qui divitias & opes, qui pulchritudinem, qui artem aliquam, vel doctrinam, ac ſcientiam magni faciunt, eos ament, in quibus hæc ineſſe animadvertant. Atque eodem modo ſi quid videant in alio, quod ſibi bonum & utile poſſit eſſe, eum amant: quoniam id placeat neceſſe eſt. Igitur qui gloria ſummopere delectatur, eos diligit, ex quibus poſſit gloriam conſequi, ut divites, nobiles, literatos, quorum familiaritatem appetit. Utilitatis, aut voluptatis gratia amantur etiam animalia, & res, quæ ſenſu carent; & ſunt, qui hæc ament ardentius, quam homines, quod efferati animi eſt, & abjecti. Res quidem inanimæ, ac rationis expertes amari honeſte poſſunt, ut rudia quædam ſunt lineamenta divinitatis, & Dei pulchritudinem repræſentant quodammodo, ſapientiam, potentiam, bonitatem, & nos extollunt ad Deum, & via ſunt ad ſempiternam felicitatem, vel ut inſtrumenta, & quaſi adminiſtri, quibus utitur Deus ad punienda malefacta, & ad excolendam, firmandamque virtutem. Cæterum in ſe humiliora ſunt hæc, quam ut amari debeant ab homine, qui natus eſt ad diligendum Deum; immo fugienda ſunt, ſi a ſummo bono nos avocant. Cum id placeat, quod utile eſt, iccirco virtutes quædam, ut liberalitas, benevolentia, miſericordia, benificentia, gratificatio, ex quibus emolumentum & fructus late permanat, amantur ab omnibus; aliæ vero non ita, ut veritas, quæ interdum odium parit: quoniam nobis fere ingratum eſt ea patefieri, in quibus peccamus,

Digitized by Google

mus, propter ſuperbiam. Nihil eſt autem, quod magis excitet ad amandum, quam amor: amari enim ab aliis & utile eſt, & placet cuique plurimum; cum ſit argumentum ejus bonitatis, quam in nobis ineſſe judicant. Hic vero amor cupiditatis eſt, non benevolentiæ & amicitiæ.

XIII. Cæterum ad diligendum non ſemper neceſſe eſt, quicquam exiſtimari ut bonum nobis, quod Carteſio eſt viſum (*de Paſſionib. part.* 2. *art.* 56.) nam contingit, ut alicui optemus bonum non noſtri cauſa, ſed illius (*vid. Wolfium Pſycolog. part.* 2. *Sect.* 1. *cap.* 3. §. 653.) Certe amamus homines etiam propter virtutes, ſeu quæ intelligentiam perficiunt, ſeu voluntatem; quamquam ex his nihil in nos boni proficiſcatur. Amoris cauſa cum ſit id, quod placet, ut dixi, placere autem nihil poſſit, niſi ſit idem cognitum, liquet cognitionem amori præire oportere: quo efficitur, uſum & conſuetudinem valere ad fovendam, augendamque charitatem, ſi dotes animi proferantur in lucem, ſecus autem ſi vitia. Amoris efficacitas prima, ac ſumma eſt e multis unum facere, atque e diverſis idem: nam qui amat, is in rem transfertur, quam amat, eique voluntate conglutinatur: quamobrem ſibi ea putat accidere, quæ rei amatæ accidunt aut proſpera, aut adverſa, aut grata, aut ſecus; & quæ in illam fiunt maleficia, aut beneficia conferuntur, eodem habet loco, ac ſi omnia ad ſe pertinerent. Amor item communem facit moleſtiam, & voluptatem. Hoc vero eximium eſt, & ad humanæ reipublicæ felicitatem confert maxime.

XIV. Quæ cum ita ſint, amor, qui ſit honeſtus, animum mirum in modum perficit, atque eo magis, quo res eſt amata præſtantior propter mutuam, de qua dixi, copulationem. Quocirca qui Deum diligit, is nobiliſſimus ſit, neceſſe eſt, ac plane divinus. Quis vero non velit, ſi poſſit, præſtare quammaxime? Profecto ſi cui optio daretur, & poteſtas eligendi ac deliberandi, velitne eſſe aut lapis, aut arbor, aut animal, an homo, an aliquid etiam ſupra hominem, quem putamus ita inſipientem fore, ut id, quod ſummum & præſtantiſſimum eſt, non eligat? atqui præcellentem hunc gradum aſſequi poteſt, ſi ſummæ, ſupremæque naturæ amore cohæreat.

XV.

XV Contra qui amat rem turpem, eum oportet infici tanto fœdius, quanto eſt illa humilior & flagitioſior, quacum conjungitur. Itaque qui amorem rem ſacram, & ipſum ſe in terram, cœnumque proſternit ac dejicit, non modo caret gaudio, eaque felicitate, quam purior & nobilior amor pollicetur, ſed etiam incredibili turpitudine ac labe commaculatur. Ex quo genere ſunt ii præſertim, qui amore flagrant obſcenarum voluptatum. Ex ea, de qua dixi, amantis copulatione cum re amata fit etiam, ut qui alium amat, ex ejus bonis delectationem capiat, ex malis autem moleſtiam; iccircoque curet & dictis, & factis quicquid eum ſciat velle, atque id avertat, & propulſet, quod ipſi ſuſpicetur, vel intelligat diſplicere: quamobrem cum amico libenter communicat proſpera, occultatque contraria; eidemque ſtudet perfectionem addere, quam poſſit, maximam. Quod idem faciunt nonnulli etiam cum rem amant aut ſenſus, aut rationis expertem: picturam enim, tabulamque ſi quam caram habent, ornant argento, vel auro, & catulos non modo nutriunt molliter & delicate, ſed veſtiunt etiam ſerico, atque perpoliunt. Inauditum eſt, quod feciſſe accepimus ex Suetonio (*in C. Caligula*) C. Caligulam: hic enim equo, quem vehementius adamaret (nec mirum qui bellua eſſet moribus, eumdem ad belluæ ſe applicuiſſe ſocietatem) præter marmoreum ſtabulum, & eburneum alveum inſtar lintris, in quo veſceretur, & monile e gemmis, & purpurea integumenta, domum etiam, & familiam, & ſupellectilem conſtituit, immo & deſtinaſſe fertur conſulatum. Ex quo quæ magis fuerit bellua, Caligula, an equus, incertum eſt; ſed illud certiſſimum, equum a Caligula turpitudine quam longiſſime eſſe ſuperatum.

XVI. Ex inflammato amore quædam item naſcitur animi abalienatio a ſenſibus: neque enim ubi eſt, animus vivit, ſed illic, ubi eſt is, quem amat, cui adhæret perpetuo mente & voluntate, & quem libenter alloquitur, auditque, ſi poſſit.

XVII. Nunc ſupereſt, ut de amoris dotibus pauca dicam, quarum prima eſt, non quieſcere, donec re, quam quærit, potiatur. Cum vero id præſertim voluntas noſtra amet & appetat, quod ſummum & extremum bonum eſt, in

in nulla re creata poteſt omnino conquieſcere. Altera eſt in actione verſari: neque enim iners eſt amor, ſed actuoſus inſtar ignis, & hujuſmodi, ut magna faciat & patiatur, moliaturque majora: quamquam enim aliis ſatisfaciat omnibus, ſibi ipſi nunquam ſatisfacit. Hic autem animi vigor manat etiam in corpus; quamobrem amor, niſi aliis turbidis affectionibus inficiatur, prodeſt ſanitati propter dulcem ſenſum, æquabilemque motum ſanguinis. Atque inde exiſtit dos tertia, hoc eſt, nullis rerum difficultatibus a propoſito deterretur; immo incenditur vehementius, & roboratur objectis impedimentis. Quarta eſt incommoda & labores non modo mollire, ſed etiam ea perfundere voluptate, ut, quod durum eſt, id jucundum videatur; ac perſuadere, quod arduum ſit, idem eſſe glorioſum.

XVIII. Quæ ſcripſi in hoc capite, ea ſatis oſtendunt, magnam eſſe amoris vim in utramque partem: quoniam eo ſi recte utimur, magnum quoddam adjumentum habemus ad animum erigendum, ad parandam virtutem, ad tuendam augendamque tranquillitatem cum ſingulorum, tum reipublicæ, ad egregia quævis perficienda cum voluptate, ac tandem ad conſequendam felicitatem. Contra vero ſi quis amore intemperanter utatur, incidit in ærumnas, ex quibus vix poſſit evadere, alioſque in eamdem perniciem trahit. Quapropter videant in primis adoleſcentes, quid amare incipiant, & quorſum, ne contingat aliquando, ut inſaniam ſuam, & male actæ vitæ rationem fruſtra deteſtentur & doleant; & cum, niſi plumbei plane ſint, omni amore carere non poſſint, honeſtum ſequantur, a turpi caveant omnino.

Digitized by Google

CAPUT II.

De Odio.

I. ODium eſt animi permotio, qui declinat ab re, quæ mala ſit in ſeſe, aut eſſe videatur. Quo efficitur, non eaſdem res odioſas eſſe, & inviſas ſingulis, aut eodem modo: ſunt enim permulti, qui vehementer errant in judicando, &, quod bonum eſt, id ducunt in malis, & contra; vel quod malum eſt, id cenſent eſſe deterius. Iccirco qui divitias maximi faciunt, pulchritudinem, nobilitatem, valetudinem, voluptatem, iidem ſummopere oderunt, horrentque contraria; & homo apertus ac ſimplex odit vafrum & callidum, fortis ignavum, avarum ac ſordidum liberalis, humilem generoſus. Enimvero nomen odii late patet: nam & qui habet animum averſum ab alio, & qui cuipiam malum cupit, & qui vult & molitur inferre, is odiſſe dicitur. Quamquam averſus animus, ſeu abalienatio eſt odii vis & natura, a qua reliqua proficiſcuntur, ut effecta a cauſa. Hæc autem abalienatio, & quaſi declinatio mali a natura utiliter data eſt non modo hominibus, ſed etiam belluis; quippequæ ut quærunt & appetunt ea, quæ utilia ſunt, ita declinant & fugiunt, quæ nocitura videantur: cum enim neceſſe ſit animalium genera conſervari, iccirco ſingulis datum eſt, ut ſe, vitamque ſuam tueantur, atque id fugiant & oderint, quo vel deteriora fiunt, vel omnino tolluntur & pereunt. Quo fit, vitam eſſe ſervandam præceptione naturæ, nec licere homini injuſſu ejus, a quo conditus eſt, hinc diſcedere, & abs ſe jus vivendi abdicare pro libito. Ex eo appetitu declinandi mali motus ſequitur eorum inſtrumentorum, quæ cum ſint ad eam rem neceſſaria, ope partium tenuiſſimarum in nervis fluitantium incredibili celeritate permoventur: quamobrem ubi primum incurrit in oculos vipera, ferum quoddam animal, præceps locus, pedes ſtatim concitantur ad fugiendum, & alia membra ad repellendum malum, quod imminet. Igitur affe-

fectio hæc, de qua quærimus, honeſta eſt; modo tamen in eo malo verſetur, quod reipſa malum ſit, non opinione: ex quo genere omnium maximum eſt peccatum & vitium; quod & unicum & ſingulare nominari poteſt: quæ fuit ſententia Stoicorum: quoniam, cum eo ſi cætera comparentur, nulla ſunt propter levitatem: nocent enim, ſi quid nocent, tantum corpori, ut mala valetudo, ut deformitas, ut paupertas; quamquam & corpori prodeſſe poſſunt in poſterum: at peccatum perniciem affert cum corpori, tum animo ſæpenumero ſempiternam: quapropter reliqua, quæ ſunt, mala licet ſuſcipere etiam ſponte, modo prudenter; ſed peccatum, nunquam; quippequod malum eſt abſolute, illa comparate. Nihil tamen obſtat, quominus & morbum, & infamiam popularem, & inopiam, aliaque generis ejuſdem averſemur, dummodo honeſte ac moderate; & cum hæc, quæ ducuntur in malis, repelli non poſſunt, ea æquo animo, & toleranter feramus, ut fortem & chriſtianum virum decet. Verum ſunt non pauci, qui odio fervent in ea, quæ amore digna ſint, atque adeo in ipſas virtutes, liberalitatem, miſericordiam, juſtitiam, ſobrietatem, continentiam, in admonitores item, atque adhortatores ad honeſtatem, ſedationemque cupiditatum, quorum conſuetudinem, aſpectumque ferre vix poſſunt; cum nolint avocare animum, & abducere a vitiis, quæ placent. Eam ob cauſam homines improbi fere bonos oderunt & aſpernantur.

II. Ex ea animi abalienatione ſæpe naſcitur, ut adverſario velis male eſſe, & promptus ſis ad nocendum, cum potes, aut in fortunis, aut fama, aut vita; atque iccirco ut ex ejus calamitate & interitu voluptatem capias, & contra ex rebus proſperis, & incolumitate moleſtiam. Atque hoc præſertim eſt, in quo verſantur theologi; qui odiſſe ajunt, non quicquam aliud eſſe, quam alteri malum velle.

III. Plura ſunt alia, quæ manant ex odio, & primum ſuſpicio: etenim qui odit, is temere judicat & ſuſpicatur, in homine inviſo ineſſe multum vitioſitatis & flagitiorum, ſimulationem etiam quamdam, vaframque calliditatem, & turpitudinem tegi umbra & involucro virtutis; ab eodem ſibi timet inſidias, dolos, infamiam: quamobrem cum aliquem audit inimici famæ, atque exiſtimationi detrahentem,

tum eum libenter audit, tum facillime ſe præbet credulum; quamquam dicta non modo a veritate, ſed etiam a veriſimilitudine omnino aliena videantur; & lætatur plurimum eſſe multos, qui ſententiæ ſuæ de hominis improbitate conſentiant. Deinde ex odio exiſtit invidia, ſeu dolor ex aliena felicitate ſuſceptus: nam rebus ſecundis adverſarius potentior fit ad nocendum; itaque ex ejus felicitate is, qui odit, putat multum detrahi felicitati ſuæ; ex quo invidentia quadam pungitur & laceratur. Tum vero exulcerato animo, & pleno malevolentiæ erumpunt minæ, probra adverſus inimicum, & contumeliæ; niſi tamen occulta ſit ſimultas, & amoris ſignificatione ac ſpecie tegatur, ut ex opportunitate majorem vim habeat, ſecuritatemque ad evomendum virus, quod latet.

IV. Præterea ex odio proficiſci ſolet acerbitas & ſævitia, qua non modo exagitatus animus excurrat foras ad rixas & pugnam, ſed etiam ad inferendam necem, & ſæviendum in cadaver inſtar immanis belluæ: quoniam ne interitu quidem concepta rabies manſuetior efficitur, & quieſcit. Quocirca fabulati ſunt poetæ, etiam poſt mortem odium exarſiſſe, quod fuerat inter Eteoclem & Polynicen fratres, qui cum inter ſe de Thebanorum regno contenderent, in bello mutuis vulneribus ceciderunt: impoſitis enim cadaveribus eidem rogo, flamma diviſa fertur in partes duas, ut conſtaret, odium, quod inter vivos fuerat, ne morte quidem extingui, aut molliri potuiſſe: qua de re ita ſcribit Statius (*Thebaid.* 12.)

Ecce iterum Fratris primos ut contigit artus
Ignis edax, tremuere rogi, & novus advena buſtis
Pellitur, exundant diviſo vertice flammæ,
Alternoſque apices abrupta luce coruſcant.
Pallidus Eumenidum veluti commiſerit ignes
Orcus, uterque minax globus, & conatur uterque
Longius. Ipſæ etiam commoto pondere paullum
Receſſere trabes. . . . .

Interdum certe eo venit hæc perturbatio, ut ſint, qui non modo incommoda & cruciatus, ſed & mortem eligant, & ju-

jucundam putent inimici ulciſcendi gratia, ut Atreus, qui (*apud Senec. in Thyeſte act.* 2.) ait:

> *Hæc ipſa pollens inclyti Pelopis domus*
> *Ruat vel in me; dummodo in Fratrem ruat.*

Odia publica ſolent eſſe plena crudelitatis, quale fuit Amilcaris, & Annibalis in Romanos [*Valer. Max. lib.9. cap.3. inter externa n.* 2. *&* 3.] Nec mirum hæc ita eſſe, quæ diximus: nam odium, cum vehemens eſt, atque alte inhæſit viſceribus, tandem menti affert miſeram cæcitatem; & facit, ut qui inſana hac ægritudine confli&atur, is nullam rationem habeat periculorum, in quæ ſe conjicit, aut vitæ, aut dignitatis, aut fortunarum, familiæ item, ac civitatis; & nihil cogitet, niſi ea, quæ idonea videantur ad explendam libidinem ulciſcendi, & vel hoſpitalitatem violet internecione ac ſanguine, & omnes acerrime inſectetur, qui cum adverſario vel amicitia & conſuetudine, vel cognatione copulati ſint, quamquam inſontes ac boni; ac denique nullum ſit facinus, quod non moliatur, perficiatque, ſi poſſit, ultionis gratia.

V. Odium porro comitantur ira, indignatio, ſuperbia, faſtidium, & ſi qua ſunt hujus generis; & cum ipſum per ſe truculentum eſt, tum accedente præſidio aliarum perturbationum, & præſertim deſperationis, multo truculentius; & vires ſumit, oppoſitis impedimentis, ut torrens objectu aggerum. Apparet autem feritas in fronte, in oculis, in geſtu, in coma, & maxime in oratione.

VI. Cauſa odii generatim eſt id, quod diſplicet, ſeu quod nobis moleſtum, aut noxium videtur: quamobrem damnum, ſi quod ab alio patimur, aut timemus, acceptæ injuriæ, omnia, quæ noſtræ appetitioni & cupiditati contraria ſunt, mala tandem aut in ſe, aut opinione nos ad odium concitant. Cum vero hæc, & alia hujus generis quis odio habet, eum fere odit ſimiliter, cui eadem intelligit inhærere: nam pauci ſunt, qui vitium a perſona ſecernant. Morum etiam diſſimilitudo ſæpe cauſa eſt odii: quiſque enim ægre fert, mores ſuos ab aliis, aut dictis, aut factis improbari. Superbia vero & ambitio magnum obtinet locum inter odii

odii cauſas: quoniam homines elati, ambitioſi, ſuperbi ſibi jure deberi arbitrantur omnia, iccircoque ſe affici injuria, niſi honorem & dignitatis gradus, & munera conſequantur, & niſi laudentur, & magni æſtimentur ab omnibus: itaque eos oderunt, a quibus id non impetrent, quod velint; & quoniam qui eorum ſuperbiæ ſatisfaciat, fere reperiunt neminem, parum abeſt, quin oderint univerſos. Hi quidem nimium ſe amant, & dotes ſuas, quæ interdum nullæ ſunt, opinantur eſſe plurimas & ſingulares. Ex timore item, animi abjectione & imbecillitate proclivitas manat ad odium: nam qui forti, excelſo ac generoſo animo ſunt, ii non tam facile afficiuntur malis, nec vim, aut inſidias & dolos ſuſpicantur ac metuunt; contra qui timidi, qui debiles, qui puſilli & minuti, tanguntur vel levi umbra præſentis, vel impendentis mali, quamquam non veri, ſed opinati. Eam ob cauſam feminæ facile odia concipiunt, & retinent non ſolum diu, at ſæpe in omne poſterum tempus, & cum poſſunt, adverſus inimicos ſæviunt acerrime. Quod idem cadit in eos, qui animum & ingenium habent inſtar feminarum; qui ſi valent opibus & potentia, nagnam quamdam præſeferunt in ultione feritatem, ut feciſſe Caligulam (*Sueton. in ejus vita num.*44.) ac Neronem [*Sueton. in ejus vita præſertim num.* 46.] accepimus. Eadem proclivitas, niſi virtute contineatur, ineſt in melancholicis; quippe qui ſuſpicioſi ſunt, & plerumque opinione ducuntur, & ea vi, quæ Græcis dicitur φαντασία, & ipſi ſe amant vehementius, atque in alios ſolent eſſe duriores, & ſua commoda etiam cum incommodo alieno quærere; præſertim vero eos averſantur, qui eorum voluntati morem non gerunt, aut iiſdem non aſſentiuntur, dum ajunt, ſe vario morborum genere laborare, aut non procul a ſupremo fato abeſſe.

VII. Hæc cum de odio dixerim, videndum eſt, quam huic morbo medicinam præſcribat philoſophia. Primum quidem perpendere oportet attentius, odium plerumque inimico nihil nocere; ei vero, qui odit, & vehementer, & ſemper: nam tam gravi, moleſtaque ægritudine exulceratus animus nunquam quieſcit, ſed dies noctesque curis, metu, invidentia, malevolentia torquetur quaſi carnificina, & furiarum tædis ardentibus: eſt autem dementis tanti emere miſe-

ſeram nocendi voluptatem. Verum hic multum detrimenti capit etiam corporis valetudo: nam odium eam ciet in ſanguine permotionem, ut phyſici docent, qua facies pallet, langueſcit vigor oculorum, totumque corpus debilitatur. Perturbationem quæ fit in corpore, indicant etiam motus exteriores, ac geſtus, in quibus vehemens apparet, & multiplex concitatio: nam qui inflammatur odio, is ſilet, contrahitur triſtitia, ſupercilium demittit: tum caput agitat, mordet labia, pede humum pulſat, confuſum neſcio quid ſolet loqui & murmurare; rubet vero, cum inimici nomen in mentem venerit: quæ profecto, & alia hujus generis declarant, non modo animum, ſed & corpus in magna quaſi tempeſtate verſari, & utrumque ægrum eſſe, ac male habere. Nocet vero odium etſi remiſſum: nam ſemper conjunctum eſt cum moleſtia, & menti eripit tranquillitatem. Mala item cætera, quæ ex odio proficiſci ſupra diximus, revocare in memoriam, neceſſe eſt, ut eorum fons & origo tollatur. Deinde illud eſt reputandum, in adverſario fortaſſe ea honeſta eſſe & bona, quæ propter cæcam odii affectionem mala & turpia videantur; & certe multa in eo reperiri laudanda, quæ qui contueatur, potius amet, quam oderit.

VIII. Quid vero poteſt eſſe iniquius, quam integram odiſſe communitatem, aut gentem, aut hominum inſtitutum aliquod univerſum; propterea quod ab uno, aut a quibuſdam ejus communitatis, & gentis, & inſtituti injuriam acceperis, aut accepiſſe falſo putes? quid iniquius, quam non modo ab inimico abhorrere, verum etiam ab ipſius, ſi quos habet, conſanguineis, amicis, & neceſſariis, qui nihil peccarint? quid abſurdius, quam ſi quem deprehendas infidum, quem putares fore fidiſſimum, omnes oderis, & nihil apud quempiam ſincerum opineris eſſe, ſed ficta & ſimulata omnia? quod quidem vitium ut fugiamus, monet Plato (*in Phædone*). Mox intelligendum eſt, odium abjecti animi eſſe, vecordis, timidi, ſuſpicioſi, icciroque & bonum virum, & fortem ſummopere dedecere. Tum hebetatur odium, aut tollitur cura graviore, & potiſſimum contemptione rerum humanarum, ſtudioque cæleſtium & divinarum: neque enim levis offenſio eum mordet, qui intento animo illuc ſpectat,

ctat,

ſtat, ubi ſit futurus beatiſſimus, ſi honeſte vixerit, & fortiter ac libenter in terris incommoda tolerarit. Valet etiam ad repellendum odium aliena dicta, aut facta in meliorem partem interpretari: ſic enim offenſionis cauſa ſublata, odium tollitur. Sed remedia in hanc rem multo validiora quærenda ſunt a chriſtiana philoſophia. Quoniam vero odium, cum in animum altius pervaſit & radices egit, extirpari vix poteſt, curandum eſt, ut ſtatim ac innaſci cœperit, evellatur, aut voluntas ita muniatur charitate, ut nullus ſit omnino odio & malevolentiæ locus.

CAPUT III.

De Cupiditate.

I. Quamquam cupiditas plerumque in vitio ponitur, ut cum jubemur continere & coercere cupiditates; tamen & ad virtutem refertur aliquando, ut in eo Tullii loco (*Ad Attic. 12. Epiſt. 26.*) *de voluntate tua ut ſimul ſimus, vel ſtudio potius & cupiditate non dubito*; in alio item [*Tuſc. qq. lib. 1.*] *natura ineſt mentibus noſtris inſatiabilis quædam cupiditas veri videndi*: Sic eleganter dicitur cupiditas imitandi bonos, tuendæ amicitiæ, defendendæ reipublicæ. Itaque cum vim habeat in utramque partem cum virtutis, tum vitii, nihil vetat, quominus eo nomine utar hoc loco ad ſignificandam affectionem, quæ turpis poteſt eſſe, & honeſta inſtar reliquarum. Definiri autem poteſt cupiditas, ut ſit appetitus rei, quæ bona videatur, vel aſſequendæ, ſi abſit, vel conſervandæ, cum adeſt (*Vives de Anim. lib. 3. cap. 4.*) Quocirca in eo diſcrepat ab amore, quod amor in re præſente verſatur, cupiditas in abſente ac futura: quis enim id cupiat, quod poſſidet? & quamquam deſiderium ac ſtudium tuendæ rei ad id, quod præſens adeſt, pertinere videatur; tamen non ita eſt: tunc enim ſpectatur res non quidem ut poſſidetur, ſed ut poſſidenda in poſterum tempus, quo quis in metu eſt, ne eadem re forte careat, quam nunc ob-

ti-

Digitized by Google

tinet. Conſtat autem, cur dixerim, cupiditatem eſſe appetitum rei, quæ bona videatur, cum non niſi id poſſit appeti a voluntate, quod boni ſpeciem præſeferat, ut ſupra vidimus (*lib.1. cap.8.*)

II. Duplex eſt cupiditatum genus: aliæ enim naturales ſunt, ac neceſſariæ, ut cibi cupiditas, potus, veſtium, quibus tegantur corpora: his enim ſublatis, vita conſiſtere & conſervari nullo modo poteſt; atque in hoc genere *pauci peccant, & rarius, & fere in eam partem*, ut Ariſtoteles ſcribit (*lib.3. Ethic. cap.11.*) *quæ nimium eſt*; ſed tunc cupiditas modum tranſit, nec eſt neceſſaria. Aliæ ſunt aſcititiæ, quas acceſſit ratio ad majorem vivendi commoditatem, quales ſunt exquiſitioris cibi, lecti mollioris, pretioſæ veſtis, ædis conſtructæ magnificentius, atque aliorum, quæ non neceſſitati inſerviunt, ſed voluptati. Huc pertinet cupiditas honoris, gloriæ, dignitatum, opum ac divitiarum; atque in hoc genere *peccant complures, & ſæpe*. Earum vero, quæ aſcititiæ dicuntur, pleræque ſolent eſſe ſupervacaneæ, quarum parens eſt & procreatrix opinio: icciro Stoici perturbationis cujuſvis genus ponunt opinionem; ita quidem ut *ægritudo ſit opinio recens mali præſentis, in qua demitti, contrahique animum rectum videatur; lætitia opinio recens boni præſentis, in quo efferri rectum eſſe videatur; metus opinio impendentis mali, quod intolerabile eſſe videatur; libido opinio venturi boni* (*Cicero Tuſc. qq. lib.4.*) eademque eſt definitio reliquarum. Et certe in cupiditatibus, quæ inanes ſunt, locum habet opinio, non ratio. Tunc autem cupiditas recte libido dicitur, quæ apud Tullium (*Tuſc. qq. lib.3.*) definitur *immoderata appetitio opinati magni boni, rationi non obtemperans*. Quæ primi generis ſunt, *eæ nec opera multa, nec impenſa explentur* (*Tullius de Fin. lib.1.*) *propterea quod ipſa natura res, quibus contenta ſit, & parabiles, & terminatas habet*. Verum alterius generis *cupiditatum nec modus ullus, nec finis inveniri poteſt*: nam cogitatio late patet, & ex re una ſtatim tranſit ad aliam, mox ad aliam, nec quieſcit unquam; immo progrediendo vehementius incitatur & exardeſcit. Eſt autem omnis cupiditas argumentum indigentiæ aut veræ, aut opinatæ; veræ quidem ſi cupiditas naturalis & neceſſaria eſt; opinatæ vero, ſi inanis. Quo efficitur, qui abundare

videantur, cum reipſa ſumma laborent indigentia, eſſe plurimos; quippequi inflammati ſunt cupiditate & libidine rerum infinitarum. Reges ipſi, ac principes viri ſæpe inopia premuntur præ reliquis: carent enim iis omnibus, quæ cupiunt: cupiunt autem quammulta. Contra ſunt, qui pauperes putantur, etiamſi ſecus ſit: cum enim nihil appetant, & ſuis bonis contenti ſint, locupletes jure cenſentur a ſapientibus.

III. At quemadmodum cupiditas indicium eſt indigentiæ, ita ejus, quæ in noſtris animis ineſt, dignitatis, atque præſtantiæ: eorum enim tam immenſa eſt amplitudo, & tanta omnino capacitas, ut nulla rerum creatarum copia, atque affluentia expleri unquam poſſit; quo fit, ut ſemper expetantur ampliora, nec ullus ſit quærendi modus. Eſt illud etiam hac in re præclarum, quod magna & ardua non ſuſcipiuntur ſine cupiditate, ex qua exiſtit ardor ac robur cum ad ſtrenue rem gerendam, tum ad ea repellenda, quæ obſtant. Eſt autem proprium cupiditatis ſollicitudo & anxietas: neque enim ſinit cupiditas, cum primum animum occuparit, eum frui quiete & liquida voluptate, niſi teneat modum, pareatque rationi; profecto improborum mentem quaſi tempeſtarum æſtu perturbat.

IV. Videndum eſt igitur, quæ cupiditates admittendæ ſint, quæ repudiandæ. Rerum, quæ ſint ad vitam tuendam neceſſariæ, & ad bene, beateque vivendum honeſta in primis cupiditas eſt; modo tranquilla & pacata ſit, quoad fieri poteſt; quoniam, ut ea quærantur, quæ huc pertinent, data eſt a natura. Præſertim vero ſunt expetenda cæleſtia, ac ſempiterna, cum quibus ſi reliqua comparentur, nihil habent, quod non dignum contemptu videatur: *qui enim*, ait Lactantius (*lib. 6. Divin. Inſt. cap. 27.*) *juſtitiam, qui Deum, qui vitam perpetuam, qui lucem ſempiternam, eaque omnia, quæ Deus homini pollicetur, conſequi cupit, opes iſtas, & honores, & potentatus, & regna ipſa contemnet.* Certe Deum cupere, quo ſummum bonum, & noſtra felicitas continetur, itemque virtutem, ac morum integritatem & innocentiam, cæteraque, quibus ad Deum patet via, magni animi eſt, excelſi, ſapientis; idemque non modo glorioſum, verum & utile, atque efficiens ſolidiſſimæ voluptatis: *quid* enim

Digitized by Google

enim poteſt præſtantius, quid fructuoſius, quid tandem jucundius, quam in Deo conquieſcere, qui bonum eſt ſummum cum in ſe, tum noſtri gratia, animumque iis ornare virtutibus, quibus gratiores Deo, acceptioreſque efficiamur? Licet etiam terrena quædam deſiderare & quærere, ut rem familiarem, ut nominis claritatem & famam, ut valetudinem, ut vitam, aliaque generis ejuſdem; ita tamen, ut hæc adipiſcendæ felicitati, & divinæ amicitiæ retinendæ nullo modo contraria ſint, immo ad eam rem conferant.

V. Cæterum inanes cupiditates ex animo amputare, atque evellere oportet omnino: inanes autem ſunt, quæ ad animi tranquillitatem, ſanitatemque, & ad finem, qui poſtremus eſt, non referuntur. Qua in re multiplex eſt error inſipientium: primum enim vehementer errant, qui voluptati, qua modo frui poſſint, quamquam levioris momenti, inhiant, iccircoque eam pluris faciunt, quam futuram multo majorem; aut bonum ipſum, quod poſſident, etſi magnum pro nihilo ducunt, modo ſatisfaciant levioris rei aſſequendæ cupiditati. Ex quorum genere ſunt, qui famam, quod bonum eſt in terris eximium, abjiciunt turpis quæſtus, aut voluptatis gratia. Tum errant ii, qui bonum aut jucundum, aut utile ita appetunt, aut ei ita inhærent adepto, ut nullam rationem habeant moleſtiarum, quæ toleranda ſint in poſterum tempus; quales ſunt incontinentes, libidinoſi, & qui modum non tenent in cibo & potu: incidunt enim in paupertatem, in infamiam, in morbos, in mortem etiam, immo in calamitatem ſæpe animi & corporis ſempiternam. Quæ mala cum ſint graviſſima, maximeque diuturna, non ſunt cum brevi voluptate ullo modo comparanda. Mox eorum ſummopere reprehendendus eſt error, qui dura perferunt, graves curas, doloreſque ſuſcipiunt, labores exantlant, rem familiarem profundunt, valetudinem labefactant & perdunt ſtudio rerum leviorum, ut honoris, gloriæque popularis, aut tuendi, retinendique conſilii, quod temere ſuſceptum eſt. At ſumma quædam vis eſt concitatæ perturbationis, qua fit, ut, quæ parva ſunt, eadem magna videantur. Deinde ſtulta ſummopere eſt eorum cupiditas, quæ impellit ad aliquid faciendum ſine ullis omnino emolumentis & fructibus, immo cum detrimento ac mo-

Digitized by Google

moleſtia; qualis ineſt in invidis, qui propter ſtudium præſtandi reliquis hominibus, præter mala propria ſibi adſciſcunt etiam dolorem & cruciatus ex bonis alienis. Tandem eos errare vehementer, conſtat, qui cupiunt, magnoque conatu perquirunt opinatum bonum; ex quorum numero ſunt omnes, qui ſequuntur & appetunt turpitudinem, in qua certe nihil ineſt boni, nec utilis, nec jucundi, ut alio in loco vidimus (*lib.3. part.1. cap.21. & ſeq.*) quo enim pacto poteſt id jucundum, aut utile videri chriſtiano viro, ex quo conſequi poſſit non modo ærumna & calamitas in terris, ſed etiam poſt obitum graviſſima, tamque diuturna, ut nullum ſit unquam finem habitura? Hac quidem in re qui in periculum quamquam leve ſe conjicit, is omnium eſt mortalium dementiſſimus judicandus (*vid. Murator. in Philoſophia morum cap.*30.) Quapropter cum primum accidit, animum quadam tangi cupiditate, videndum eſt, an expediat ei morem gerere, & non modo præſentium ratio habenda eſt, ſed etiam conſequentium & futurorum: ſi enim cupiditas inclinet voluntatem ad ea, quibus ratio hebetatur, vel affligitur & labefactatur corporis valetudo, dolores, moleſtiæque pariuntur, vel animus alienatur a Deo, & in diſcrimen adducitur cum tranquillitatis amittendæ, tum ſupremæ felicitatis, omnino repellenda eſt, ac ſtatim diligentiſſimeque comprimenda: huic enim cupiditati obedire, dementis eſt.

VI. Quamquam vero cupiditas ſit earum rerum, quæ honeſtæ videantur; tamen teneat oportet mediocritatem. Licet quidem optare divitias, honorem item, & gloriam, ac voluptates rationi, naturæque congruentes, ſed cum modo; præſertim quia incertum eſt, an nobis hæc conſequi ſit profuturum, an ſecus. Quamobrem quicquid accidat, eadem retinenda eſt animi placatio atque conſtantia, & conſentaneum omnino eſt, terrena hæc, quæ humilia ſunt, & brevi peritura referre ad cæleſtia. Ne quis autem errore ducatur in his cupiditatibus, Carteſius præcipit (*de Paſſion. part.2. art.*144.) ſecerni oportere res, quæ omnino in noſtra ſunt poteſtate, ab reliquis, quæ non ſunt: etenim quæ noſtræ ſunt voluntatis, ſiquidem bonæ ſint, vix nimium poſſunt expeti: eas enim ſequi ad virtutem pertinet; pro-

pter-

ptereaquod nihil præter actiones in nobis omnino eſt ſitum. Accedit, quod ſemper ex ſententia ſuccedent; quippequæ pendent a nobis; quare nulla ex infelici exitu moleſtia conſequi poteſt. Res autem, quæ non ſunt in nobis ſitæ, eæ appeti nunquam debent ardentius; tum quia ſecus evenire poſſunt, ac volumus, quod cum moleſtia conjunctum eſt; tum quia earum cupiditas immoderata nos abducit ab iis, quæ noſtræ ſunt voluntatis. Itaque quæ incertum exitum habent, ſapientis eſt, cum prætermiſſa non eſt cura ac ſolertia, quæ neceſſaria videretur, ea Dei providentiæ committere; tum modice ferre, quicquid acciderit.

VII. Eſt autem contra inanes cupiditates generale remedium quædam animi magnitudo, rerumque humanarum deſpicientia, earum maxime, quæ neque ſint ad vitæ opportunitates cum propriæ, tum alienæ, neque ad decus, dignitatemque, neque ad Dei cultum & religionem neceſſariæ: eſt enim abjecti animi deſiderare ac quærere ſupervacanea, idemque indicium eſt nimiæ mendicitatis, cujus honeſtum virum pudeat, neceſſe eſt; cum turpe ſit egeſtatem præferre, & cuique patefacere, cupiendo, quærendoque leviora. Cogitandum item, fieri interdum, ut hujuſmodi ſtudio, & ſpe futurorum, quæ incerta ſunt, præſentia & certa e manibus elabantur: cupiditas plurium, ſcribit Plato (*lib.* 5. *Leg. apud Stobeum tom.* 1. *Serm.* 10. *de injuſtitia*) amittit præſentia; ſicut olim Æſopicus ille canis, de quo Phædrus (*Fabul. lib.* 1. *Fab.* 4.)

Canis per flumen carnem dum ferret natans
Lympharum in ſpeculo vidit ſimulacrum ſuum,
Aliamque prædam ab alio ferri putans
Eripere voluit; verum decepta aviditas
Et, quem tenebat ore, demiſit cibum,
Nec, quem petebat, adeo potuit attingere.

Quamquam vero id aſſequaris aliquando, quod expetis, tamen nunquam futurum eſt, ſi humana hæc cupias, ut ea conſequare, quibus poſſis beate vivere: *ſi autem & iſta expetas*, ait Epictetus (*in Man. cap.* 1. *num.* 3.) *& magiſtratum gerere, & dives eſſe, fortaſſe neque hæc ipſa conſequere* ...Il-

Digitized by Google

. . . . . . *Illa certe nullo modo conſequeris, quibus ſolis felicitas ac libertas acquiritur.* Adde, quod quæ magna ac jucunda videantur, cum proſpiciuntur futura, eadem plerumque parva ac moleſta fiunt, cum adſunt.

VIII. Quid vero ſi perpendantur omnia, quæ ex pravis cupiditatibus ac libidinibus incommoda proficiſcuntur? Illæ enim, ut Tullius ſcribit (*de Fin. lib.* I.) *non modo ſingulos homines, ſed univerſas familias evertunt, totam etiam labefactant ſæpe rempublicam. Ex cupiditatibus odia, diſcidia, diſcordiæ, ſeditiones, bella naſcuntur. Nec hæ ſeſe foris ſolum jactant, nec tantum in alios cæco impetu incurrunt, ſed intus etiam in animis incluſæ inter ſe diſſident, atque diſcordant. Ex quo vitam amariſſimam neceſſe eſt effici.* Certe cupiditas divitiarum ſæpe pugnat cum honoris & gloriæ cupiditate, atque utraque cum libidine voluptatum. Quamobrem cum deſideria ad vitam beatam referantur omnia, ſunt potius ſemina miſeriarum, ut merito exclamet Perſius (*Satyr.* I.)

O curas hominum! o quantum eſt in rebus inane?

Quanta enim moliuntur homines, quam graves moleſtias ſuſcipiant inanium cupiditatum explendarum gratia, compertum eſt omnibus. Huc ſpectant vires animi & corporis: *ita propter errorem, atque inſcientiam*, ait Tullius (*de Invent. lib.* I.] *cæca & temeraria dominatrix animi cupiditas ad ſe explendam viribus corporis abutitur perniciofiſſimis ſatellitibus.*

IX. Quapropter qui ſapit, is cupit tantum honeſta & neceſſaria; virtutem in primis, pulſa ignorantia, opinione ac φιλαυτία, quam Græci vocant, & amputata omnino inanitate cupiditatum; quod quidem ſi faciat, tolli neceſſe eſt & avaritiam, & ambitionem, cæteraſque immoderatas perturbationes, quæ omnes iccirco cupiditatis nomine efferuntur, quod earum nulla ſine deſiderio conſiſtit. Eam ob cauſam monet Horatius, videndum eſſe, quis ſit modus, quem teneas, a natura conſtitutus cupiditati (*lib.* I. *Satyr.* 2.)

Nonne cupidinibus ſtatuit natura modum? quem
Quid latura ſibi, quid ſit dolitura negatum

Quæ-

Quærere plus prodeſt, & inane abſcindere ſoldo?
Num, tibi cum fauces urit ſitis, aurea quæris
Pocula? num eſuriens faſtidis omnia præter
Pavonem, Rhombumque? . . . . .

Præcipit etiam Plutarchus (*de Genio Socratis*) aſcititias & inanes cupiditates omni ſtudio eſſe comprimendas: *omnis autem*, inquit, *exercitationis vis*, Amice, *adverſum adventitias illas & ſupervacaneas eſt adhibenda concupiſcentias: eæque amputandæ, arcendæ, ac ratione profligandæ, atque opprimendæ ſunt: nam ſi rationis adverſus cibum, & potum reluctatio ſitim, famemque compeſcit, longe nimirum facilius eſt divitiarum, aut gloriæ cupiditatem elidere.* Jam vero dixerat (*eodem in loco*) *aſſueſcendo, & meditando magnam etiam inſitarum partem ut ratio aboleat, effici poteſt.* Sed maxime a chriſtiana philoſophia præcepta & exempla ducenda ſunt continendarum cupiditatum.

X. Verum cum verſetur cupiditas in triplici præſertim rerum genere, hoc eſt, in gloria, divitiis, ac voluptate, de ſingulis earum rerum cupiditatibus pauca dicam. Prima igitur eſt honoris & gloriæ; quæ quidem definitur a Tullio (*lib.2. de Invent.*) *frequens de aliquo fama cum laude.* Hæc autem cupiditas homini data eſt a natura tamquam calcar & ſtimulus ad res maximas adminiſtrandas, ad ſectandam virtutem, ad perdiſcendas artes & diſciplinas, & labores tolerandos, ſine quibus vera gloria parari non poteſt; contra item ad homines avocandos ab inertia, ab abjectione, a malefactis. Iccirco videmus, fere eſſe neminem, quem gloria non pungat: *trahimur omnes* (*Tullius pro Archia*) *laudis ſtudio, & optimus quiſque maxime gloria ducitur. Illi ipſi philoſophi, etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt, in eo ipſo, in quo prædicationem, nobilitatemque deſpiciunt, prædicari ſe ac nominari volunt.* Infantes ipſi, ubi primum in eorum mente aliquod cognitionis lumen ſplendere cœperit, laude ſummopere delectantur ac geſtiunt; nec quiſquam fere eſt tam infimæ ſortis, qui gloriam non appetat: *nulla eſt ergo*, ait Valerius Maximus (*lib.8. cap. 15. num 6. de Cupiditate*) *tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur;* & Tullius [*Offic. lib.*

lib. 1.] *vix invenitur, qui laboribus ſuſceptis, periculiſque aditis non quaſi mercedem rerum geſtarum gloriam deſideret.* Certe *Demoſthenes* (*Tull. lib. 5. Tuſcul. qq.*) *illo ſuſurro delectari ſe dicebat aquam ferentis mulierculæ, ut mos in Græcia eſt, inſuſurrantiſque alteri: hic eſt ille Demoſthenes.* Cum rogaretur Themiſtocles, cur de multa nocte vigilaret, reſpondit: *quia me trophæa Miltiadis de ſomno excitant.* Item cum ex eo ad theatrum eunti quæreretur, *cujus vox auditu ipſi futura eſſet gratiſſima? ejus,* inquit, *a quo artes meæ canentur optime* (*Valerius Maximus lib. 8. c. 15. num. 1. inter externa*) Etiam iis eſt plerumque dulce laudari, qui a laude & gloria maxime alieni videantur; & contra (quod ex eodem gloriæ ſtudio naſcitur) vituperari & contemni, moleſtum. Adoleſcentes præſertim ſi gloriam quærant præclare factis, non modo non vituperantur, ſed potius laudantur a ſapientibus: quoniam gloria ita acuuntur, ut in literis, & actionum honeſtate, ex quibus illa naſcitur, quam in oblectationibus, epulis, conviviis, ludis, ſodalitatibus tempus malint, operamque conſumere, & ſomno vigilias præferant, laboreſque & incommoda voluptatibus, maxime ſi altiore ingenio ſunt, erectoque præditi. Hanc ob cauſam triumphos, coronas, ſtatuas, aliaque generis ejuſdem cum Græca, tum Romana reſpublica claris hominibus decernebat. Utinam vero omnes famam ac dignitatem ſuam ſtudioſe tuerentur, nec eſſent tám multi, qui eam propter turpem quæſtum, adumbratam honoris ſpeciem, aut inaniſſimas voluptates temere, inconſiderateque profunderent, aut abhorrere viderentur propter inertiam, aut laboris fugam. Hi profecto non intelligunt, quantum ſit bonum fama, & integra apud homines, potiſſimum ſapientes exiſtimatio; quæ profecto uberrimos fructus parit & ſingulis, & communitati: nam qui alium magni faciunt, eumdem diligunt, & cumulant beneficiis, cum poſſunt, ornantque muneribus; eorum item monita, adhortationeſque libentius excipiunt; ex quo conſequens eſt, famam ad felicitatem poſſe conferre, quam quiſque appetit neceſſario. Atque ex his licet cognoſcere, gloriæ cupiditatem non ab opinione eſſe, ſed a natura: icirco rurſus ſcribit Cicero (*In L. Piſonem*) *ut levitatis eſt inanem aucupare rumorem, & omnes umbras etiam falſæ gloriæ*

ria conſectari ; ſic levis eſt animi lucem , ſplendoremque fugientis , juſtam gloriam , qui eſt fructus veræ virtutis boneſtiſſimus , repudiare . Sed duo ſunt in hoc genere obſervanda diligentius. Primum eſt, ipſam gloriam non eſſe expetendam per ſe, ſed referendam ad honeſtatem, ut alii inflammentur ad imitandum, & ſtudeant communi bono, ac virtutis ingeniique exemplum relinquant poſteritati: neque enim gloria finis debet eſſe rerum gerendarum, ſed via ad ea conſequenda, quæ ſunt honeſtiſſima. Eſt autem conſentaneum gloriam ad Deum referre auctorem, cauſamque virtutum, ſine quo nihil licet facere omnino, quod poſſit eſſe laudabile. Alterum eſt, nullam aliam eſſe veræ gloriæ adipiſcendæ viam niſi virtutem, immo virtutum omnium, quæ decent ſingulos, apparatum, ut patientiæ, conſtantiæ, gravitatis, fidei, juſtitiæ, beneficentiæ, clementiæ, chriſtianæ humilitatis, ſuavitatis in familiaritatibus, obſervantiæ in omnes cum dictis, tum factis: *eſt enim gloria*, ſcribit Tullius (*Tuſcul. qq. lib.3.*) *ſolida quædam res , & expreſſa, non adumbrata . Ea eſt conſentiens laus bonorum , incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute . Ea virtuti reſonat tamquam imago .* Et rurſus (*Offic. lib. 2.*) *Præclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam, & quaſi compendiariam dicebat eſſe, ſi quis id ageret , ut qualis haberi vellet , talis eſſet .* Quiſque autem vult haberi ſe bonum; ergo curet neceſſe eſt, ut revera ſit, & juſtitiæ fungatur officiis: neque enim a bonis externis, ut nobilitate, ut divitiis, ut forma corporis, naſcitur vera gloria, ſed a virtute. Eſt autem prima præſertim adoleſcenti commendatio ad gloriam modeſtia, ſed conjuncta cum quadam animi excelſitate, ne inſulſitas, ingeniique tarditas quædam videatur; tum pietas in parentes, & in ſuos benevolentia, & conſuetudo bonorum. *Faciliime autem (Tullius Offic. lib.2.) & in optimam partem cognoſcuntur adoleſcentes, qui ſe ad claros & ſapientes viros bene conſulentes reipublicæ contulerunt : quibuſcum ſi frequentes ſint , opinionem afferunt populo , eorum fore ſe ſimiles , quos ſibi ipſi delegerint ad imitandum . P. Rutilii adoleſcentiam ad opinionem & innocentiæ & juris ſcientiæ P. Mucii commendavit domus .* Tandem dos illa animi (vulgo amabilitatem vocant) qua quis homines ſibi devincit, conciliatque alienam benevolentiam,

tiam, honeſte tamen, non aſſentatione, non calliditate, non ſcurrilibus dictis & factis, ſed comitate, facilitate, humanitate & charitate quadam in omnes, plurimum valet ad gloriam: quoniam ea qui præditi ſunt, fere laudantur, atque ubique excipiuntur cum voluptate. Quapropter in ſcelere nulla unquam poteſt eſſe gloria, nec in ſimulatione, aliiſque artibus, quæ minus honeſtæ ſint. *Quod ſi qui*, ait Tullius (*Offic. lib.2.*) *ſimulatione, & inani oſtentatione, & ficto non modo ſermone, ſed etiam vultu ſtabilem ſe gloriam conſequi poſſe rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tamquam floſculi, decidunt, nec ſimulatum poteſt quicquam eſſe diuturnum. Teſtes ſunt permulti in utramque partem, ſed brevitatis gratia familia erimus contenti una: Tiberius enim Gracchus Publii filius tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit. At ejus filii nec vivi probabantur bonis, & mortui numerum obtinent jure cæſorum.* Poteſt etiam gloria e literis naſci, quæ tamen adjunctam habeant innocentiam, morumque probitatem; ſecus qui literis male abutuntur, ut juriſconſultus, ut theologus, ut medicus, ut poeta, ut orator, ut alii, & ſibi nocent, & reipublicæ; eaque non ſcientia eſt, qua non paratur felicitas, ſed inſcitia ſingularis, ac vertitur in dedecus & infamiam, atque adeo injuriam cum Dei, tum humanæ ſocietatis. Qua in re quidam cæteroquin literati, & eruditi viri peccant plurimum: nam cum ferre non poſſint, ab aliis interdum ſententias ſuas repudiari ac reprehendi, in eos, qui contradicant, acriter invehuntur, ipſoſque proſcindunt maledictis; ex quo non gloriam conſequuntur, ſed maledici ac ſuperbi notam incurrunt apud ſapientes, qui ſciunt, non jurgiis & contumeliis, ſed rationibus, atque argumentis niti veritatem. Quidam eo progrediuntur, ut putent, literis locum eſſe nullum, niſi domi ſuæ, niſi in ea civitate, in qua nati, aut educati ſunt, aut apud eam gentem, ad quam pertinent, nuſquam alibi: quare hanc gloriam ita ſibi ac ſuis propriam vindicant, ut aliis omnibus præreptam velint, & qui audeat jus hoc invadere, eum tamquam injuſta poſſeſſione deturbare conantur. Alii ſunt, qui ad gloriæ umbram aucupandam, nobilitatem prædicant, divitias, ingenium ſuum, & geſta majorum, præcellenteſque

do-

Digitized by Google

dotes animi & corporis; vel in familiari colloquio Græcu lo-
rum more ex tempore effutiunt de ſcientiis ac diſciplinis in-
ter indoctos, & numerant multa auctorum nomina, quorum
ſingulis peculiarem inurunt notam; quandoque ſemper in eo-
dem ſermone verſantur; cum fere nullam aliam mercem ha-
beant, quam vendant. Nec ſecus ii, qui faſtidioſe artem
in medium afferunt colloquii gratia, quam profitentur. Hi
omnes, aliique generis ejuſdem cum gloriæ ſequantur inani-
tatem, deridentur & incidunt in contemptum, & ſæpe cæ-
cati ea faciunt, quæ minus decent. *Illa autem*, ſcribit Tul-
lius [*Tuſcul. qq. lib.3.*] *quæ ſe ejus* (veræ gloriæ) *imitatricem
eſſe vult, temeraria, atque inconſiderata, & plerumque pec-
catorum, vitiorumque laudatrix fama popularis ſimulatione ho-
neſtatis formam ejus, pulchritudinemque corrumpit. Qua cæci-
tate homines cum quædam etiam præclara cuperent, eaque ne-
ſcirent, nec ubi, nec qualia eſſent, funditus alii everterunt ſuas
civitates, alii ipſi occiderunt.* Verum qui id ſequuntur, quod
perfectum, abſolutumque omnino ſit, abhorrent a gloria, &
una contenti ſunt conſcientia benefactorum, quorum merce-
dem, quam ab hominibus, malunt a Deo conſequi. Hos
ſemper gloria ſequitur; atque eo magis, quo ſtud oſius re-
jicitur & declinatur: eſt enim intelligendum, tantam eſſe
virtutis lucem, tam ſplendidum honeſtarum actionum decus,
ut latere atque occultari non poſſit, ex quo gloriam in ſa-
pientes ac bonos viros permanare neceſſe eſt. Itaque cum
difficile ſit gloriam honeſte quærere, & ſæpe contingat, ut
non vera quæratur, ſed adumbrata; qui undique ſapiens eſt,
honeſtate tantum delectatur, gloriam & laudem fugit, qua
vitiantur ſæpenumero benefacta: cum enim honeſtas expe-
tenda ſit per ſeſe; gloria vero honeſtatis gratia tantum poſ-
ſit experi; in illa vera ineſt & bonitas & pulchritudo: jure
ergo Tullius (*de Fin. lib.5.*) *non perfecti autem homines*, in-
quit, *& tamen ingeniis excellentibus præditi excitantur ſæpe
gloria, quæ habet formam honeſtatis, & ſimilitudinem. Quod ſi
ipſam honeſtatem undique perfectam & abſolutam, rem unam
præclariſſimam omnium, maximeque laudandam, penitus vide-
rent, quonam gaudio complerentur, cum tantopere ejus adum-
brata opinione lætentur?* Hac ſapientia, de qua mox dixi,
quoad fieri poteſt, velim præditi ſint adoleſcentes: tunc

Digitized by Google

enim maxima ſpes oſtenditur, fore, ut progrediente ætate, cum ipſi ſibi proſint, tum etiam reipublicæ, ac ſine ullo metu ea gerant, quæ honeſta videantur: nam certe gloriæ cupiditas eripit animo libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet eſſe contentio.

XI. Altera eſt cupiditas divitiarum, quæ & ipſa eſt a natura, manatque ab amore felicitatis, & vitæ: nam rerum copia ad vitæ uſum, commoditatemque opportuniſſima eſt; quod & infantes intelligunt; quippequi flagrant habendi cupiditate, ſtudioque retinendi; & quibus provectior eſt ætas, ii multo magis, quoniam perſpectas habent neceſſitates, quibus providetur, & commoda, quæ parantur pecunia. Iccirco fere omnes videmus appetentes & percupidos eſſe divitiarum, atque his augendis operam dare, non mercatores modo & artifices, verum & medicos, & juriſconſultos, & nauras, & milites, & fere acceptiſſimi eam ob cauſam ſunt dignitatis gradus quæſtuoſi. Hæc porro quam vehemens ſit appetitio, declarant exantlati labores a pleriſque, curæque ſuſceptæ ad exaggerandam rem familiarem, quoad fieri poteſt. Cum vero tria ſint rerum genera, quibus & vitæ neceſſitatibus occurri poteſt, & voluptas ac commoditas comparari; hoc eſt, prædia, & greges pecudum, & armentorum; tum ea, quæ induſtria & ingenio elaborantur; poſtremo pecunia: quorum primum eſt a natura, alterum ab arte, tertium ab hominum inſtituto; in his quærendis ardens eſt hominum ſtudium & concertatio. *Nec vero*, ut Tullius ſcribit (*Offic. lib.* 1.) *rei familiaris amplificatio nemini nocens vituperanda*, cum ſit a natura, ut dixi; immo poteſt eſſe laudabilis, prodeſt enim & ſingulis, & communitati; quoniam privatorum opibus & copiis continetur opulentia reipublicæ: *neque enim*, ait rurſus Tullius (*Offic. lib.* 3.) *ſolum nobis divites eſſe volumus, ſed liberis, propinquis, amicis, maximeque reipublicæ: ſingulorum enim facultates & copiæ, divitiæ ſunt civitatis;* cujus iccirco intereſt plurimum florere quæſtuoſam mercaturam, vigere artem agricolarum, & alias, quæ jam inventæ, atque introductæ ſunt, conſervari, vel novas invehi ad civium utilitatem, atque in victu cultuque corporis retineri modum. Præſertim vero qui familiam adminiſtrant, ii digni ſunt laude, ſi

ſi fortunis amplificandis ſtudent cum ad uſus vitæ neceſſarios, tum ad liberos ingenue educandos, inſtituendoſque artibus & diſciplinis, atque in eo vitæ genere collocandos, quod ſit optimum, & ſingulis accommodatiſſimum. Illi potius ſunt reprehendendi, qui etſi pecuniam cupiunt otio tamen; atque oblectamentis dediti, nihil induſtriæ & curæ conferunt ad potiundum; aut qui divitias profundunt, quas habent, & domum exhauriunt aut luxu, aut ludis, aut intemperantia in cibo & potu & voluptatibus, quibus etiam omnem animi vim virtutemque corrumpunt. Verum ut cupiditas rei familiaris vitio careat, neceſſaria omnino eſt honeſtas cum in quærendi ratione, tum in uſu divitiarum. Primum ergo amplificandarum facultatum oportet honeſtam eſſe rationem. Qua in re illud tenendum eſt, nunquam utile eſſe peccare; quia ſemper eſt turpe. Abeſſe igitur debet a negociatione, a pactis, rebuſque contrahendis omne mendacium, dolus, fallacia, ſimulatio, *eaque malitia*, ut monet Tullius (*Offic. lib.*3.) *quæ vult illa quidem videri, ſe eſſe prudentiam, ſed abeſt ab ea, diſtatque plurimum:* qui enim facit aliquid fallaciter & inſidioſe, & quod non licet, compendii & emolumenti ſui cauſa; & cuipiam, quod in ſe transferat, detrahit; is non modo non eſt vir bonus, atque honeſtus, quicumque tandem ſit, ſed ne prudens quidem: punietur enim ſaltem a Deo; & quod inique devoravit, idem compelletur evomere, foraſque projicere. Neque illi faciunt honeſte, qui habent fere omnia venalia, amicitiam, gratiam, conſilia, ipſa virtutum officia; ſerviunt, aſſentantur utilitatis gratia, ſtudioque pecuniæ, & nihil dant unquam, niſi plus vel accipiant, vel ſe accepturos eſſe confidant. Deinde facultatibus, rebuſque partis oportet uti, ut neceſſitas, ratio & prudentia poſtulat, hoc eſt, ad familiæ opportunitates, ad liberorum inſtitutionem, ad beneficentiam, ad liberalitatem, ad pauperum levationem, ad ſalutem, commoditatemque reipublicæ: eſt enim conſentaneum, divitias eſſe adjumenta virtutum, non inſtrumenta vitiorum; cum nihil poſſit eſſe turpius, quam divino hoc munere perverſe abuti, ut multi faciunt, ad ſuperbiam, ad intemperantiam, ad crudelitatem, ad contemptionem legum ſanctiſſimarum. Hoc quidem ingrati animi eſt, inſipientis, improbi, nefarii: quemadmodum & anguſti amare divitias: *nihil*

enim

Digitized by Google

enim eſt, ait Tullius (*Offic. lib.1.*) *tam anguſti animi, tamque parvi, quam amare divitias: nihil honeſtius, magnificentiuſque, quam pecuniam contemnere, ſi non habeas; ſi habeas, ad beneficentiam, liberalitatemque conferre*. Profecto divitiæ in ſeſe, niſi earum ſit uſus optimus, nihil ad hominis honeſtatem, dignitatemque conferunt: rurſus Tullius (*Offic. lib.2.*) *corrupti mores, depravatique ſunt admiratione divitiarum, quarum magnitudo quid ad unumquemque noſtrum pertinet?* tum concludit: *ſitque omne judicium non quam locuples, ſed qualis quiſque ſit*. Eſt autem in hoc genere ſummopere eorum fugienda ſtultitia, qui cum plus, quam ſatis eſt, habeant pecuniarum, neque eas ad præclaros uſus, commoditatemque convertant vel ſuam, vel alienam; tamen graviſſimis laboribus ſe conficiunt, ut quærant ampliores, ex quibus nihil fructus capiunt. Qui ſapiens ſit, nonne malit his divitiis carere, quam inde moleſtiam pati ſine emolumento? *Uſus ille*, ait Plutarchus (*de Cupidit. divitiarum*) *ob quem divitias admiramur, quarum tandem eſt rerum? an ſufficientium ad vitam tolerandam? At hoc modo nihil amplius habent divites, quam mediocris fortunæ homines; & cæca revera ſunt, ut ajebat Theophraſtus, inque nulla admiratione divitiæ, ſi Callias Athenienſium, & Iſmenias Thebanorum ditiſſimi iiſdem utebantur rebus, quibus Socrates, & Epaminondas*. Calamitas quædam eſt locupletum, qui non intelligunt, qualem oporteat, uſum eſſe divitiarum, quibus exaggeratis, atque in arca concluſis, *certe venalis non eſt*, ut idem Plutarchus ſcribit (*ib.*) *dolorum, moleſtiarumque vacuitas, non magnanimitas, non ſecuritas, non conſtantia, non denique vita omnis ex ſeſe apta, concinneque inſtituta*. Poteſt quidem pecunia, qua paullo elatiores affluunt, valere ad magnificos apparatus, vitæque cultum cum elegantia & copia, quibus rebus effectum eſt, ut infinita pecuniæ cupiditas eſſet; *Sed hæc, quæcumque ſit, felicitas pendet a ſpectatoribus, ſine quibus nulla eſt; non ita temperantia, philoſophia* (*vid. Plutarc.*) *Dei vera notitia, atque aliæ generis ejuſdem, quæ etiam, remotis teſtibus, lucent ipſa per ſe, & ſummam continent voluptatem*. Quamobrem ii profecto ſunt ſapientiſſimi judicandi, qui cum abdicarint ab ſe opes omnes & facultates, paupertatem ſponte ſuſcipiunt, ut ſolutiores, paratioreſque ſint ad aſſequendam cumulatam, perfe-

ſectamque virtutem, quæ nullo modo eſt cum ullis copiis & opibus comparanda. Sed, quod inuſitatum ac novum videri poteſt, iidem ipſi aliquando id appetunt & quærunt, quod forti animo repudiarunt; qua in re eos eſſe ſummopere vituperandos, nemo ſapiens dubitat.

XII. Tertia eſt cupiditas voluptatum, quam nobis dedit natura, ut ejus illecebra quaſi deliniti, facilius libentiuſque ea ſequamur, quæ proſunt animo & corpori: cum enim voluptate inducimur ad peccandum, ea nec vera eſt, nec naturalis, at ſimulata, & manat a vitio. Cum vero duplex ſit voluptatum genus, aliæ quæ ad animum, aliæ quæ ad corpus pertinent; homines, qui propius accedunt ad belluas, has ſectantur; illas autem contemnunt & reſpuunt: quamobrem ſæpe graviſſimas ſibi adſciſcunt calamitates, cum modum non tenent, & voluptatis gratia ab honeſtate diſcedunt. At ſapientes quamquam interdum honeſtis voluptatibus perfruantur, quæ percipiuntur ſenſibus, quales ſunt, quas efficit moderatus cibus & potus, ambulatio, ornatus ædium, urbium, villarumque magnificentia, aliaque generis ejuſdem; tamen præſertim magni faciunt animi voluptates, quippequæ ſunt hominis propriæ, & puræ, & liquidæ & ſempiternæ. Hæ vero ex rerum pulcherrimarum cognitione naſcuntur, integritateque vitæ atque morum, quibus cum intelligentia perficitur, tum voluntas: diſcere enim, & ſcire multa, tandemque cognoſcere veritatem, cum conſcientia beneſactorum res eſt pleniſſima voluptatis, ex qua bona permanant omnia; & contra moleſtum eſt ignorare & decipi, & minus honeſte vivere. Inter veritates tamen omnium jucundiſſimas eas oportet eſſe, quæ ad mores rite formandos conferunt, ac bene beateque vivendum. Has qui negligit, quippequæ maxime fructuoſæ ac neceſſariæ ſunt, & veram ſapientiæ formam continent, ignarus eſt indoctuſque judicandus; etſi calleat cætera. Verum quammulti ſunt, qui nullo pacto veritatibus delectantur, quibus propria vitia, malæ conſuetudines, depravatique mores appareant, ut ſuperbia, ut intemperantia, ut imprudentia: quamobrem aſſentatores malunt, quam admonitores audire; quo fit, animi morbos nunquam remitti, ſed in dies eſſe graviores. Quæ calamitas in eos præſertim cadit, qui valent opibus & poten-

tia.

Digitized by Google

tia. Sapiens contra vitia ſua ſcrutatur & inveſtigat ipſe per ſe, & cum intelligat in re ſua ſatis prudentem eſſe neminem, ſibi adſciſcit bonos & prudentes viros, a quibus de veritate moneatur. Sunt etiam veritates quædam, quas imprudentis eſt velle cognoſcere, quales ſunt, quæ aut inficiunt vitæ caſtimoniam & ſanctitatem, aut eminentia ita ſupra rationem, ut comprehendi nullo modo poſſint: ex illis enim capere voluptatem turpitudo eſt; has autem penitius ſcrutari, quam oporteat, ſumma dementia, quaſi facere non poſſit Deus, quod ab hominis mente, quæ puſilla atque anguſta eſt, non queat percipi. Concludo itaque, voluptates animi ſequi, eaſque honeſtas, quæ rerum cognitione, vitæque innocentia pariuntur, ingenii eſſe excelſi ac nobilis, & ſe abſtrahentis a ſenſibus. Hoc voluptatum genere adoleſcentes maxime delectentur, velim; quippequi ætate ac perturbationibus impelluntur ad alias, quæ aut abjectæ ſunt, aut leves, aut aliquando vitioſæ. Priuſquam finem facio, pauca dicam de cupiditate cum vitæ, tum libertatis. Omnibus quidem a natura cupiditas data eſt vitæ tuendæ, quæ fundamentum cum ſit bonorum, quibus frui licet in terris, jure eſt & divitiis, & dignitatibus, & regnis etiam anteferenda; atque adhibenda contentio, ne morbis & ægrotatione conflictetur, aut pereat. Id præſcribit natura; iccircoque nobis dati ſunt ſenſus, a quibus, quid foris geratur, admoneamur, caveamuſque, ſi quid impendet mali. Fames etiam, & ſitis excitatur, ut cibo & potu in corpore reparetur, quod diffluit. Affectiones item fere ad ea conſequenda & paranda referuntur, quæ valetudini, ac vitæ proſunt, & declinanda quæ nocent. Etſi nihil tale cogitantes caput movemus, manus, aut pedes, duce ac magiſtra natura, cum aut caſus, aut periculum inſtare videatur. Eamdem ob cauſam tantopere morbos horremus, & mortem in primis, quam adventantem omni conatu ac ſtudio enitimur propulſare. Quamquam hæc ita ſunt; tamen ad vitæ cupiditatem quod attinet, peccatur a multis non modo in eo, quod nimium eſt, ſed etiam quod parum: ſunt enim qui in ægrotationes & mortem incidunt propter incontinentiam, & libidinem voluptatum, propter immoderatum potum, atque paſtum, propter honoris & gloriæ inanitatem, aut la-

bo-

bores & curas in conquirenda pecunia. Quid autem poteſt eſſe dementius, quam, ut id conſequaris, quod vilius ſit, bonum profundere, quod eſt multo præſtantius? immo hoc pacto utroque privari? amiſſa enim valetudine ac vita, cætera omnia amitti neceſſe eſt. Contra non pauci reperiuntur, qui nimium ſunt appetentes vitæ: quamobrem ſemper in metu cum ſint, ne quid detrimenti capiat valetudo, ſtudent, quoad fieri poteſt, ſine incommodo ac labore vivere, turpi otio, deſidiaque tabeſcunt, nec quicquam ſibi afferunt emolumenti, nec familiæ, nec reipublicæ. Adeo hac in re timido puſilloque animo ſunt, ut nec ſepulcri, nec funeris, nec cadaveris aſpectum ferre poſſint, nec cruorem ex inciſa vena, aut vulnere diffluentem cernere; ipſa mortis recordatione perturbantur & pallent: ad viſendum ægrotum vix accedunt, aut ſiſtunt in foribus, ne vitioſo halitu contaminentur. Si quem macie attenuatum vident, ab ejus familiaritate & conſortio diſcedunt: ſuſpicantur enim, contagionem latere in corpore, qua inficiantur. Cum vero nunquam velint mori, quotidie moriuntur. Ab his, qui ſic affecti ſunt, nihil magnum, nihil præclarum expectes, nihil omnino generoſum. Quapropter vir ſapiens ac fortis valetudinis quidem rationem habet & vitæ, non ita tamen, ut quæ ratio præſcribit, & quæ boni, & honeſti, & benefici, & magnanimi viri ſunt, ea prætermittat, infirmitatis aut mortis metu: ſcit enim, bono viro mortem eſſe migrationem in patriam: quo fit, ut eam amet potius, quam oderit. Itaque adverſus mortis timorem hoc maxime valet, honeſte vivere.

XIII. Sumus, ut vitæ, ita etiam ſtudioſiſſimi, appetentiſſimique libertatis. Hæc autem cupiditas naturæ eſt, non opinionis; iccirco communis eſt omnibus, in ipſaque infantia apparet ac cernitur: exiſtit enim ab appetitione, ſtudioque felicitatis, cum, niſi ſimus liberi, nec beati ullo modo eſſe videamur. Profecto pares geniti ſumus; cum æque conſtemus omnes animo & corpore; nec homo homini ſubeſt natura. Quamobrem quiſque vehementer abhorret a ſervitute, qua privatur poteſtate vivendi, ut velit. Sed cum libertate, quæ Dei eximium munus eſt ac ſingulare, homines perverſe abutantur ad perniciem cum alienam, tum ſu-

am, ad maleficia, ad furta, ad rapinas, ad cædem; iccirco publicæ utilitatis gratia conſtituti ſunt principes & magiſtratus, quibus ſubeſſe homines maluerunt, quam ab aliis injurias ac detrimentum pati in vita, in fama, in fortunis: quæ incommoda ſi abeſſent, libenter in priſtinum ſeſe libertatis ſtatum vindicarent; atque hæc cupiditas erumpit & exardeſcit magis, cum princeps non publicæ commoditati ſtudet, at ſuæ; contra vero ſi reipublicæ conſulit, toleranter ferunt, ac modice principatum.

XIV. Ex inſito libertatis ſtudio naſcitur etiam cupiditas dominandi: tunc enim poteſtas videtur eſſe id faciendi, quod velit, cum alios habet obedientes voluntati ſuæ. Hæc eadem appetitio principatus exiſtit ab appetitu honoris & gloriæ. Quoniam vero cum libertatis, tum gloriæ cupiditas a natura eſt, efficitur, & imperandi ſtudium eſſe a natura. Quod quidem progrediente ætate ita creſcit, ut pauci ſint, qui ſubeſſe aliis malint, quam præeſſe; niſi hæc naturæ propenſio virtutis præſtantia vincatur, aut hebeſcat & torpeat ingenii tarditate.

XV. Hæc cupiditas libertatis refrenanda eſt; ſecus impellit cum ſingulos in perniciem, tum ſæpe integram familiam & civitatem; interdum etiam longe, lateque provincias ac regna diſſipat. Iccirco datum jus eſt, primum quidem divinum ac ſacrum, quo impellimur ad honeſtatem, coercemurque quaſi freno, ne liberiores ac ſolutiores ſimus ad ea facienda, quibus conjici in diſcrimen poteſt ſalus animi ſempiterna. Deinde alia, a quibus deflectere nefas ſit, conſtituta ſunt juſſa ac vetita populorum, quieti conſulendi gratia, incolumitatique reipublicæ, quæ & proſunt ſingulis, quorum ſalus reipublicæ ſalute & incolumitate continetur: ſublato enim legum præſidio, tolli etiam civium ſecuritatem, neceſſe eſt. Itaque etſi amor libertatis a natura eſt; tamen ratio & natura ipſa præſcribit, eſſe legibus obtemperandum: nihil enim magis eſt rationi conſentaneum, quam Deo parere, & legumlatoribus civitatum, qui Dei vices gerunt in terris, eaque ſtatuunt, quæ ad communem omnium, immo & ſingulorum, ut dixi, felicitatem conferunt. Nihil contra eſſe poteſt iniquius, & magis contra naturam, quam velle jura aliis eſſe conſtituta; nobis autem non

non ita; quamobrem licere nobis, quod ſit reliquis interdictum: membra enim cum ſimus reipublicæ, ſingulos oportet communi bono conſulere ac providere.

XVI. Illud etiam intelligendum eſt, legibus non labefactari hominis libertatem: quoniam ea facere, quæ ſunt contra naturam, aut nocent reipublicæ, non continentis viri eſt, non ingenui, non liberi, ſed intemperantis ac ſervi, atque obſequentis inſanæ ac dominanti cupiditati. Libertatis divinum munus nobis tributum eſt, ad beneficia, ad pietatem, ad juſtitiam, ad religionem, tandem ad virtutem & honeſtatem, in qua qui ſeſe exercent maxime, ii ſunt vere liberi judicandi. Quo fit, ut ſapiens non modo ſanctiſſimas leges non oderit, ut inimicas libertati, ſed amet plurimum velut fundamenta, quibus nititur ſalus reipublicæ, ac ſingulorum. At improbi & ſtulti eas execrantur ut cupiditati ſuæ, cui obediunt, ac libidini repugnantes.

XVII. Similiter præſcribit natura, ut liberi obediant parentibus, aut aliis, qui ſunt parentum loco: ſi enim libertate intemperantius abuti velint, ac ſine rectore vivere, a quo monita ac præceptiones accipiant, increpatione etiam, atque animadverſione in officio contineantur, compellanturque ad honeſte vivendum, prolabuntur in vitia, & ſibi, & domeſticis, & civitati nocent maxime. Nullum quidem gravius argumentum eſt, pueros, atque adoleſcentes præditos eſſe ingenii bonitate, quam ſi ſtudeant obedire majoribus, a quibus addiſcant, ſenſimque hauriant ſapientiam, qua carent. Hanc ob cauſam a natura conſtitutum eſt, ut feminæ ſubjectæ ſint, atque obſequantur viris, ne errent propter mentis imbecillitatem.

XVIII. Quod pertinet ad eam libertatis formam, quam putant contineri, atque effici principatu & imperio, & olim fuit quæſtio inter philoſophos, deberetne ſapiens accedere ad adminiſtrandam rempublicam. Negare viſus eſt Plato cum aliis de cauſis, tum quod negligat fere res ſuas neceſſe ſit, qui publicis implicatur (*Dialog. 1. de Rep.*) Quod quiſque a præceptore ſuo Socrate accepiſſe Platonem facile judicabit; quippe qui ſcribit (*in Apologia Socratis*) quominus Socrates ad publicas res ſe conferret, ſemper obſtitiſſe familiarem genium, de quo multa diſputat Olearius (*apud Stanlejum Hiſt. Phil.*

Phil. part. 3. cap. 6.) Quod & Ariſtoteli probatur, qui ait (*apud Laert. de vit. Philoſ. lib. 1. cap. 5. n. 13.*) ad rempublicam non acceſſurum ſapientem. In quam ſententiam quædam etiam ſunt apud Senecam (*in eo libro, quem ſcripſit, de Otio ſapientis init. fere, ac fin. ejus partis, quæ ſupereſt*) Certe abſtinet a magiſtratu is, qui tranquille velit, pacateque vivere: publica enim munera ſunt pleniſſima moleſtiarum, & quieti, cujus omnes percupidi ſumus, plane contraria, ipſique inimica libertati, quæ interdum incautos compellit ad appetendum dominatum. Qui enim aliis præeſt, ad alienam ſemper neceſſe eſt ſuam accommodet voluntatem, inſerviatque reipublicæ, & multa faciat & audiat, a quibus abhorret excelſa indoles ac natura ſapientis. Quapropter cum tanta ſit de honoris ac dignitatis gradu, imperioque contentio, efficitur, bonorum ac ſapientum miram eſſe paucitatem, ut Plato ſcribit (*Dialog. 1. de Rep.*) *ſi bonorum virorum*, inquit, *extaret civitas, in ea, ut arbitror, haud aliter non imperandi gratia pugnaretur, quam nunc certetur imperandi cupiditate* . . . . . Quare unuſquiſque, qui non amens ſit, potius eliget alium ſibi prodeſſe, quam, dum aliis ipſe conſulit, ſeſe negociis implicare; præſertim cum fieri non poſſit, eum, qui fungi munere ſuo velit, ut honeſtum hominem decet, non incurrere in offenſionem plurimorum. Jure Demoſthenes, cum expertus eſſet, quæ incommoda a reipublicæ adminiſtratione pariuntur, in id operam dabat, ut adoleſcentes revocaret, abſtraheretque a cupiditate magiſtratus. *Adoleſcentes* (*Plutarchus in Demoſthene*) *etiam ſe adeuntes monere ſolebat, ne ad rempublicam ſe conferrent, affirmans, ſi duæ eſſent viæ ab initio propoſitæ, una, quæ ad rempublicam, altera, quæ ad interitum aperte ferrent, eſſentque manifeſta illa, quæ gerentes reſpublicas ſubire oportet, formidines, invidias, odia, calumnias, ſimultates, contentiones, certamina, illam potius electuros eſſe homines, quæ ad interitum ferret.*

XIX. Quamquam vero hæc ita ſunt; tamen rerumpublicarum adminiſtratio non eſt a bonis viris, ac ſapientibus repudianda neceſſitatis gratia, aut principis voluntate: quoniam ſecus imperii clavum tenent inſipientes & mali, a quibus quantum publicæ res detrimenti capiant, cuique compe-

per-

pertum eſt. *Cum autem*, inquit *Chryſippus* (*apud Tullium libr 3. de Fin.*) *ad tuendos, conſervandoſque homines hominem natum eſſe videamus, conſentaneum eſt huic naturæ, ut ſapiens velit gerere, & adminiſtrare rempublicam* [*vide & Stanlejum Hiſtor. Philoſoph. part. 7. doctr. Stoic. part. 2. cap. 15.*) ſapiens enim & morum integritate, & adhortationibus, & pœnis, & legibus optime conſtitutis homines ad virtutem excitat, atque abducit a vitiis. Quam ob cauſam ſtrenue, alacriterque ſuſtinet magiſtratum, ſtudetque, quæ ab eo divelli non poſſunt, moleſtias ferre toleranter; & quamquam ab improbis, aut ignaris ſciat famæ detrahi, ac dignitati ſuæ, ſolatur ſe conſcientia benefactorum, ſtudioque benemerendi de omnibus, quoad fieri poteſt; ac ſperat fore, ut mercedem olim accipiat a Deo laboris ac moleſtiarum. Nec vero unquam tumet ob dignitatis gradum, ſed inſtar parentis optimi, facilis, comis, humanus omnes excipit vel inopes, atque abjectos, cum quibus tam clementer agit, ut eodem in gradu eſſe videatur. Cæterum quamquam optandum eſt, ſemper a bonis, a ſapientibus magiſtratum geri; tamen etiam improbis, cum præſunt, obtemperare conſentaneum eſt, modo nihil jubeant, quod turpe ſit. Id curandum eſt ſapienti, ut ſibi ipſe imperet, quod & ſemper licet, & præclarum eſt, maximeque glorioſum.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Fuga.

I. FUga diſcrepat ab odio quodammodo; propterea quod, odio præeunte, fuga conſequitur: id enim prius odit animus, quod malum eſt, mox ab eodem refugit. Deinde odium in malo cum abſente, tum præſente verſatur; at fuga in futuro tantum. Itaque fugam dixeris animi affectionem ab re declinantem, quæ aut mala ſit, aut eſſe videatur: ſæpe enim contingit, ut ab iis fugiamus, quæ mala non ſunt natura, ſed opinione. Porro fuga ad rem futuram refertur; quoniam ſi res præſens adeſt, jam nullus eſt huic affectioni locus, ſed potius dolori ac triſtitiæ. Nec tamen facile eventura res creditur; ſecus hinc naſcitur non tam fuga, quam metus; quemamodum ſi ab ea declinare non liceat, excitatur in animo deſperatio. Cum fugam definio affectionem a malo declinantem, quemdam indico quaſi conatum, quo ut aves alarum niſu a loco avolant, ita animus avocat ſeſe atque abducit a malo. A fuga exiſtit ſollicitudo quædam, atque diſceſſio, ut ex iis intelligi poteſt, quæ dixi, aliique motus, qui & a cupiditate pendent: dum enim quiſpiam malum fugit, ſimiliter ab eo ſe percupit liberari: quamobrem eadem fere facis, ſeu divitias ſequaris, ſeu fugias paupertatem.

II. Hæc affectio, hoc eſt fuga, homini data eſt a natura, ut declinet omnia, quæ mala ſunt, quæ noxia, quæ pernicioſa. Verum diligentius conſiderare oportet, an id, a quo refugit, reipſa malum ſit; an tantum eſſe videatur, & opinione ſit malum; natura vero, & in ſeſe bonum. Duo generatim cum ſint, a quibus refugimus, hoc eſt, culpa, & pœna, videntur dubitare plerique, utra ſit magis fugienda: cum vero pœna acrius incurrat in ſenſus, multi ſunt, qui hanc potius vitare ſtudeant, quam culpam, iccircoque cum a peſte longe diſcedant, atque abhorreant ab ægrotatione, a morbis, ab infamia, ab egeſtate; peccatum non modo non execrantur, ſed quærunt; & cum a locis ſeſe

ſe

Digitized by Google

ſe contineant, qui lue quadam inficere poſſint corporis ſanitatem; conſuetudine utuntur hominum improborum, qui contaminant morum innocentiam, atque animo exitium creant. Quod quidem inſolentis eſt, ſummæque detrimentum. Peccatum unum in malis ponendum eſt; cum pœnæ aut ſponte ſuſceptæ, aut toleratæ ſapienter ad ſempiternam felicitatem, in bonis potius ſunt, quam in malis. Quapropter fuga nobis a natura eſt data, ut a teterrima præſertim vitiorum peſte caveamus, atque ab iis item omnibus, quæ cum peccato & ſcelere conjuncta, & copulata quodammodo eſſe videantur, ex quorum genere ii ſunt, qui peccatum etſi aperte non laudant, tamen cum occultent ſpecie, formaque virtutis, minus cautos ſolent fallere; quoniam mutato nomine, quæ ulciſcendi libido eſt, quæ incontinentia, eam animi magnitudinem vocant, ac voluptatem naturæ conſentaneam; contra quæ laudabilis & chriſtiana humilitas eſt, quæ continentia, eam dicunt animi abjectionem, atque ingenii & indolis ſtuporem ac tarditatem. Quo fit, ut in primis adoleſcentes, qui ſimplices ſolent eſſe, rerumque imperiti, facillime opinionum perverſitate, quam morum pravitas conſequitur, inficiantur. Maxime vero hæc affectio, de qua loquimur, contra ea adhibenda eſt, quæ ſint caſtitati contraria: reliqua enim vitia interdum pugnando, obſiſtendoque vincuntur; at incontinentia ac voluptatis libido fugiendo ſuperatur. Oportet autem fugam eſſe conjunctam cum metu, ex quo naſcitur diligentia & cautio ad vitanda omnia, quæ incommodum & perniciem intelligas allatura. De fuga ſatis: nam quæ huc pertinent, aliis fere in locis uberius diſputantur.

CA-

CAPUT V.

De Spe.

I. QUamquam ſpes interdum uſurpatur pro metu, ſeu mali expectatione, ut apud Virgilium (4. *Æneid.* *v.*419.)

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem ;

tamen fere de bono dicitur, non de malo: quamobrem definitur a Tullio (*Tuſcul. qq. lib.*4.) *expectatio boni*. Sed hæc definitio non omnino videtur apta, & ad ſpei naturam accommodata: nam & ea expectamus, quæ futura ſunt neceſſario; at ſpes non ſcientiam habet rei futuræ, ſed opinionem, quæ naſci poteſt ex copia amicorum, opum & facultatum, arte & induſtria, conſilio, conſcientia recte factorum, divino præſidio, aliiſque hujus generis, quæ valent ad ſpem animo injiciendam de ſecundo rerum exitu. Melius ergo definiri videtur ſpes a Carteſio (*part.* 3. *de Paſſion. art.* 45.) *affectio quædam, qua animus ſibi perſuadet, id eventurum, quod cupit*. Ex quo conſequens eſt, ſpem partim convenire cum cupiditate, partim ab ea diſcrepare: nam utraque, in abſente ac futuro bono verſatur; at cupiditas in bonum fertur, vel eventurum ſit, vel plane non ſit; ſpes autem propter opinionem, perſuaſionemve, fore, ut veniat tempus ad potiundum. Cupiditas tamen ſolet cum ſpe copulari; ſecus habet inanitatem. Cum vero poſſit animus ſibi perſuadere vel inani conjectura, vel firma ratione eventurum bonum, compertum eſt, ſpem aliam eſſe adumbratam ac futilem, aliam veram, ſolidamque: illa in ſtultos ac malos, hæc in ſapientes viros ac bonos cadit. Stulti quidem videntur eſſe inſtar ſomniantium: proſpiciunt divitias, oblectamenta, honoris ac dignitatis gradus, & putant, hæc, quamquam longiſſime abſint, ſe tandem conſecuturos, & ſecum cogitant, quid factari ſint, cum bono, in cujus ſpe ſunt, potientur: meminerunt inter familiares induſtriæ ſuæ, gratiæ, amicitiæ, re-

Digitized by Google

reſumque aliarum, quarum ope ſe voti compotes confidunt fore; ſi de eventu dubitent, nunc hominum perfidiam accuſant, nunc negligentiam, atque deſidiam, nunc vitium ingrati animi exagitant vehementius, quandoque culpam in fortunam, atque adeo in Deum conferunt. Quocirca id conſequuntur, ut propter importunitatem ac dementiam ab omnibus rideantur. Inanis item ſolet eſſe eorum ſpes, qui ſuis viribus tantum, atque humana ope nituntur, quales fere ſunt homines elati ac ſuperbi, quorum conſilia, atque audaciam Deus frangit, eluditque calliditatem. Sed & multum ineſt futilitatis in ſpe rerum humanarum, non modo, quia humana omnia dubia ſunt, incerta, pendentque, ut dicitur, a temeritate fortunæ, ſed etiam quia vulgaria in ſeſe, ac vilia ſunt, & pauci æſtimantur a ſapientibus: non poteſt autem gravis eſſe, ac ſolida ſpes rerum leviorum. Quo id refertur, quod ſcribit Tullius (*lib.3. de Orat.*) *O fallacem hominum ſpem, fragilemque fortunam, & inanes noſtras contentiones, quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur & corruunt, & ante in ipſo curſu obruuntur, quam portum conſpicere potuerunt*. Quo loco exemplum ponit in Craſſo: nam annus primus ei ad ſummam auctoritatem datus, is ejus omnem ſpem, atque omnia vitæ conſilia morte pervertit. Adoleſcentum præſertim, ac juvenum ſpes ſolet eſſe pleniſſima inanitatis. Nihil fere eſt, quod ſibi non polliceantur, ad gloriam ſpe rapiuntur, ad voluptatem, ad bona fortunæ; &, quæ ſtultitia eſt maxima, ſperant etiam fore, ut oblectamentum, utilitatemque capiant ex malefactis; tum vero ſentiunt, evenire omnino ſecus, cum in calamitates incidunt, progrediente ætate, graviores. Contra ſapientes ac boni excitantur in ſpem rerum honeſtarum: nam ſperare turpia, quippequæ fugienda ſunt, maximeque metuenda, dementis eſt. Tum ſpem ipſam ſuam in Deo collocant, cujus præſidio freti in ſpe ſunt multo firmiores, quam ſi pro arbitrio ac voluntate, omnium hominum gratia atque opibus uterentur. Dei vero benevolentiam ſibi conciliant præclare geſtis; cum ſciant, bonos viros ab eo nunquam deleri. In quam rem ait Linus Poeta (*apud Stobeum Serm.111.*) *ſperanda ſunt omnia: nihil non enim ſperari poteſt. Omnia Deo factu facilia ſunt, & nihil impoſſibile*. Cum vero ſapiens intelligat, quanta eſſe

M de-

debeat humanarum rerum deſpicientia, quicquid ſperat, id curat, ut ad felicitatem referat ſempiternam, quæ & unum eſt, & ſummum bonum; cum, quæ ſunt in terris, bona fere animum anxium teneant ſaltem augendi cupiditate, aut amittendi metu. Ex quibus poteſt intelligi, quæ ſperare conſentaneum ſit, quæ ſecus: cum enim ſpei ſit propoſitum bonum, ut dixi, cavendum eſt, ne pro veritate adumbratam boni formam atque imaginem conſectemur. Etiam terrena hæc ſperari honeſte poſſunt; modo ad extremum finem referantur; a quo ſi animum abducunt, non bona ſunt, ſed mala. Quamobrem qui ſapit, is ita ſpe ducitur rerum humanarum, ut quicquid evenerit, nihil e mentis ſtatu moveatur; ſed idem ſemper ſit firmus, conſtans, & expers perturbationis ſaltem gravioris: quoniam cum ad ſecundum exitum, tum ad contrarium ſe comparat ita quidem, ut omnia accidant meditata, nec ſubito quaſi ictu affligatur & concidat; ſecum vero ipſe reputet, ſi forte res male cadat, id non ſine Dei conſilio eveniſſe, qui vel ipſa eadem in commodum convertit, quæ nobis dura & gravia videantur.

II. Eſt autem ſpei animum erigere, eique addere alacritatem, quæ ſæpe communicatur etiam cum corpore, & apparet in voce, in vultu, in oculis, in ſupercilio: cum enim ſpes ſit quædam futuræ voluptatis præſenſio, animum erectum tenet, & quaſi comparatum ad perfruendum; immo eum ſæpe plus ſpes, quam poſſeſſio delectat: illa enim rem menti objicit expertem incommodorum; hæc vero mala omnia ſecum trahit, quæ rei ſemper adjuncta ſunt. Ex ea quaſi elatione animi, alacritateque conſequitur, in ſpe magnam ineſſe levationem laborum, ægritudinum ac moleſtiarum, quibus vita circumſepta eſt. In quam rem bene Tibullus (*lib.2. Eleg.7.*)

Jam mala finiſſem leto; ſed credula vitam
Spes fovet, & melius cras fore ſemper ait.
Spes alit agricolas: ſpes ſulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
. . . .
. . . .

Spes

Spes etiam valida ſolatur compede vinctum.
Crura ſonant ferro; ſed canit inter opus.

Ovidius (*lib.* 1. *de Ponto Epiſt.* 7.)

Spes igitur menti pœna, Gracine, levandæ
Non eſt ex toto nulla relicta meæ.
Hæc dea, cum fugerent ſceleratas numina terras,
In Dis inviſa ſola remanſit humo.
Hæc facit, ut vivat foſſor quoque compede vinctus,
Liberaque a ferro crura futura putet.
Hæc facit, ut, videat cum terras undique nullas,
Naufragus in mediis brachia jactet aquis.

Tandem fere nemo eſt, qui non habeat ſaltem ſpei extremum ſolatium: iccirco interrogatus Thales (*apud Plutarchum in Convivio*) quid eſſet commune maxime? *Spes*, inquit; *quibus enim reliqua omnia deſunt, hæc adeſt;* & ſpem extremum in vita dixit eſſe Diogenes (*apud Stobeum Serm.* 111.) Nec ob aliam cauſam fabulati ſunt poetæ, in Pandoræ vaſe, ex quo in humanam gentem omne malorum genus effuſum eſt, ſpem unam incluſam in fundo reſediſſe. Qua de re ita Heſiodus [*Opera & dies*]

At mulier digitis dum tollit opercula vaſi,
Omne malum lædens hominem grave ſparſit in orbem.
Sola ibi ſe in firmis tenuit ſpes ædibus, intus
Pixidis ad labrum latitans non evolat extra.
Atque etiam citius rurſus vas tegmine clauſit,
Conſilium, mentemque Jovis Pandora ſequuta.

Quocirca ægroto, dum anima eſt, ſpes eſſe dicitur: *bono animo*, ait Theocritus (*apud Stobeum Serm.* 111.) *amice Batte, vivendum eſt; forte cras melius ſe res habebit. Spes eſt inter vivos; extra ſpem vero ſunt defuncti. Et Jupiter alias ſerenat, alias pluit.* Quorum ſimilia ſunt hæc Euripidis (*in Hercule furente apud Stobeum cit. loc.*) *fatigantur enim & mortalium calamitates, & ventorum flatus non ſemper validi ſunt,*

& fortunati non perpetuo faventem habent fortunam. Diſcedunt enim invicem omnia a priori ſtatu. Optimus autem ille vir eſt, qui ſpe ſemper fretus fuerit; deſperare vero mali viri eſt. Inhærendum eſt igitur ſpei quaſi anchoræ præſertim in rebus adverſis: *nunquam oportet*, ait Apollodorus (*apud Stobeum cit. loc.*) *animum deſpondere hominem infortunatum, o viri; meliora vero ſemper expectare*; & Menander (*cit. loc.*) *homo infortunatus a ſpe ſervatur*: nulla enim eſt in malis conſolatio, quæ acceptior ſit, quam ſi ſpes oſtendatur aliqua rerum meliorum: hac enim maxime extenuatur, molliturque moleſtia. Interdum tamen, immo perſæpe ſpes animum ſollicitum & anxium facit; verum hoc fere habet a cupiditate & metu, cum quibus conjungitur & copulatur: qui enim ſperat, timeat etiam neceſſe eſt; & qui nihil ſperat, idem nihil omnino timet: quamobrem qui magno animo ſunt, & terrena nec cupiunt, nec ſperant, ii vacant metu.

III. Ex his, quæ dixi, rurſus efficitur, ſpe vera ac germana excitari animum, incendique ad præclara gerenda, atque ardua ſuſcipienda facinora, ut liceat bonum aſſequi, quod habemus in ſpe; potiſſimum vero qui acriore judicio, ac prudentia præditi ſunt, nihil prætermittunt ſpe immortalitatis, ac mercedis ſempiternæ, qua ſe beatos fore confidunt. Spe ſublata homines torpent, & nihil, quod præclarum ſit, faciunt, aut moliuntur. Recte ergo Theognides (*apud Stobeum Serm.* III.) *ſola ſpes*, inquit, *inter homines bonum eſt numen*; *quoniamque*, ut ſcriptum eſt a Tullio (*lib.2. de Leg.*) *expectatione rerum bonarum erigitur animus, recte etiam a Calatino ſpes conſecrata eſt*: quemadmodum & pietas, & virtus, & fides; *quorum omnium*, ait Tullius (*cit. loc.*) rem ad mores referendo, *Romæ dedicata publice templa ſunt; ut illa qui habeant (habent autem omnes boni) Deos ipſos in animis ſuis collocatos putent.*

IV. Quemadmodum vero boni viri ſpe adducuntur ad benefacta, ita perditi ad malefacta, ad perverſa conſilia, ad furta, ad libidines, ad depopulationes agrorum, everſionemque civitatum, & quod ad felicitatem datum eſt, eo impudentiſſime, intemperantiſſimeque ad calamitatem cum ſibi afferendam, tum aliis hominibus abutuntur. Ex horum numero ſunt, qui ſpe gloriæ, aut divitiarum in aliena regna

cum

Digitized by Google

cum exercitu ac ferro invadunt, omnia longe lateque diſturbant ac diſſipant, complentque cæde ac ſanguine; qui etſi heroes nominantur, tamen latrones verius ſunt judicandi. In quam ſententiam ait Menander (*in Nauclero apud Stobeum Serm.* 111.) *O Jupiter colendiſſime, quantum malum ſpes eſt.* & Euripides (*in Supplicibus apud Stobeum cit. loc.*) *ſpes enim eſt res peſſima mortalibus, quæ multas civitates commiſit, nimis efferens animos.* Hæc quidem ſpes ſemen quoddam eſt flagitiorum, ut & Socrati viſum eſt (*in Tomariis apud Stobeum cit. loc.*) *ſpes mala*, inquit, *ſicut malus viæ dux, ad peccata ducit.* Is ſimiliter hac affectione perverſe utitur, qui peccat ſpe veniæ: quamquam enim poſt peccatum veniam ſperare pœnitendo conſentaneum eſt; non tamen ante: quod enim facit, ut pecces audacius, nefarium & turpe eſt: itaque ante peccatum non in ſpe oportet eſſe hominem, ſed in metu: qui enim non ſperat, ſed timet, is cavet ſibi, ne quid peccet, atque ita demum tutus eſt. Quod & a ſcribentibus ſervandum eſſe Horatius præcipit (*de Arte Poet.*)

Iccircone vager, ſcribamque licenter? an omnes
Viſuros peccata putem mea, tutus, & extra
Spem veniæ cautus? vitavi denique culpam.

V. Poſtremo etſi ſapientis non eſt niti ſpe qualibet vel minus firma, ac fere nulla, ut quidam faciunt: *nihil enim eſt tam leve*, ut ſcribit Lodovicus Vivis (*de Anima lib.* 3. *cap.* 23.) *tam minutum, tam procul diſſitum, tam alienum, ad quod animus non adhæreſcat* ſpei adminiculis; tamen ſapiens ipſe a conſilio prudenter conſiderateque ſuſcepto revocari non debet, propter eas, quæ ſæpe incidunt, difficultates; maxime cum non terrena quæruntur, ſed cæleſtia ac divina, quorum exitus maxime juvatur conſilio & ope præpotentis Dei. Quamobrem videmus a ſanctiſſimis viris ea perfecta eſſe, quæ vix fieri poſſe viderentur.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Deſperatione.

I. DEſperatio definitur a Stoicis (*apud Tullium Tuſcul. qq. lib.4.*) *ægritudo ſine ulla rerum expectatione meliorum.* Verum cum ægritudo in malis ſit; deſperatio autem, ut dicam, interdum bona, rectius definiri poteſt affectio, qua animus a perſequendo bono deſiſtit propter difficultates, quæ illud circumſepiunt, & aditum plane intercludunt ad potiundum. Itaque deſperationem efficiunt præſertim difficultates, rei magnitudo, inopia facultatum, ſagacitatis, induſtriæ, & ſæpe animi abjectio, demiſſio & inertia.

II. Eſt autem honeſta quædam & utilis deſperatio, quæ nimirum vitioſam ſpem refrenat, coercetque turpes atque inſanas cupiditates, & periculis liberat, objecta infirmitate atque evadendi difficultate, & facit, ut animus, ſublata cupiditate ac ſpe, quiete pacateque vivat. Hinc pax & fœdera, hinc imperatorum cautio atque ſolertia, dum receptui canere, & copias a pugna revocare malunt, quam exercitus & reipublicæ ſalutem in diſcrimen adducere temere dimicando. Sæpe obſtat & impedit deſperatio, quominus nefarii homines ſeditiones & turbas excitent, atque alia flagitia & ſcelera moliantur, quæ longe ac late paterent in perniciem communitatis, niſi de fortunato rei exitu deſperarent; cum plurimi ſint, qui iccirco non peccant, quia ſpe carent impune peccandi. Tandem qui hac affectione fructuoſe uti non poſſit, fere nemo eſt; quoniam cum humanæ vires infirmæ ſint, & anguſtis finibus circumſcriptæ, ſæpe ſperare temerarium eſt: tunc igitur, qui deſperat, itaque a periculis cavet, in quæ conjici poteſt temeraria ſpe & audacia, & curas a ſe, metumque propulſat, is prudenter facit. Multi ſe ad eas artes & diſciplinas applicant, in quibus non modo ſpes nulla eſt, fore, ut excellant, ſed ut ne mediocrem quidem progreſſum faciant, V.

C.

Digitized by Google

C. qui nullo ingenio præditi multum ætatis vel in poetica arte conſumunt, vel in mathematicis diſciplinis, aliiſque hujus generis; cum interim, quæ utilia ſunt & neceſſaria, negligant. Sunt, qui licet in dicendo ac ſcribendo nihil valeant, quippequi ſolida ac reconditiori doctrina carent; nihilominus oratores videri volunt, quibus præter puerilem quamdam, vulgaremque eloquentiam & inanem verborum ſonitum, nihil aliud requiras, non rerum dicendarum ordinem, non argumentorum vim, non orationis perſpicuitatem, non gravitatem ſententiarum. Sunt etiam qui philoſophici lapidis inveſtigandi ſtudio, & tempus & patrimonium profundant, qui ex aſtris addiſcere velint eventum rerum futurarum & conſequentium; ne quid de illis dicam, qui ſpem incerti lucri emant plurimi, ut contingit in ludis, qui familiares ſunt, maximeque uſitati cum in aliis, tum etiam in hac civitate. His quidem omnibus profecto eſſet perutilis deſperatio, & ad animi quietem, & ad rem familiarem tuendam, & ad meliorem quemdam vitæ uſum opportuniſſima. Quanti intereſſet reipublicæ, ſi victoriæ deſperatio ita principum ac regum animos occuparet, ut nunquam bellum vellent gerere, niſi cogente neceſſitate? Id ſentiunt & ipſi non raro poſt exhauſtum ærarium, poſt everſionem civitatum, graviſſimamque illatam civibus calamitatem, poſt cladem, qua innumerabilium hominum vita extincta eſt, planeque conſumpta. Hæc, quæ dixi, valent in reliqua generis ejuſdem.

III. Contra alia eſt deſperatio turpis, ac maxime pernicioſa, quæ & perturbationum extrema, ac deterrima judicatur. Hæc animum remittit, contrahit, atque obducit nube triſtitiæ, & agitat quaſi fluctibus tempeſtatum. Qui ſic deſperat, ei occurrunt mala cum ſuperiora, & præſentia, tum quæ conſequi poſſunt in poſterum tempus, quibus non affligitur modo, ſed tanta in eum fit ærumnarum irruptio, ut omnino obruatur. Quamobrem quaſi furiis concitatus eo interdum venit inſaniæ, ut ſibi vim inferat, dirimatque aut laqueo, aut ferro, aut alio modo, animi & corporis ſocietatem; qua re nihil flagitioſius excogitari poteſt; etſi Stoici id honeſtum putarint eſſe, immo glorioſum (*vid. Seneca Epiſt.* 70.) quorum ſententiam imitatus Horatius Catonem lau-

laudat [*lib.*1. *Od.*12.] qui ne in Cæſaris poteſtatem veniret, ſibi mortem conſcivit:

> *Romulum poſt hos prius, an quietum*
> *Pompili regnum memorem, an ſuperbos*
> *Tarquini faſces, dubito, an Catonis*
> *Nobile lethum.*

Quod & facit Tullius [*lib.* 1. *Offic.*] *Catoni autem*, inquit, *cum incredibilem tribuiſſet natura gravitatem, eamque ipſe perpetua conſtantia roboraviſſet, ſemperque in propoſito, ſuſceptoque conſilio permanſiſſet, moriendum potius, quam tyranni vultus aſpiciendus fuit.* Verum inhumanum hoc nefas, atque injurioſum Deo, qui dominus eſt vitæ & necis, omnes juremerito horrent & execrantur. Jam vero deſperatione dominante, nullus eſt pietati, religioni, juſtitiæ, prudentiæ, ac tandem virtuti locus: nam, in quem hæc perturbatio pervaſit, is, quippequi nihil habet, quod ſperet, aut metuat, conſilia, adhortationeſque contemnit, & legum ſeveritatem; ac repudiato freno, quem honeſto viro cuique injicit ratio propriæ dignitatis, natura & religio, in omne vitiorum genus licentius ruit. Huic deſperationi adjungitur aliquando audacia & furor; unde exiſtunt jurgia, maledicta, crudelitas, eaque facta, quæ omnem expectationem vincant, & ſupra humanas vires eſſe videantur; cum periculum extremum eſt, ac decernitur de fortunis, ac vita. Animalia ipſa cæteroquin timida, ut canes, ut feles terribili quadam vi ſe tuentur in vitæ deſperatione, ut ſcribit Seneca [*Natural. qq. lib.*2. *cap.* 59] *Ignaviſſima animalia*, inquit, *quæ natura ad fugam genuit, ubi exitus non patet, tentant fugam corpore imbelli. Nullus pernicior hoſtis eſt, quam quem audacem anguſtiæ faciunt . . . Majora, aut certe paria conatur animus magnus & perditus.* Quapropter imperatores fere cavent, ne hoſtibus fugam intercludant plane omnem, ex quo fiat, ut evadendi deſperatio eos audaciores reddat ad ſæviendum. Generatim vero nunquam fere prudentis eſt alios in deſperationem adducere, in qua magna vis ineſt ad ultionem, quamquam is, qui deſperat, nec potentia valeat, nec viribus, nec gratia, nec amicitia.

IV.

Digitized by Google

IV. Cum deſperatio alia in bonis ponenda ſit, alia in malis, ut dixi, ſapientis eſt, ab hac declinare, illam ſequi. Certe in prudentis & conſtantis viri animum deſperatio vitioſa nunquam cadit; cum ſapiens ſciat, ſummum hominis bonum in virtute poſitum eſſe, a cujus poſſeſſione depelli non poteſt invitus. Itaque qui virtutem poſſidet, & idcirco Deum habet propitium ſibi, nihil eſt cauſæ, cur valde adverſis rebus, aut etiam vitæ periculo perturbetur: nihil enim noſtrum eſt præter animi bona, quæ firma ſunt, ac ſempiterna; & cum olim moriendum ſit, parum refert aliquanto diutius vivere. Deinde ſapiens animum erigit eorum exemplo, qui acerba ac dura conſtantiſſime tolerarunt, & cogitat, nullum eſſe malum, quod non poſſit in bonum, utilitatemque converti: nam ſaltem adverſis rebus nihil eſt ad virtutem excolendam opportunius. Multa etiam difficilia ſunt opinione, qua ſublata, molliuntur ita, ut facilia videantur. Hæc, & alia generis ejuſdem poteſt adverſus deſperationem adhiberi medicina.

V. Maximum vero flagitium eſt de ſempiterna felicitate deſperare: quoniam optimo, fideli, provido, ſapienti, ac præpotenti Deo graviſſima infertur injuria hoc deſperationis genere. Nefas eſt ſimiliter deſperare de comparandis virtutibus; quippe quæ in noſtra ſunt poteſtate, accedente divino præſidio, quod ſemper præſto eſt, ſi enitamur aliquanto vigilantius: nam ſine labore & induſtria, recteque factis velle virtutem, ac felicitatem conſequi præfidentis eſt ac temerarii. Ex quibus conſequens eſt, duo eſſe hoc loco extrema fugienda, temeritatem, quæ adducit animum ad ea ſperanda, quæ vix fieri poſſunt, & ignaviam, timiditatemque, quæ facit, ut deſperes, cum non oportet. Porro debiles & infirmi, ut ſenes, ut feminæ procliviores ſunt ad deſperandum, melancholici item, & qui puſillo ingenio ſunt, ignavi, minuſque prudentes, ac periti rerum & viciſſitudinum humanarum. Sed & omnes ii, quos inanitatibus implicatos & conſtrictos tenent improbiſſimæ cupiditates, facile in deſperationem incidunt propter amiſſionem rerum, ad quas adhæreſcunt. Quæ tamen cum furore conjuncta eſt deſperatio, fere non niſi in fortes, immo audaces & confidentes cadit, quorum facinora, etſi interdum fortunata

ſunt, nunquam tamen vacant temeritate, a qua decet abeſſe ſapientem.

CAPUT VII.

De Metu.

I. METus definitur a Stoicis (*apud Tullium Tuſc. qq. lib.4.*) *opinio impendentis mali, quod intolerabile videatur*; vel melius fortaſſe dicitur moleſta quædam, atque acerba expectatio futuri mali. Timetur autem non id modo, quod natura malum eſt, ſed etiam quod opinione, & non ſolum quod intolerabile eſt, ſed etiam quod aliquanto levius; & licet, quæ impendent, calamitates acrius afficiant & pungant animum; tamen & remotæ, quæ adventare aliquando poſſe videantur, ad metum incutiendum valent: neque enim aſſentior Ariſtoteli, qui (*lib.2. Rhetoric. cap.5.*) putat, metum non eſſe, niſi terribilium malorum, & impendentium, ſeu adventantium; ex quo fiat, ut homines non permoveantur mortis metu; quippequam longe abeſſe cenſent: quoniam & mortem perhorreſcunt, ſi cogitent, ſe morituros; etſi cum vita periclitantur, multo vehementius; & timent omnia, quæ mala ſunt, ſed plus, aut minus, ut varia eſt malorum vis & natura, ſeu potius opinio; cum non eadem ſint æque formidoloſa omnibus, nec idem ſemper metus. Ex quo variæ exiſtunt metus formæ, ſeu ſpecies, quas vocant, ſuo quæque nomine diſtinctæ ad ſignificandam variam ejus efficacitatem, quæ quidem ſub metum ſubjectæ eſſe dicuntur a Tullio [*Tuſc. qq. lib.4.*] *ut terror, timor, pavor, exanimatio, conturbatio, formido*, de quibus ſupra dixi (*hoc lib. 4. cap. 2.*) Ex poſita metus definitione conſequens eſt, eum partim convenire cum fuga, partim diſcrepare: nam cum metus, tum fuga eſt quædam a malo diſceſſio; ſed metus adjunctam habet moleſtiam, & animi contractionem propter opinionem impendentis, ſeu futuri mali. Utraque tamen affectio fere copulata eſt: nam ea fugimus, quæ timemus, & contra.

II.

II. Quæ ex metu naſcuntur, ea partim ad corpus pertinent, partim ad animum. Etenim metu contrahitur cor maximeque debilitatur ac tremit: iccirco natura illuc immiſſo calore ex toto corpore præſto eſt: ex quo exiſtit frigus & pallor præſertim in vultu, vox exilior, horror pilorum; quoniam vi frigoris viæ, quæ patent in corpore, comprimuntur, atque hinc ſtupor quidam, & ab opere ceſſatio. Quod Virgilius explicat (*Æneid.* 3. *v.* 48.)

Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.

& rurſus (*Æneid.* 9. *v.* 473.)

Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuncia fama ruit, matriſque allabitur aures
Euryali, ac ſubitus miſeræ calor oſſa reliquit,
Excuſſi manibus radii, revolutaque penſa.

Ex ea viarum compreſſione factum eſt aliquando, ut ſubito capilli caneſcerent: cum enim Franciſcus Gonzaga Mantuæ princeps hominem affinem ſuum ſuſpectum conjurationis nomine in turri Portæ Cæſareæ ad quæſtionem, aut ſupplicium cuſtodiri juſſiſſet, nunciatum eſt mane, totum repente canum factum. Quod quaſi prodigium principis animum flexit ad veniam (*Jul. Cæſar Scaliger exercit.* 112.) Ex eadem cauſa naſcitur corporis trepidatio, qua fit, ut vix conſiſtere poſſimus, atque hærere pedibus; itemque ſitis, quia intimæ fauces affluentis ſanguinis irroratione deſtitutæ exareſcunt. Tanta vero interdum vis eſt timoris, ut non modo corpori accidat exanimatio quædam, qua jaceat ſine ſenſu, ſed etiam interitus: nam calore, motuque ſublato, frigus cum extremas partes occupat, tum ipſa præcordia. Verum harum rerum cauſas penitius inveſtigare, ſpectat ad phyſicos. Tantum hoc loco illud animadvertere utile eſt, maximam eſſe vim ejus facultatis, quæ Græcis dicitur φαντασία: ex hac enim omnia, quæ dixi hactenus, proficiſcuntur, horror, & trepiditatio, & ægrotationes, & morbi, & interitus, quorum omnium cauſa eſt opinio malorum, & forma altius infixa phantaſiæ, cujus regnum latiſſime patet, & ſæpe vel

Digitized by Google

ea complectitur, quæ fuerunt, quaſi nunc adſint, aut quæ fieri fortaſſe poſſunt, ſed nunquam futura ſunt. Ferunt, Judæum quemdam in Galliis, cum ex agro domum nocte rediiſſet dormiens in aſino, tranſiſſetque ruptum pontem per anguſtam tabulam, poſtridie periculum cum attentius conſideraret, quod evaſerat, exanimatum jacuiſſe; & conjuges quidam lamentari miſerabiliter cœperunt, proptereaquod ad focum eſſent collocuti quid fieret, ſi unicum filium amitterent, qui cæteroquin optima valetudine utebatur (*Ludovicus Vives de Anima lib. 3. cap. 22.*)

III. Eorum vero, quæ orta ex metu ad animum referuntur, quædam honeſta atque utilia; quædam turpia ſunt & pernicioſa. Prioris generis eſt cautio, qua fit, ut prævideantur futura mala, & caveantur, ſi fieri poſſit, aut ſaltem leniantur, feranturque tolerantius, cum præſertim non accidant inopinata; iccircoque nec quaſi ſubito ictu animum affligant atque proſternant. Ea porro a malis declinatio adjunctam habet prudentiam ac ſpem, a qua exiſtit alacritas ad avertendum ac propulſandum malum. Ex metu item naſcitur diligentia & cura in regenda familia, & civitate, adminiſtrandaque republica cum dignitate: qui enim prudenter timet, ne in bonorum reprehenſiones incurrat, in ignominiam, in dedecus, is optime conſulit & ſibi, & familiæ, & communitati, & cavet, nequid peccet, nec quicquam detrimenti capiant ii, quibus præeſt; quamobrem cautus eſt in adeundis, ſuſcipiendiſque periculis, in gerendis negociis domeſticis, ac præſertim publicis, aliiſque generis ejuſdem, & promptior ac paratior ad ea facienda, quæ ſunt honeſta. Recte Tullius (*Tuſc. qq. lib.* 4.) *metum vero ſi quis ſuſtuliſſet, omnem vitæ diligentiam ſublatam fore* (dicunt Peripatetici) *qua ſumma eſſet in eis, qui leges, qui magiſtratus, qui paupertatem, qui ignominiam timerent*. Eodem modo metu pœnarum ac legum multi aut abſtinent, aut revocantur ab ſcelere: jura enim, quæ quaſi fundamentum ſunt, columenque reipublicæ, fere ſuſtinentur metu aut hominum, aut ultoris Dei: eo ſublato, jura cum humana, tum divina impudentiſſime violarentur, ſoluto etiam nexu ſanctæ ſocietatis. Quamquam vero quos ad officium impellit unus pœnarum metus, ii boni non ſint, ſed im-

improbi; tamen utile eſt, ab iiſdem non perturbari rempublicam malefactis. At ſæpe pœnarum timor honeſti viri eſt, quippequi eſt ita animatus, ut non modo metuat jura, ſed etiam amet ac revereatur propter honeſtatem. Quapropter male Stoici metum omnino volunt abeſſe a ſapiente (*apud Tullium Tuſcul. qq. lib.3. aliiſque in locis*) Tantum videndum eſt, quænam honeſte timeantur, quæ ſecus. Enimvero in primis vehementer pertimeſcenda culpa eſt; quippequæ vel unicum malum eſt, vel certe omnium maximum. Quo efficitur, recte dixiſſe philoſophos, præter culpam nihil eſſe, quod metum afferat ſapienti: nam alia quælibet, quæ habentur in malis, nulla ſunt, ſi cum peccato ac turpitudine comparantur, quæ animo tantum nocet, quantum excogitari nullo modo poteſt; ærumnæ vero & calamitates poſſunt prodeſſe plurimum. *Nec vero paupertas horribilis eſt*, ait Ariſtoteles (*lib.3. Ethic. cap.6.*) *nec aut pertimeſcenda, nec morbus, nec omnino quicquam præter culpam;* quæ dicitur aurea ſententia ab Joanne Caſi (*Moral. qq. lib.3 cap 6.*) Similiter ſcribit Tullius (*Epiſt. Famil. lib. 6. Epiſt. 4 ad Torquatum*) *conſcientiam rectæ voluntatis maximam conſolationem eſſe rerum incommodarum, nec eſſe ullum magnum malum præter culpam.* Nihil dico de Stoicis, qui *nihil in bonis habent, niſi honeſtum; nihil, niſi turpe, in malis* (*apud Tullium de Fin. lib.3.*) quare nec Senecam, nec Epictetum, nec M. Antoninum, nec alios nomino. Quod tamen non vetat, ne & parentes, & præceptorem, & regem, & magiſtratum, & majores, horumque ſimiles timeamus, & alia permulta: hæc enim non timere ſcelus eſt, ut & dedecus & ignominiam. Immo & licet res adverſas, ut paupertatem, ut dolorem, ut morbos moderate metuere ac fugere; non ita tamen, ut his impendentibus perturbemur, & multo minus exanimatione quadam humili, atque fracta jacere videamur: quicquid enim accidat, parum ac leve eſt, culpa ſublata: immo putandum eſt, id nobis utile & opportunum fore; cum fiant omnia conſilio providentis Dei, qui bonis, atque honeſtis viris conſulit. Nec vero his Deus, quæ mala dicimus, ſi eſſent reipſa in malis ducenda, bonos, quos caros habet, conflictari pateretur: *nec errorem tam immanem*, ſcribit M. Antoninus (*lib. 2. eorum, quæ ad ſe ipſum*) *admiſiſſet unquam*

(*na-*

(natura ſeu Deus) ſive per impotentiam, ſive per imperitiam ut bona & mala bonis, maliſque ex æquo hominibus, nullo facto diſcrimine, contingere pateretur. Atqui mors & vita, honor & ignominia, dolor & voluptas, opes & paupertas, iſta omnia bonis pariter, maliſque contingunt; cum nec honeſta ea, nec inhoneſta ſint; nec bona itaque, nec mala ſunt. Quî vero fit, ut homines vel chriſtiani hæc omnia tantopere timeant, quæ mala dicuntur eſſe? culpam non timeant?

IV. Turpia & perniciosa, quæ ex metu naſcuntur, ſunt infractio quædam animi, & demiſſio ex præſentatione futuræ moleſtiæ: quamobrem metus & præmoleſtia dicitur: *alii autem*, ait Tullius (*Tuſcul. qq. lib.* 4.) *metum præmoleſtiam appellabant, quod eſt quaſi dux conſequentis moleſtiæ*; & cum eſt vehementior, ex animo excutit cogitata, nec ratiocinationi, nec conſilio, nec prudentiæ, nec arti, nec induſtriæ relinquit locum: totam enim perturbat & occupat vim phantaſiæ: ex quo illud Ennii (*apud Tullium Tuſcul. qq. lib.* 4.)

Tum pavor ſapientiam mihi omnem exanimato expectorat.

Unde exiſtit etiam inertia & pigritia, & laborum fuga, quæ animum abducit & retrahit ab excolendis virtutibus, a ſtudio literarum, a muneribus, quæ verſantur in adminiſtranda communitate; ac tandem ab iis, quæ cum ad privatam, tum ad publicam utilitatem pertinent, præſertim vero periculo impendente aliquo graviore, cum animi robore opus eſt, atque conſtantia. Facit autem importunus hic metus, ut in mala graviora incurratur aliquando, leviora vitandi gratia, ut contigit Fannio Cæpioni, qui proſcriptus, quod in Auguſtum conjuraſſet, cum fugeret percuſſores, ſe ipſe interemit, de quo Martialis (*lib.* 2. *Epigr.* 80.)

Hoſtem cum fugeret, ſe Fannius ipſe peremit:
Hic, rogo, non furor eſt, ne moriare, mori?

Sic imprudenter faciunt ii, qui incommodorum metu ſe privant in omne poſterum tempus emolumentis & fructibus, & voluptate, quæ rerum cognitione pariuntur, & malunt obſcure vivere, quam in hominum luce & ſibi, & plurimis pro-

prodeſſe; quod fere in pigros, inerteſque adoleſcentes cadit, quos deinde ignaviæ pœnitet, cum error corrigi, atque emendari non poteſt. Illud etiam eſt metus proprium mala augere, & quaſi repræſentare graviora, quam ſunt; immo & fingere, quæ nunquam futura ſunt, & terrere quandoque inanitate ſomniorum, aut futili conjectura; ita quidem ut gravior ſit in metu moleſtia, quam in re, quæ metuatur: *cum plus*, ſcribit Tullius (*Epiſt. Famil. lib. 6. Epiſt.* 4.) *in metuendo mali ſit, quam in ipſo illo, quod timetur, deſine*; & Diogenes (*apud Stobeum Serm.* 8. *tom.* 1.) *Omnia ſane mala plus terrere ſolent eos, qui ipſa futura expectant, quam, ubi jam acciderint, moleſtare: metus enim tam improbus eſt, ut multi rem, quam metuunt, ipſimet anticipent. Ut qui in mari tempeſtate periclitantur, non expectata ſubmerſione navis, manum ſibi prius inferunt.* Hoc rurſum timoris eſt difficultates proponere, quæ nunquam erunt, & ſemper inſidias ſuſpicari, ſcopulos, Syrtes, hominum improbitatem ac fraudes, & circumſpectare omnia: iccirco timidi ad gerenda negocia, ad contrahendum, ad adminiſtrandam familiam, aut civitatem, & ad præclara facinora ſunt ineptiſſimi: nihil novi tentare audent, atque aggredi, etſi hoc honeſtum ſit & utile communitati, metu auræ levioris, qua perturbari queant; & cum de re omni addubitent, nec ſunt ad conſilium aut dandum, aut accipiendum idonei. Prætermittunt etiam propter metum id dicere, quod eſt optimum: *ſunt enim*, ait Tullius [*lib.* 1. *Offic.*] *qui, quod ſentiunt, etſi optimum ſit, tamen invidiæ metu non audent dicere*; quare nec damna avertunt a civibus, nec alienæ conſulunt utilitati. Sed a turpi metu alia mala ac vitia proficiſcuntur, ut aſſentatio, ut perfidia, ut invidentia, ut maledicendi libido, ut mendacium: qui enim abjecto, timidoque animo eſt, aſſentatur cum ei, a quo ſibi malum timet, cum aliis, quos ſibi ſperat præſidio fore, fidem non ſervat, invidet alienis bonis, opibus, dignitati: veretur enim, ne ex alterius rebus ſecundis ſibi aliquid mali accidat: hominibus maledicit & detrahit, de quorum malevolentia ſuſpicatur, ac mentitur ad incommoda fugienda. Ex metu rurſus manat crudelitas & ſævitia contra eos, qui adverſarii judicantur; iccirco Dionyſius Syracuſarum tyrannus timidiſſimus fuit, idem-

idemque omni crudelitate barbarus (*vid. Tullius Tuſcul. qq. lib. 5.*) Inde etiam odium: nam, qui timentur, fere ſolent iidem odio eſſe: quare metus peſſimus cuſtos eſſe dicitur civitatis, quod ſenſit & Dionyſius, de quo dixi, & Nero, & alii, qui miſere perierunt, aut adverſa admodum fortuna afflicti ſunt (*de Nerone vid. Suetonium in Nerone, & de Dionyſio Plutarchum in vita Dionyſii*) nam odium adverſus hominem formidoloſum, ut tyrannum, ad metum exacuitur tamquam ad cotem; atque animus cupit ſe in libertatem vindicare. Ex quo exardeſcit iracundia, quam ſæpe conſequuntur & rixæ, & ſeditiones, & cædes. *Omnium autem rerum*, ſcribit Tullius (*lib. 2. Offic.*) *nec aptius eſt quidquam ad opes tuendas, quam diligi; nec alienius, quam timeri. Præclare enim Ennius:*

Quem metuunt, oderunt: quem quiſque odit, periiſſe expetit.

Multorum autem odiis nullas opes poſſe obſiſtere. Si antea fuit ignotum, nuper eſt cognitum. Nec vero hujus tyranni ſolum (Cæſaris) *quem armis oppreſſa pertulit civitas, paretque cum maxime mortuo, exitus declarat, quantum odium hominum valeat ad peſtem, ſed reliquorum ſimiles exitus tyrannorum, quorum haud fere quiſquam interitum ſimilem effugit: malus enim cuſtos diuturnitatis metus.* Sed de his alio in loco dixi; ad alia pergamus. Si quis damnum timet rei familiari, aut valetudini, qua ſuſpicetur fore, ut ſibi ea parare non poſſit, quæ ad vitæ uſum, commoditatemque ſunt neceſſaria, tunc inquinari incipit avaritia, & non modo tuetur ſua, ſed forte etiam rapit aliena. Tandem animus aliquando, ut alia taceam, in abjectiſſimam humilitatem ac deſperationem metu dejicitur, e qua vix unquam emergat. Ex quo conſequens eſt, nullam fere eſſe animi calamitatem metu graviorem, nullam magis exitialem, nullamque fœdiorem ſervitutem: *quiſquis alios metuit*, ait Antiſthenes (*apud Stobeum Serm. 8.*) *ſervus eſt, licet neſciat*, & Horatius (*lib. 1. Epiſt. 16.*)

Qui metuens vivit, mihi liber non erit unquam.

In

In quam rem ſcribit etiam Tullius (*Tuſcul. qq. lib. 4.*) *quid autem eſt non miſerius ſolum, ſed fœdius etiam & deformius, quam ægritudine quis afflictus, debilitatuſque jacens? cui miſeriæ proximus eſt is, qui appropinquans aliquod malum metuit, exanimatuſque pendet animi? Quam vim ſignificantes mali, poetæ impendere apud inferos ſaxum Tantalo faciunt*

Ob ſcelera, animique impotentiam...

Certe qui timet, is ſaltem ſe debilem, atque infirmum fateatur neceſſe eſt, & hominem nullius animi, atque conſtantiæ, nullius conſilii, nihil habentem omnino, quod virile ſit, nihil niſi molle, effeminatum, fractum, abjectum, inconſtans, imbecillum, leve: iccirco viros pudet fateri ſe timidos, quod videant, hoc naturam ſuam vehementer dedecere; feminas autem fere non pudet, quod ab imbecilla natura non valde ſit timor alienus. Sed opportunum eſt hoc loco dicere, quinam in metum inclinent, atque propendeant. Alii quidem ad metuendum procliviores ſunt natura; alii educatione & uſu; alii vitio & cupiditate. Natura, ut melancholici; quippequi pigri, atque inertes cum ſint, quavis difficultate terrentur, & ſpectris, & umbris, iccircoque ſuſpicioſi etiam ſunt, ut diximus alio in loco. Similiter qui debiles, ut feminæ, vel lenti ac frigidi propter ætatem, ut ſenes, ac generatim qui parum habent calentis ſanguinis circum præcordia; quam ob rem ſcribit Ariſtoteles (*lib. 3. de Part. animal. cap. 4. tom. 4.*) ea animalia eſſe pavida, quæ pro ratione corporis ſunt corde grandiore, quale ineſt in cervo, in lepore, in mure, in muſtela, in aſino: nam eadem vis ignis non æque valet in magno ac parvo domicilio, ſed in magno minus. Equidem hominem novi valde timidum, cujus cor poſt mortem aperto cadavere prægrande deprehenſum eſt. Similiter qui, ut columbæ, ut corvi, carent felle, quo ſanguis incendi poſſit præſertim circum præcordia, ſunt iidem timidi, quemadmodum & qui ea mente præditi ſunt, ut omnia curioſius ac minutius conſiderent, ac excogitandis quidem apti ſint, ſed non explicandis difficultatibus, quæ in mentem venerint. Educatione, atque uſu propendent in metum, qui cum delicate

O &

& molliter vivant, laboribus non aſſueſcunt, nec ulli perferendæ moleſtiæ, ac teneram ipſam ætatem, atque adoleſcentiam in luxu conſumunt; tum vero timent omnia, & æſtum, & frigus, & venti flatum, & pluviam, morbumque leviorem, & ſi quid incommodi poſſit eſſe in lecto, in domo, in cibo, in potu, in veſte; quorum conſuetudo ſtomachoſa eſt, ſubmoroſa, ridicula, & ineptiarum, næniarumque pleniſſima. His interdum & morbus placet, quo nimirum liberantur a labore, ut pueri a ſtudio literarum, a ferulæ acerbitate: *morbus*, ait Antiphon (*apud Stobeum Serm.* 8. *tom.* 1.) *timidis hominibus eſt loco feſti: ægrotantes enim ad agendum prodire non coguntur*. Quamobrem qui pueros, & adoleſcentes nutriunt delicatius, profecto iis male conſulunt. Solent etiam pueris interdum narrari horribilia quædam de ſpectris, de larvis, de manibus, de Orco, de Dæmone, ex quibus conceptus metus in conſequentem omnem ætatem permanat; cum jam formæ illæ pervaſerint, atque altius adhæreant ad phantaſian, ut Græci vocant. Oportet itaque quod molle eſt, aut formidoloſum, id a pueris, & infantibus removere, & potius, cum præſentes adſunt, ea meminiſſe, quæ animum excitent ad conſtantiam, & præclara gerendi alacritatem, non ad metum aut incommodorum, aut mortis; ne deinde ad ineptias delabantur; quod fecit Autemon: is enim tam timidus fuiſſe fertur, ut fere domi vixerit, duobus ſervis æreum ſcutum tenentibus ſupra ejus caput, ne quid e ſuperiori loco caderet; & ſi quando prodiret, non niſi clauſa lectica vehebatur (*Andreas Ebor. Exempl. memorab. de timor. & ignav.*) Huc revocantur ii, qui timidi iccirco ſunt, quia premuntur adverſa fortuna, ut ignobilitate, ut paupertate, ut inopia facultatum, & virium, & amicorum, aliorumque, quæ poſſint eſſe adjumento & præſidio contra difficultates. Nec audent, aut ne poſſunt quidem emergere anguſtiis afflicti, ac debilitati, cum præſertim, quæ facienda proponunt, aut conſulunt, ea contemnantur; cum vulgi opinione ſapientia ab opibus & nobilitate disjuncta nuſquam reperiri poſſe videatur. Cæterum virilem animum gerunt natura; quamquam ſint educatione, vitæque conditione depreſſi. Non eſſet unus aut Sixtus, aut Mazarinus, aut Alberonius, aut alius horum ſimilis, qui animi magnitudinem

ex-

explicarent, ſed plurimi niſi temporum iniquitate, & rerum egeſtate tenerentur adſtricti. Tandem multo plures timidi ſunt vitio & cupiditate: nam qui plura appetunt, ii metuant neceſſe eſt mala contraria: quot ergo ſunt cupiditates, tot ſunt futuri timores; quandoquidem qui nimis valetudinis ſtudio tenetur, qui divitiarum, qui gloriæ, qui voluptatum, is in metu eſt, ne eadem vel amittat, vel non poſſit conſequi, vel ne incidat in ægrotationem, in mendicitatem, in dedecus, in dolores, in cruciatus. Quo efficitur, omnes cupidos, qui plurimi ſunt, ſemper in metu verſari, eoque graviore, quo eſt cupiditas vehementior; multo autem magis, ſi cupiditas, ut fieri ſolet, adjunctam habet improbitatem: quoniam improbi timent omnia; cum videant, ſibi iratum Deum, a quo ſe puniendos ſciunt, *easque ipſas ſollicitudines*, ut Tullius ſcribit (*de Fin. lib.* 1.) *quibus eorum animi noctes atque dies exeduntur, a Diis immortalibus ſupplicii cauſa importari putant*; & alio in loco [*Tuſcul. qq. lib.* 4.] *Ea communis pœna ſtultitiæ eſt: omnibus enim, quorum mens abhorret a ratione, ſemper aliquis aliis dolor, aliis terror impendet.*

V. Huic tanto morbo, de quo hactenus dixi, aliqua eſt adhibenda curatio. Ea vero eſt maxima, quam præſcribit ipſa philoſophia; hoc eſt, nihil magni facere in terris præter virtutem, quæ nobis invitis non poteſt eripi: hæc enim vel unicum bonum eſt, ut Stoici putant, vel certe, ut & Peripateticis viſum eſt, etſi alia quædam ſint bona; tamen ita virtutis ſplendore obruuntur, ut nulla videantur eſſe, & parum referat, ad virtutem accedant, an ſecus: *nam quid aut in ſtudiis humanis*, ait Tullius (*Tuſcul. qq. lib.*4.) *aut in tam exigua vitæ brevitate magnum ſapienti videri poteſt?* Et rurſus [*de Finib. lib.*4.] *in quibus propter earum* [rerum] *exiguitatem obſcuratio conſequitur, ſæpe accidit, ut nihil intereſſe noſtra fateamur, ſint illa, nec ne ſint, ut in ſole, quod a te dicebatur, lucernam adhibere nihil intereſt, aut teruntium addere Crœſi pecuniæ.* Similiter (*lib.* 5. *Tuſcul. qq.*) *inducant animum illa, quorum ſplendore capiuntur, vires, valetudinem, pulchritudinem, divitias, honores, opes contemnere, eaque, quæ his contraria ſunt, pro nihilo ducere. Tum poterunt clariſſima voce profiteri, ſe neque fortunæ impetu, nec multitudinis opi-*

CAPUT VIII.

De Pudore.

I. PLacet Stoicis diſcrepare inter pudorem ac verecundiam (*apud Plutarchum de vitioſo pudore*) & hanc in bonis eſſe, illum in malis; iccircoque verecundiam eſſe virtutem; cum pudor ſit perturbatio, quæ non cadit in ſapientem. Sunt, qui putant (*apud Giphanium in Ethic. Ariſt. lib.4. cap.9.*) pudorem ad ea referri, quæ male ſunt facta; verecundiam vero ad ea, quæ deinceps facienda ſunt, ut apte decoreque fiant: qua de cauſa aſpectum honeſti viri, aut confertæ multitudinis etiam in recte factis veremur, ut ſcribit Patritius Senenſis (*de Regno lib.6. tit.20.*) Verum hac differentia pudoris ac verecundiæ non utimur, quippe quæ videri poſſit excogitata ſubtilius præſertim a Stoicis, qui ſolent de nominibus litigare. Nec vero virtutibus annumerandam arbitror verecundiam, quæ & pudor dicitur, ſed affectionibus: virtus enim ſemper in bonis eſt; pudor autem, & verecundia non ita, ut dicam: tum pudor non eſt ſine quadam corporis commotione, quæ per ſeſe non eſt adiuncta virtuti. Sed effici hoc idem poreſt ex pudoris natura, quam explicat definitio: pudor enim, ſeu verecundia definitur ab Ariſtotele [*lib.4. Ethic. cap.9.*] *metus quidam dedecoris & infamiæ.* Quod & probatur Platoni (*in Euthyphrone*) is enim ſcribit: *ubicumque pudor, ibi & timor. An quiſquam eſt, qui pudore afficitur atque erubeſcit, opinionem pravitatis non formidans?* metus autem eſt affectio. Eſt igitur pudor pars quædam timoris, qui propterea latius patet, ut & Plato ait [*cit. loc.*] nam & mortem, & liberorum amiſſionem, & alia timemus generis ejuſdem, quæ nullo nos pudore perfundunt: quare improbat illud Poetæ:

Scribere cur metuam, cum ſcribo de Jove ſummo?
Namque metus ſecum ſocium trahit uſque pudorem.

Digitized by Google

Ex quo conſequens eſt, pudorem ex eo naſci, quod turpe eſt aut natura, aut opinione, ut infra dicam; cum pudor ſit infamiæ metus, quam parit turpitudo, quæ vel talis ſit in ſeſe, vel eſſe videatur. Porro hæc affectio a natura eſt data, ne peccetur, ac ne mos geratur cupiditati, atque eſſe dicitur inſtar pædagogi, qui alumnum ſuum deterret ac removet a peccato, & reprehendit, ſi quid peccaverit, ut a culpa caveat in poſterum. Quamobrem gloriæ cupidi, quique rationem habent famæ ac dignitatis ſuæ, procliviores ſunt ad pudorem.

II. Quemadmodum vero alia quævis affectio, ita pudor aut honeſtus poteſt eſſe atque utilis, aut turpis ac perniciosus. Eſt certe honeſtus ac ſalutaris, ſi metuatur infamia cum propter præteritam turpitudinem, tum propter conſequentem, ſi qua eſſe poſſit in facto: nam qui peccavit, ſi hunc pudeat malefacti, ſaltem ſignificat, videre ſe rei turpitudinem, ejuſque deformi aſpectu perturbari: ex quo ſpes eſt fore, ut vitium, quod ineſt in moribus, corrigatur. *Nutriendus eſt hic pudor*, ait Seneca (*Epiſt.*25.) *qui quamdiu in animo ejus duraverit, aliquis erit bonæ ſpei locus*. Quod ſi pudor ad futuram turpitudinem referatur, ejus execrandæ ac declinandæ cauſa, eſt multo laudabilior: nam mentem integram tuetur atque puram, nec ſinit, eam peccato, ex quo exſiſtit dedecus & ignominia, contaminari: *hujuſmodi fuerint mores*, ait Jamblicus (*ad Sopratum de Virtute apud Stobeum tom.*1. *Serm.*31) *qui bonitatem probant, & verecundiam ſequuntur, propter quam turpibus cunctis abſtinemus*. Quare & Menander (*in Homopatris apud Stobeum cit. loc.*) *omnis erubeſcens*, inquit, *probus eſſe mihi videtur*: Pudorem enim rubor conſequitur maxime in vultu, ut pallor metum: nam ſanguis non confluit ad cor; quippequod non eget præſidio; ſed attollitur, atque aſcendit ad caput, in quo ineſt opinio dedecoris, & ſedes quaſi quædam verecundiæ; qua qui carent, ii os, aut frontem perfricuiſſe dicuntur. Quam ob cauſam Pythias Ariſtotelis filia interrogata (*apud Stobeum cit. loc.*) *qui color eſſet pulcherrimus*, *dixit*: *qui per verecundiam ingenuus oboritur*.

III. Omnes autem profecto pudor decet etiam viros & ſenes; quamquam his eum non convenire Ariſtoteles arbitratur

Digitized by Google

tur (*Ethic. lib.* 4.*cap.* 9.) nihil enim ſenem facere oportet eorum, ex quibus pudor naſcitur. Hoc quidem ita eſt; at ſi fecerit, ut ſæpe contingit, eum facti pudere honeſtum eſt ac verecundia item cohiberi, ne quid peccet in poſterum tempus; quod nec Ariſtotelem negaturum puto. Plato aperte pudorem convenire omnibus, ſcribit multis in locis, eumque colendum eſſe a legumlatore, & quovis alio, qui poſſit hominibus prodeſſe quodammodo (*Dial.* 1. *de Legibus*) atque item fingit (*in Protagora*) ab Jove humanæ ſaluti providente miſſum eſſe Mercurium, qui pudorem & juſtitiam in hominum cœtus inferret, quæ duo & civitates ornarent, & conciliarent hominum inter homines benevolentiam & ſocietatem; interroganti autem Mercurio, an pudorem & juſtitiam quibuſdam tantum daret, ut artes diſtribui ſolent, quarum ſatis eſt, ſi pauci periti ſint in civitate, ut fit in arte medicinæ, juriſprudentiæ, aliiſque generis ejuſdem, reſpondit Jupiter: omnibus dato: *omnes ſiquidem horum participes eſſe debent: neque enim civitates ullæ conſtarent, ſi pauci quidam, ut artium aliarum, ſic horum participes eſſent. Legem præterea meo nomine condas, qua quiſquis omnino vel juſtitiæ, vel pudoris eſt expers, tamquam civitatis peſtis quædam ultimo ſupplicio afficiatur.* In quam rem ait Tullius [*Partit. Orator.*] *cuſtos vero virtutum omnium dedecus fugiens, laudemque maxime conſequens verecundia eſt*. Hanc & in gerenda republica ſummopere neceſſariam eſſe, nemo dubitat: qui enim pudore afficitur propter malefacta, ac juſtam reprehenſionem timet, is optime rempublicam adminiſtrat, nec ſinit, ſe perturbationibus adduci ad peccandum; ex quo dictus eſt a Tullio *moderator cupiditatis pudor* (*de Finib. lib.* 2.) In primis autem decet pueros & adoleſcentes verecundia;

Decet verecundum eſſe adoleſcentem,

ait Plautus (*in Aſinaria act.* 5. *ſcen.* 1.) atque hac ætate potiſſimum argumentum eſt bonæ indolis, & inclinantis ad honeſtatem; & mentis item, quæ intelligit, & conſiderat, quid honeſtum ſit, quid turpe, quid deceat, quid ſecus: ſolet autem cognitionem turpitudinis etiam peccati fuga conſequi, ſtudiumque vir-

Digitized by Google

virtutis. Diogenes cum puerum animadvertiſſet erubeſcentem, *Confide*, ait, *fili*, *hujuſmodi eſt virtutis color* (*apud Laertium in vita Diogenis lib.6. cap. 2. num.6.*) Et *Cato dicebat*, *ſibi adoleſcentes eos magis probari*, *qui erubeſcerent*, *quam qui expalleſcerent* (*apud Plutarchum de vitioſo pudore*) illi enim dedecus & probrum timent; hi reprehenſionem ac pœnam. Id tamquam virtutis indicium probavit etiam Seneca in adoleſcente amico Lucilii ſui (*Epiſt.* 11.) *Ubi ſe collegit*, inquit, *verecundiam*, *bonum in adoleſcente ſignum*, *vix potuit excutere: adeo illi ex alto ſuffuſus eſt rubor*. Iccirco Lycurgus Lacedæmonios pueros ſumma cura ac diligentia erudiri juſſit ad verecundiam, ut auctor eſt Xenophon (*de Rep. Lacedæm.*) *Ad hæc*, inquit, *volens* [Lycurgus] *quaſi naturalem his pudorem vehementer conciliare*, *imperavit*, *ut in viis manum intra pallium haberent*, *ſilentioque incederent*, *ac nuſquam circumſpicerent*, *ſed humi defixos oculos tenerent*. *Hic certe patet*, *maſculinum ſexum & circa pudicitiam acriorem eſſe natura muliebri*. *Itaque illorum voces minus*, *quam ſi lapidei eſſent*, *audieris*, *oculos vero minus*, *quam ſi eſſent ænei*, *converteris*; *majori autem eos pudore affici*, *quam ipſas in thalamis virgines*, *exiſtimaris*. *Ac poſteaquam in convivium venerint*, *ſatis profecto ſit*, *ſi vel ad interrogata reſpondeant*. Præſtat autem, pueros pudore induci ad benefacta, & ad dedecus fugiendum, quam metu: nam quæ magiſtro pudore fiunt; ea ſunt magis diuturna, quam quæ metu; cum pudor inhæreſcat penitus in animo, & ſemper præſens adſit; metus autem ſit extrinſecus, & tolli facile poſſit. Hinc illud P. Mimi [*apud Muretum*]

Pudor, *quem non flectit*, *non frangit timor*.

Præſertim vero coram ſenioribus, atque iis, qui majores ſunt natu, maxima debet eſſe, adoleſcentum, ac nato minorum verecundia, ac formido quædam, ne quid indecore aut faciant, aut dicant, aut etiam, quod decet, id prætermittant facere. Athenis ſenex quidam ad ſpectacula in theatrum venit; & cum, qui locum daret, eſſet nemo, forte ad Lacedæmoniorum legatos progreſſus eſt, qui hominis canitie permoti in eum reverentiam teſtati ſunt perhumano aſſurgendi officio, ſede

in-

Inter ipſos honeſtiſſimo loco data. Quod ubi populus animadvertit, alienæ urbis verecundiam ſummo plauſu comprobavit. *Ferunt tunc e Lacedæmoniis unum dixiſſe: ergo Athenienſes, quid rectum ſit, ſciunt, ſed id facere negligunt* (*Valerius Max. lib.* 4. *cap.* 5. *inter externa num.* 2.) Quocirca jure Iſocrates (*in Oratione ad Demonicum*) Demonicum adoleſcentem adhortatur ad verecundiam, aliaſque virtutes, quæ cum ea conjunctæ ſunt: *exiſtima*, inquit, *te maxime decere modeſtiam, verecundiam, probitatem, temperantiam.*

IV. At non modo ergo alios, ac majores potiſſimum adhibenda verecundia eſt, ſed etiam erga nos ipſos; ita quidem, ut, quamquam præſente nemine, nos pudeat non ſolum ea facere, ſed vel cogitare, quæ turpia ſunt, ut præceptum eſt a Democrito (*apud Stobeum Serm.* 31. *tom.* 1.) *malum*, inquit, *etiamſi ſolus fueris, neque dixeris, neque feceris. Diſce autem teipſum multo magis, quam alios revereri*; ſimiliter a Theophraſto (*cit. loc.*) *reverere teipſum, & non erubeſces coram aliis*; atque a Catone (*ibidem*) *in primis autem exiſtimato, unumquemque oportere revereri ſeipſum*. At multi cum ſibi dedecus & infamiam inferant malefactis, invidentia, libidine, intemperantia, volunt alios in ſe obſervantes eſſe & verecundos; qua fronte non video. Dixi hactenus, pudorem, ſeu metum infamiæ propter peccatum ac vitium eſſe laudabilem, ac maxime ſalutarem: nam culpa una eſt, ex qua vere exiſtat infamia. Nihilominus aliud quoddam eſt turpitudinis genus, cujus honeſtum virum pudere oporteat: eſt enim aliquid turpe, quod non quidem flagitium eſt; ſed tamen tale eſt, quia non decet, nimirum quod fit contra urbanitatem, inſtitutum, morem, conſuetudinemque civilem; quale eſt cantare in foro, decori leges violare in oratione, in geſtu, in aliis generis ejuſdem de quibus non uno in loco dixi, & copioſe diſputat Tullius (*lib.* 1. *de Offic.*) Apud Perſas quidem, ut a Xenophonte ſcriptum eſt (*de Pædia Cyri lib.* 1.) turpe erat & ſpuere, & emungi, & flatus videri plenos. *Turpe item*, inquit, *ducitur, ſi quis appareat quoquam ire aut mejendi, aut cujuſquam ejuſmodi rei cauſa. Quæ quidem*, addit, *facere nullo modo poſſent, niſi & victu modico uterentur, & humiditatem per laborem conſumerent.* Turpis ac pernicioſus pudor eſt is, quo adducimur ad peccandum. Etenim non pau-

paucos petenti amico, aut viro, qui potentia valet, gratia, opibus, nobilitate, pudet negare etiam id, quod minus honeſtum eſt. Hoc pudore affici in primis ſolent adoleſcentes & pueri, qui non modo iccirco ea prætermittunt, quæ recta ſunt, & ad pietatem, ad religionem, ad obedientiam, ad obſervantiam pertinent, ſed etiam multa faciunt & dicunt honeſtati contraria: eos enim pudet præſeferre vitæ innocentiam & probitatem, quæ deridetur a malis ac facinoroſis, quibuſcum verſantur: ex quo fit, ut quamquam prædití ſint ingenii, atque indolis bonitate; tamen ſæpe ad vitia delabantur: carent enim cum judicii maturitate, tum animi firmitate atque conſtantia.

V. Contra homines, qui ad malefaciendum impellunt pudoris metu, remedia præſcribit Plutarchus (*de vitioſo pudore*) Interdum eorum improbitas repelli poteſt ſupercilio ac ſilentio, atque oculis in terram defixis; interdum etiam acriori dicto, aut riſu; quod facile erit, ſi res ſit cum obſcuris & abjectis hominibus, vel cum iis, qui inferiores ſunt gradu. *Antigonus adoleſcenti cuidam præclari Centurionis filio timido, atque molli honores poſtulanti reſpondit: apud me, o adoleſcens, propriæ, non patriæ virtutis ſunt præmia* (*Plutarchus cit. loc.*) Molliora verba uſurpare cum urbanis, ac politioribus, conſentaneum eſt; quale eſt Phocionis ad Antipatrum: *non potes me ſimul & amicum habere, & adulatorem*. [*Plutarchus cit. loc.*] Maxime vero ſi quid negandum ſit viro nobili, aut opibus & dignitate florenti, quod genus hominum difficillime flecti poteſt, & ab inſtituto conſilio revocari, enitamur neceſſe eſt, ut repulſa, quoad fieri poteſt, minus moleſta ac dura videatur. At ſi humanitate ac ſuavitate verborum non licet conſequi, ut importuni homines acquieſcant, curandum eſt, ut intelligant, ſe operam perdere, & in ſcopulum impegiſſe, qui frangi non poſſit; retinenda tamen ſemper ita humanitas eſt, ut conſtantiæ reverentia, atque obſervantia adjuncta ſit: neque enim id placet, quod Cato adhuc junior, cum eſſet Quæſtor, & rogaretur a Catulo tunc Cenſore, ac Romanorum facile principe importunis precibus, ut mulctam cuipiam remitteret, reſpondit: *turpe eſt, Catule, te Cenſorem hinc diſcedere nolentem, a lictoribus trahi*. Plus moderationis habet dictum

Age-

Digitized by Google

Ageſilai, qui juſſus a patre ſententiam ferre a legibus alienam; *a te*, inquit, *pater, jam ab initio edoctus ſum parere legibus; itaque nunc etiam tibi obtemperabo nihil committens adverſum leges;* & Themiſtocles Simonidi rem injuſtam poſtulanti, *neque tu*, reſpondit, *poeta eſſes bonus, ſi contra poeticæ artis præcepta ſcriberes, neque ego bonus judex, ſi ſecus judicarem, ac jura præſcribunt* (*Plutarchus de vitioſo pudore*) Certe *non propter pedum ad lyram inconcinnum motum damnum infertur civitati, ſed jura violando; & tamen ſunt, qui cum rationem & modum accuratiſſime tueantur in ſaltu, in literis, in verſibus, in cantilenis, alios volunt id negligere, quod rectum eſt in actionibus, in judiciis, in magiſtratu* (*vid. Plutarchum cit. loc.*) Hac in re ſummopere cavendum eſt ab aſſentatoribus, qui officioſiſſimis verbis, & laudatione humanitatis, clementiæ, liberalitatis, doctrinæ, ingenii ex te ſtudent id extorquere, quod non decet: nam multos pudet, a quibus laudati ſunt, non connivere, & morem gerere. *Hi laude, atque aſſentatione ſe emolliri ſinunt more porcorum*, ut Plutarchus ſcribit (*cit. loc.*) *quos titillatio delinit. Eoſdem Bio* (*apud Plutarchum cit. loc.*) *ſimiles dicebat eſſe amphorarum, quæ auribus apprehenſæ facile circumferuntur*. Interdum vafri ſunt, qui petunt aliquid, & cum vident, ſibi rem eſſe cum, timido, aut nimium verecundo, primum precibus utuntur, tum, ſi opus eſt, minis ac reprehenſione; cum alterutrum ad molliendum frangendumve animum valere intelligant; quippequi eſt inſtar corporis, quod adeo delicatum ſit, ut nec calorem, nec frigus ferre poſſit. Oportet itaque adverſus objurgationes animum confirmare, & cavere maxime, ne aſſentatione capiamur. In quam rem affertur a Plutarcho (*cit. loc.*) illud Menedemi, qui cum audiſſet, ſe ab Alexino ſæpe laudari; *ergo vero inquit, Alexinum ſemper vitupero: improbus iccirco homo qui eſt, vel malum laudat, vel quem bonus vituperat* (*Plutarchus cit. loc.*) *nimirum tenebat Antiſthenes Herculis præceptionem, qui pueros jubebat, laudanti gratiam habere nemini, ne inepta verecundia capti laudantibus viciſſim adularentur*. Equidem alios vituperandos non probo; ſed certe maxime probandum eſt, aſſentatorum laudes & officia contemnere. Atque illud ſtatuendum, præſtare in odia improborum, quam in juſtam bonorum reprehenſionem incurrere propter malefacta. Proderit

Digitized by Google

autem plurimum ad propulſandam importunitatem, ſi percrebuerit rumor in civitate, eſſe te bonum & conſtantem virum, qui nulla unquam ratione diſcedas ab honeſtate: nunc enim non audent, præſertim qui ſe magni faciunt, a te petere quicquam non conſentaneum rationi repulſæ metu, quam ferre turpe judicant, & a ſua dignitate alienum. Ut vero in aliis omnibus, ita in hac re multum valet ad nefarium pudorem abjiciendum aſſueſcere, atque initium a parvis ſumere, ut præclare monet Plutarchus (*cit. loc.*) *Eſt aliquis, qui te jam potu ſatiatum invitat, & allicit ad bibendum, alius ad ludendum talis, aut teſſeris, hoc ne facito; abjice inanem pudorem, nec metue ineptam loquacitatem, Xenophontem imitando, qui cum timidus dictus eſſet a Laſo Hermionenſe, cum quo teſſeris ludere recuſaſſet, confeſſus eſt, ſe ad res inhoneſtas eſſe timidiſſimum* (*Plutarchus cit. loc.*) *Si forte in garrulum quemdam incidas, ne te pudeat, abrupto colloquio, id agere, quod cœpiſti.* Similiter ob inanem pudorem, quæ laudem non merentur, etſi non inhoneſta, ea, cave, ne laudes, neque addas te ſocium adulatoribus. Qui aſſueſcit vitioſo pudori non cedere in rebus parvis, ſpes eſt magna fore, ut nec cedat in magnis. At contra ſi adeo delicatus eſt, atque imbecillus, ut pudore vincatur in levioribus, quo pacto obfirmata fronte abjiciet importunam verecundiam, cum incident multo graviora? cum forti animo repugnandum erit ejus precibus & voluntati, qui potentia, qui opibus, qui divitiis, qui auctoritate plurimum valet? cum is reprehendendus, qui in civili gubernatione delinquit, gerendoque munere magiſtratus? qui alienæ famæ detrahit, qui maledicit, qui egregie imponit innocenti? Quid præſertim, ſi contradicere multitudini neceſſe ſit adverſus æquum & fas aliquid flagitanti? Iccirco vehementer refert, ut dixi, aſſiduitate quotidiana, & exercitatione in rebus levioribus animum comparare ad repellendum timorem, quo inducimur ad peccandum.

Eraſm. legit *Xenophanem*.

VI. Eſt aliud quoddam vitioſi pudoris genus, qui etſi forte peccato vacat, nocet ſaltem rei familiari & ſæpe famæ; cadit autem in eos, qui debitores quamquam idoneos ad ſolvendum non audent cogere, & ne pecuniam quidem ſibi debitam poſtulare, ac jus ſuum perſequi ad levandam in-

Digitized by Google

interdum egeſtatem familiæ ſuæ, atque incommodam vitam ducunt, ne aliis moleſti videantur. Ex eodem numero ſunt, qui propter ineptum pudorem mutuam pecuniam dant hominibus, quorum ſuſpecta eſt fides, aut nulla accepta cautione. *Perſæus cum amico mutuum argentum daret, voluit ea de re in foro, & apud menſarium ſcripturam confici ad rei contractæ ſecuritatem, ſcilicet memor Heſiodei præcepti (Opera, & dies lib. 1. v. 368.)*

Et cum fratre jocans, cura tunc teſtis ut adſit;
Fidere ſæpe nocet. . . . .

cumque alter admiraretur, ac diceret: adeone, Perſæe, omnia ſecundum jus? Omnino, reſpondit, ut amice recipiam, neque jure experiar in repetundo (Plutarchus cit. loc.) multi enim initio ob vitioſum pudorem prætermiſſa cautione, deinde lege agere coacti ſunt, ſuſceptis inimicitiis. Nec vero quid ſit futurum plane compertum eſt. Plato Heliconis Ciziceni probitatem, animique moderationem laudavit, epiſtola ad Dionyſium data, quam tamen his verbis concluſit: *hæc ad te ſcribo de homine, quod animal natura mutabile eſt (apud Plutarchum cit. loc.)* Ineptus eſt etiam eorum pudor, qui ſpondent pro alio, ſeu vadimonium promittunt inviti; ex quo ſæpe magnum conſequitur detrimentum rei familiari, ac pernicies manat in omnem poſteritatem. Juremerito eſt in proverbio: *ſponde, præſto noxa eſt.* Quo circa præſtat ſemel rubere præ verecundia, quam diu tabie contabeſcere, ut rurſus eſt in veteri effato, vel ut Creon dixit ad Medeam (*apud Plutarchum cit. loc.*)

Præſtat jam nunc inviſum me fieri tibi,
Ob mollitiem quam poſtmodo gemere meam.

etſi nihilominus pudore victus unicam diem petenti dum aſſentitur, familiam ſuam perdidit. Quo ſit, ut pudorem, de quo dixi, ſtatim conſequatur pœnitentia & moleſtia diuturna, quæ repelli facile potuiſſet; iccircoque ſumum qui fugiunt, in ignem incidunt. Sunt etiam qui quædam dant petentibus non dandi voluntate, ſed verecundia negandi; in-

Digitized by Google

interim vero prætereunt & probos, & affines, & familiares, & inepto pudori plus deferunt, quam judicio; ſecus ac *Archelaus fecit rex Macedonum, qui, poſcente quodam in cœna aureum poculum, Euripidi id dare juſſit; atque in alterum intuens; tu quidem, inquit, ad petendum idoneus es, non ad accipiendum; ille autem ad accipiendum; quamquam non petat. Lepide item Antigonus Senex Cynico cuidam drachmam poſtulanti, non eſt, reſpondit, hoc donum regium; atque illo inſtante: da ergo talentum: hoc accipere, inquit, non eſt Cynicum* [*Plutarchus cit. loc.*]

VII. Contingit etiam interdum, ut multa, quæ præſtare aut in noſtra non eſt poteſtate, aut rationi non conſentaneum, amicis, aut iis, quibus cum vivimus, propter pudorem polliceamur, V. C. commendationes, aut literas, quibus illi juventur apud nobiles, potentes, aut gratioſos viros. Qua in re accurata adhibenda cautio eſt, & videndum inprimis, ne commendatione careant prudentiæ & probitatis ſuæ. *Xenocrates inepti pudoris gratia Polyſperchonti Macedoni hominem commendavit non bonum, quem cum Polyſperchon humaniter excepiſſet, ab eoque quæſiviſſet, quibus rebus opus haberet, ille talentum petiit; dedit Macedo; ſed Xenocratem datis literis monuit, ut in poſterum perpenderet aliquanto accuratius, quales eſſent ii, quos commendaret* (*Plutarchus cit. loc.*) Quod ſi cum temere quidpiam promiſſum eſt, id non præſtatur, vel quia fieri non poteſt, vel quia incommodum & moleſtum eſt, re attentius conſiderata, qui fide ſe obſtrinxit injuſtæ reprehenſionis metu, in apertum dedecus & gravem quamdam ignominiam incidit; ut cum promiſit pecuniam, deinde non dat, promiſſum vadimonium deſerit, ſtipulatur nuptias, tum abnuit. Verum ineptus pudor late patet. Quot ſunt, qui non ratione permoti, at pudore vel medicum minus peritum, vel patronum eligunt, vel præceptorem, vel tonſorem, vel artificem, horumque ſimilem, cum alii ſint multo peritiores? eademque de cauſa unam ſectam ſequuntur, etſi aliam magis probant? unum vocant ad convivium, non alium? Immo fuere nonnulli, quos ineptus pudor a tuenda vita deterruit, & declinando periculo, de quo prudenter ſuſpicarentur. *Quo pacto interiit Dio, quem puduit cavere a Callippo amico & hoſpite; etſi ab eo inſidias ſibi parari,*

non

non obſcure accepiſſet. Similiter a Demetrio interfectus eſt Antipater Caſandi filius, quem pudor impulit, ut cum eodem cœnatum iret (Plutarchus cit. loc.)

VIII. Eſt tandem alius pudor, qui licet ferendus videatur; multum tamen habet inanitatis & ineptiarum, nec dignus eſt ſapiente; cum ſit opinionis, qua vulgus ducitur & permovetur. Talis eſt pudor ex his ortus, quæ a noſtra actione non pendent, nec noſtræ ſunt voluntatis, ut qui exiſtit ab inopia rei familiaris, a tarditate ingenii, a vitio, & minus concinna forma corporis, ſpecie, venuſtate, a patriæ obſcuritate, ab ignobilitate familiæ, a domeſticorum, affinium, conjunctorumque dedecore, atque ignominia, maxime vero parentum: ex quo extat illud: nemo tam eſt vir excellens, ſuiſque fidens virtutibus, quem non frangat parentum ignominia. At recte ſentienti nihil horum juſtum ac legitimum pudorem importat: eſt enim ridiculum pudere nos rerum, quæ in noſtra non ſunt poteſtate, & nobis culpæ verti nullo modo poſſunt; cum pudor ſit infamiæ metus; atqui, ſublata turpitudine, nullus eſt veræ infamiæ locus. Quod a fortuna profectum eſt, non a delectu, animique judicio, nec vituperationem habet, nec laudem; ſimiliter quod alii non recte faciunt, quamquam filii, clientes, diſcipuli, familiares & neceſſarii, id ipſorum tantum culpa eſt, ſi nihil a nobis diligentiæ prætermiſſum eſt, quam officii noſtri ratio poſtulat. At tanta eſt opinionum perverſitas, ut plures pudore afficiantur propter generis ignobilitatem, propter anguſtiam rei familiaris, propter tarditatem ingenii, memoriæ infirmitatem, debilitatemque linguæ, propter aliena malefacta; non autem propter animi ſui impotentiam, turpitudinem, egeſtatem, propter ignaviam ac negligentiam, propter impudentiam, atque audaciam in dictis, & in factis propriis improbitatem; qua quidem re nihil poteſt eſſe dementius. Sunt tandem non pauci, qui ſtulto quodam pudore ſemper malunt neſcire, quam ſemel diſcere; idcirco non interrogant ſapientes, nec ad ſcholas, & academias accedunt; multum ſibi videntur detrahere dignitati ſuæ, ſi dicant, neſcio; cum in tanta rerum cognoſcendarum multitudine ac varietate ignorare plerumque non turpe ſit; ſed turpe nolle diſcere. M. Antoninus imperator, idemque phi-

philoſophus non erubuit fateri, ſe a multis didiciſſe, eoſque nominat honoris cauſa (*lib. I. eorum, quæ ad ſeipſum*) Alios prætereo, quos videmus verecundantes ſine ulla cauſa, ut ſæpe pueros & ruſticos.

IX. Ne vero pravæ hujus generis opiniones puerorum, atque adoleſcentum animis innaſcantur & adhæreſcant, eos docere mature oportet, quænam revera turpitudinem habeant, quæ ſecus; iccircoque quarum rerum ipſos pudere debeat, quarum non debeat omnino. Cavendum tamen eſt, ne una cum turpi, vitioſo, atque inepto pudore etiam honeſtus & utilis amputetur; ut qui ab olea, aut vite, quod nimium luxurioſum eſt, id circumcidit, videt, ne excindat item ea, quæ fructuoſa fore videantur. Quemadmodum enim vituperanda timiditas eſt, qua levi, aut nulla de cauſa ad dedecoris & infamiæ metum impellimur; ita impudentia, ideſt prava, affectio, quæ frontem omnino tollit, aut ſaltem ita perſtringit, ut nullo ignominiæ metu ad erubeſcentiam moveatur. Hæc cum omnes, tum præſertim pueros, atque adoleſcentes vehementer dedecet, & flagitiis viam aperit, & peſſimæ cujuſdam indolis argumentum eſt: abjecto enim honeſto pudore, quaſi divulſo ac diſſipato aggere, ſcelus latiſſime funditur ac propagatur. Quamobrem ſcribit Seneca (*in Thyeſte act. 2. v. 215.*)

. . . . *Ubi non eſt pudor,*
Nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides.

Et Plautus [*in Bacchide*]

Nam illum ego periiſſe duco, cui quidem periit pudor.

Inverecundus enim, atque impudens non modo peccat, ſed & aperte demonſtrat, ſe probare peccatum & turpitudinem, poſthabita omni honeſtate; quo nihil nocentius, aut effrenatius eſſe poteſt. Quamobrem qui ſemel pudorem abjecit, is deſperatæ conſcientiæ, ac perditæ judicatur. Verum ut ſublato pudore in animum vitia reliqua dominantur; ita hæc vitia ſi quem occupare cœperint vel maxime verecundum, paulatim ei pudorem excutient plane omnem: *vir*

enim

Digitized by Google

Diſce enim turpis, ait Euripides [*in Iphygenia in Aulide apud Stobeum Serm.* 31. *tom.* I.] *neminem vereri ſolet*. Quocirca improbiſſimi, ac præſertim elati & ſuperbi nullo pudoris ac verecundiæ ſenſu permoventur; quoniam eſſe ſe aliis ſuperiores putant, & cum iis verſari, quos nihil revereri debeant. Sunt etiam, qui cogitato, ac data opera affectant impudentiam, ut nemini inferiores videantur; homines nimirum, qui fere aliis non præſtant, niſi magna cerebri vacuitate. De pudore ſatis.

CAPUT IX.

De Zelotypia.

I. ZElotypia & obtrectatio pro una, eademque re uſurpatur a Tullio; quippequi ait (*Tuſcul. qq. lib.* 4.) *Obtrectatio autem eſt ea, quam intelligi zelotypiam volo, ægritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipſe concupierit.* At multi præſertim poetarum zelotypiam tantum in re amatoria ponunt: nam ζηλοῦν apud Græcos eſt amare & æmulari; τύπος autem eſt forma, quaſi ſit æmulatio de forma; unde verbum ζηλοτυπέω, ex quo ζηλοτυπία. Quare ſcribit Juvenalis (*Satyr.* 5.)

Nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert
A digitis; quas in vaginæ fronte ſolebat
Ponere zelotypo juvenis prælatus Hiarbæ;

hoc eſt, Æneas, quem Dido prætulit Jarbæ regi Libyæ, cujus nuptias repudiavit, ut Æneæ nuberet. Obtrectationem vero generatim referunt ad vitioſam quamlibet æmulationem, detractionem famæ, atque invidentiam. Equidem zelotypiam ab obtrectatione arbitror diſcrepare, ut a cauſa id, quod ex ea naſcitur: obtrectare enim proprie eſt maledicere, ſeu alicujus dicta, aut facta verbis depravare, vel de aliena laude decerpere; quæ manant a zelotypia. Non eſt tamen novum pro cauſa accipi interdum id, quod ex ea

eſt ortum, & contra. Quocirca hoc loco utimur nomine zelotypiæ, verum ut hæc latius patet, nec tantum ad rem amatoriam pertinet; & cum non modo in malis, ſed etiam in bonis habenda ſit, definiri poteſt affectio, qua timemus, ne quis poſſideat, quod poſſidere ſoli cupimus. Ex quo, ut pudor, de quo dixi capite ſuperiore, ita zelotypia timoris pars quædam videtur eſſe, etſi cum ea etiam triſtitia conjuncta eſt, profecta ex metu, ne quis ſocius accedat ad rei poſſeſſionem, qua cæteroquin ſoli potiri volumus. Ira item maxime contra rivalem comes eſt zelotypiæ. Cæterum hæc affectio non niſi ad ſuſpiciones referrur: cum enim juſta & probabilis cauſa eſt metuendi mali, qui hoc conatur avertere & propulſare, is non dicitur affici zelotypia, quæ quidem facit, ut vel levis ſuſpicio, magni ponderis ratio, atque argumentum eſſe videatur, & dignum, quod perpendatur attentius.

II. Incidunt autem cauſæ, cur zelotypia, ut dixi, honeſta ſit; hoc eſt, cum hinc bonum, a cujus poſſeſſione alios excludi velis, vel cui incommodum times, magnum eſt, inde eodem bono alter non niſi inique potiri poreſt; V. C. imperator, ſeu dux militiæ, cui præclaræ cujuſdam urbis cuſtodia credita eſt, & civium ſalus, zelotypia merito permovetur, hoc eſt, metuit omnia, quæ poſſint quemvis aditum aperire hoſtibus ad potiundum; neque honeſta mulier vituperatur, quæ tam ſtudioſe cavet honori ſuo, ut quælibet ab ea obtrectationis occaſio accuratiſſime devitetur. Parentes item laudantur, præceptores, & quiſquis aliorum curam gerit, ſi hac affectione ducuntur quodammodo, prudenter tamen, ac moderate ſine propria, aut aliena moleſtia. Quamobrem & honeſte facis, ſi ratione, & cum modo adduceris zelotypia ad iracundiam adverſus illos, qui detrimentum, aut dedecus & infamiam inferunt patriæ tuæ, reipublicæ, parentibus; & quicquid his injurioſum inique fieri vides, propulſas pro viribus.

III. At fere zelotypia turpis eſt, & in malis: eſt enim temere ſuſpicioſa & turbulentiſſima, anxia, moleſta: quandoquidem ea qui conciratur, is auras omnes captat, & dicta quæque, ac facta perpendit, atque amplificat ipſe ſecum, & ſingula iniquiſſime calumniatur, & deflectit ad peſſima;

ex

Digitized by Google

ex quo non modo ſibi nocet, & curas ſuſcipit, eaſdemque graviſſimas, quibus exeditur & torquetur noctes ac dies, ſed etiam innocentes vehementer perturbat, atque integram familiam, & ſæpe communitatem. Quamquam igitur zelotypia ex amore naſcitur; ea tamen nihil magis eſt vero amori contrarium: etenim cum animum occuparit, ingratiſſimam efficit ſocietatem; atque ita maligna eſt, ut eadem qui perturbatur, is pati non poſſit, rem, erga quam affectus eſt, aut laudari ab aliis, aut diligi; immo velit, ab omnibus odio haberi, atque contemni, & amicis carere, gratia, conſuetudine & familiaritate cujuſque: nunc tabeſcit taciturnitate ac ſilentio; tum vero erumpit in iracundiam & maledicta, & ſortis, in quam incidit, accuſat improbitatem.

IV. Tandem zelotypia tranſit in odium & rabiem. Quo fit, ut, ſi cum amore conjuncta eſt, is ſit admodum imperfectus; ut febris non eſt ſine vita, ſed imperfecta ac moleſta; & velut qui febri conflictatur, is quidem vivit; at febris non ad vitam confert, ſed ad interitum; ita qui æſtuat zelotypia, amat quidem; ea tamen non ad amorem opportuna eſt, ſed odium parit: neque enim poteſt quis vere amare quempiam, cujus fidem ſuſpectam habet, veteturque perfidiam & inconſtantiam. Immo exardeſcit hoc odium contra omnes, quos ζήλοτυπος apud iniquiſſimum animum ſuum confingit, occaſionem aliquam aut dediſſe, aut dare poſſe facinori, de quo eſt anxius. Tanta vero interdum perturbatione, ac tam cæco impetu concitatur, ut ſibi manus inferat, mortemque conſciſcat.

V. Eſt igitur hæc affectio, cum modum tranſit, non modo ridicula, & puſilli abjectique animi propria, & pleniſſima ægritudinis & curarum, ſed etiam iniqua maxime, turpis & flagitioſa. Quamquam vero difficile ſanatur; tamen tolli poteſt ratione ac diligentia; hoc eſt, ſublatis iis, ex quibus orta eſt, cauſis, ac prætertim ſuſpicione, & ad credendum facilitate; immodico item amore rerum, quæ non tanti faciendæ ſunt; cum virtus una ſit, quæ ſummum eſt in terris bonum, idemque in noſtra poteſtate ſitum. Proderit etiam, ſi qui ſentit, ſe affici zelotypia, ſecum ipſe reputet, torqueri ſe, exedique ſollicitudinibus ſine cauſa, & ni-

Digitized by Google

Seminat illa etenim bellum, liteſque maligna.
Hinc hominum nulli grata eſt: ſed ſæpe ſequuntur,
Atque colunt illam, Dis inſtigantibus ipſis.
Alteram at ipſe (etenim prior atra nocte creata eſt)
Terris impoſuit ſummi regnator Olympi
Jupiter, at longe mortalibus utiliorem.
Namque facit, ſegnem quamvis meminiſſe laboris.
Qui cernens alium diteſcere, dum piger ipſe eſt,
Feſtinat quoque arare, & humi defigere plantas,
Tum curare domum: nam vicino æmulus uſque
Vicino diteſcenti; ac pugna utilis hæc eſt.

Zeno etiam vitii poteſtatem, vimque ſubjicit æmulationi, cum eam definit (*apud Laertium lib.7. cap.1. num.63.*) *dolorem ex eo, quod alius eo potiatur, quod ipſe cupierit.* Verum æmulatione hoc loco utimur ad laudem; cum æmulatio, quæ vitioſa eſt, vix ab invidentia, de qua mox videbimus, differre videatur. Itaque definiri poteſt, ut ſit ejuſdem rei ſtudium ex ſimilitudine quadam, imitationeque profectum. Studium, inquam, ejuſdem rei: neque enim in re diſſimili poteſt eſſe contentio; ut pictor nautam non æmulatur, poeta imperatorem, architectum orator; neque cum philoſopho contendit agricola, nec medicus cum ſutore de arte ac diſciplina. Quamobrem æmulatio eſt inter pares, aut fere pares ea in re, de qua certatur: cum enim nulla ſpes eſt, fore, ut quempiam æques, hunc æmulari, & velle aſſequi ſtultum eſt. Sic fuit honeſta æmulatio, contentioque (nolo enim invidentiam dicere) de oratoria arte, atque eloquentia inter Hortenſium & Tullium, quorum alterum dum alter aſſequi, & fortaſſe etiam vincere conaretur, tamen miris laudibus efferebat, ut Tullius facit (*in Oratione pro P. Sextio fere init., aliiſque in locis*) Eademque erat horum æmulatio & contentio, ſimulque neceſſitudo cum T. Pomponio Attico, ut auctor eſt Cornelius Nepos (*in vita Pomponii Attici*) *Erat nupta*, inquit, *Soror Attici Q. Tullio Ciceroni, eaſque nuptias M. Cicero conciliarat, cum quo a condiſcipulatu vivebat conjunctiſſime, multo etiam familiarius, quam cum Quincto: ut judicari poſſit, plus in amicitia valere ſimilitudinem morum, quam affinitatem. Utebatur autem intime* (Atticus)

Q.

Q. Hortenſio, qui iis temporibus principatum eloquentiæ tenebat, ut intelligi non poſſet, uter eum plus diligeret, Cicero, an Hortenſius, & id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut inter quos tantæ laudis eſſet æmulatio, nulla intercederet obtrectatio, eſſetque talium virorum copula. Hac etiam noſtra ætate inter plures literatos viros & æmulatio, & amicitia, & familiaritas intercedit; quamquam ſint alii, qui literati nomen, & literarum gloriam iniquo morſu ac livore commaculant. Nec vituperandi ſunt, qui in mercatura, in agricultura, in pingendi, cælandique arte, in parandis emolumentis æmulantur optimos, ſi modum & decorum tenent.

II. At nulla eſt laudabilior æmulatio, quam imitatio virtutis, quæ præterea hoc habet commodi; quod irrita, atque inanis eſſe nunquam poteſt, ſi velimus: eſt enim virtutis acquiſitio in nobis ſita. Itaque prudentis eſt eos imitari, qui liberales ſunt, juſti, fortes, magnanimi, manſueti, continentes, urbani, aliiſque virtutibus prædıti, quibus & ſibi bene conſulunt, & amicis, & patriæ, & reipublicæ: in quo etiam apparet quædam animi excelſitas & amplitudo eam perſequentis, quæ ſolidam habent cum præſtantiam, tum voluptatem, deſpicientiſque caducarum rerum inanitatem. Omnes autem, ſed maxime ingenuos adoleſcentes ac juvenes decet hæc æmulatio ad literarum ac virtutis gloriam ſibi comparandam: poſſunt enim magnos quoſdam progreſſus facere, ſi doctiſſimos viros, atque honeſtiſſimos ſibi proponant ad imitandum; præſertim cum ſpei pleni ſint propter fervorem ætatis, nec facinorum difficultate terreantur; & cum alios videant, qui præeunt, facile ad curſum incitantur. Quo ſpectat illud Ovidii (*de Arte lib.6.*)

Tunc bene fortis equus reſerato carcere currit:
Cum quos prætereat, quoſque ſequatur, habet.

Quamobrem in ſcholis & academiis nulla eſt excogitata ratio, qua vehementius inflammentur animi ad ſtudia literarum, ad labores, ad vigilias, ad diligentiam, quam æmulatio, ex qua factum eſt, ut quammulti ſummum aſſecuti ſint doctrinæ ac dignitatis gradum, magnamque in literaria republica nominis celebritatem.

III

Digitized by Google

III. Hæc quidem virtutis, ſtudiorumque imitatio maxime laudanda eſt; verum ſi eo progrediatur, ut ad invidentiam deflectat, quod facile eſt, maxime vituperanda: eſt enim invidentia in vitio. Invidentiam, dico, non invidiam, *quæ*, ut Tullius ſcribit [*Tuſcul. qq. lib.*3.] *tum eſt, cum invidetur: ab invidendo autem invidentia recte dici poteſt, ut effugiatur ambiguum nomen invidiæ: quod verbum ductum eſt a nimis intuendo fortunam alterius, ut eſt in Menalippo*:

Quiſnam florem liberum invidit meum?

Male latine videtur. Sed præclare Accius: ut enim videre, ſic invidere florem rectius, quam flori; nos conſuetudine prohibemur: poeta jus ſuum tenuit, & dixit audacius. Itaque invidentia ex ſententia Ciceronis ab invidia diſcrepat, ut habitus ab actione. Alio in loco [*Tuſcul. qq. lib.*4.] idem Cicero ſcribit, invidentiam minus late patere, quam invidiam: illa enim in eum tantum cadit, qui invidet; hæc vero in eum etiam, cui invidetur: ſubjicitur *ægritudini*, ait, *invidentia* (*utendum eſt enim docendi cauſa verbo minus uſitato*) *quoniam invidia, non in eo, qui invidet, ſolum dicitur, ſed etiam in eo, cui invidetur;* ideoque uſurpatur pro odio & malevolentia. Ex quo uſitata ſunt hæc: invidiam facere alicui, hoc eſt, quempiam odioſum reddere, invidiam ſubire, in invidiam adducere, invidiam habere, ſibi vel alteri conflare invidiam, aliaque generis ejuſdem. Sed ad rem venio. Invidentia eſt mœror ſuſceptus ob alterius res ſecundas; propterea quod iis quidpiam noſtræ excellentiæ detrahi videatur.

IV. Ex quo conſequens eſt, eam diſcrepare ab odio, ab ira, ab indignatione: nam odium eſt animi abalienatio, declinatioque ab re, quæ aut mala ſit in ſeſe, aut eſſe videatur; ira vero acceptæ injuriæ ulciſcendæ libido; indignatio tandem triſtitia propter alterius res ſecundas, quibus eum indignum judicamus; cum invidentia ex eo ſit, quod putemus, alienam proſperitatem quidpiam noſtræ gloriæ ac dignitati derogare. Hinc poteſt intelligi, quid præſertim obnoxium ſit invidentiæ, id videlicet, quod excellit & præclarum eſt, ut potentia, ut opes, ut imperium, ut dignitates, ut gloria: ut enim majori luce minor offunditur & obſcu-

ſcuratur; ita putant quidam alieno lumine obrui poſſe, aut ſaltem obſcurari ſuum: *ſemper*, ait Dionyſius (*apud Stobeum tom. 1. Serm. 38.*) *omnia excellentia comitem habent invidiam. Omne, quod intellectu præſtat, invidioſum eſt.* Et Euripides (*in Bellorophonte apud Stobeum ib.*) *Invident utpote fortis ſibi deterioris: ſolet enim invidia ad res illuſtres proſilire*: quamobrem ignis ac flammarum dicitur eſſe ſimillima: effertur enim, & petit altiorem locum, ac in quoſcumque fortunatos incidit, florenteſque aut rerum opulentia, aut dignitate, aut ingenio atque eruditione, aut virtute, eos dente carpit ac mordet.

V. Sentiunt in primis literati viri, qui ſint morſus invidentiæ, quam acres, quam omnino expertes humanitatis; ſentiunt ii, qui gerunt magiſtratum, ſi animi magnitudine, ſi fide, ſi conſtantia, ſi juſtitia, tandemque virtute præditi ſunt; ſentiunt omnes, quotquot aliquantum eminent ſupra cæteros. *Athenienſes invidia concitati Socratem philoſophorum ejus ætatis optimum morte damnarunt* (*vid. Diog. Laert. in vita Socratis lib. 2. cap. 5. num. 19*) Nec Themiſtocles etſi de patria præclariſſime meritus effugit civium ſuorum invidiam: *namque ob eumdem timorem, quo damnatus erat Miltiades* (*de quo vid. Cornel. Nepot. in Miltiade num. 7.*) *teſtularum ſuffragiis e civitate ejectus Argum habitatum conceſſit* (*Cornel. Nepos in Themiſtocle num. 7.*) Similiter Ariſtides etſi cognomine juſtus ſit appellatus; tamen Themiſtoclis, de quo dixi, obtrectatione exilio & ipſe decem annorum mulctatus eſt; & Alcibiades inimicorum invidia reus factus, quod ſacra violaſſet, capitis damnatus eſt, cum abeſſet, bonis publicatis, coactis etiam Sacerdotibus, ut eum devoverent (*Cornelius Nepos in Alcibiade num. 4.*) ne alios perſequar, quorum infinita fere eſt multitudo. Idcirco dicebant Epheſii (*apud Patritium Senenſ. de Inſtit. Reip. lib. 6. tit. 5.*) *nemo e vobis excellat, & ſi excelluerit, exul eſto.*

VI. Hæc quidem exempla, atque alia plura cum ab una Athenienſium urbe ſuppeditentur, compertum eſt, invidentiam maxime dominari in liberis civitatibus: cives enim, quorum fere una videtur eſſe conditio, præſertim ſi ex eorum numero ſunt, qui res publicas adminiſtrant, ægre ferunt, ſe ab aliis potentia, gratia, virtute, & fortunæ muneribus ſu-

Digitized by Google

operari. Iccirco fuerunt, qui voluntarium quaſi exilium mallent eligere, & patria carere, quam ſibi improborum invidiam conflare. *Chabrias*, ut memoriæ proditum eſt a Cornelio Nepote (*in vita Chabriæ num.3.*) *quoad ei licebat, plurimum aberat. Neque vero ſolus ille aberat Athenis libenter, ſed omnes fere principes fecerunt idem, quod tantum ſe ab invidia putabant abfuturos, quantum a conſpectu ſuorum receſſiſſent. Itaque Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Thracia, Thimotheus Leſbi, Chares in Sigæo.* Profecto uſuvenit, ut liceat ſine invidia peregre vivere multo pacatius, quam in patria: videmus ſæpe perhumaniter excipi exteros & peregrinos, obſervari ac magni æſtimari; cives autem, incolaſque contemni, cum quibus ii cæteroquin non ſunt doctrina & moribus comparandi. Sed non modo liberæ civitates, verum aulæ præſertim, ac domus virorum principum pleniſſimæ ſunt invidentiæ, immo & urbes ſingulæ, & compita, ardetque etiam in domeſticos & familiares, & quibus miſeris ſubvenitur, iiſdem fortunatis, & quodammodo eminentibus invidetur; quo fit, ut qui proni ſunt ad invidentiam, iidem ad commiſerationem faciles dicantur eſſe. Socrates (*apud Xenophontem de factis & dictis Socratis lib.3.*) *oſtendebat, multos eſſe ita ad quoſdam affectos, ut eos adverſitate laborantes non poſſint negligere, ſed in quantum poſſunt, ſuccurrant; in proſperitate vero eorum doleant.*

VII. Neque hoc cuipiam mirum videatur: nam utraque affectio ex eadem naſci poteſt; hoc eſt, ex eo, quod velis excedere: nam qui ſuſpicatur, gloriam ſuam minui comparatione præcellentium, idem intelligit, eam augeri levatione miſerorum. Præſertim vero feminatum animi invidentiæ labe ſauciantur; ex quo de re levi exiſtit plerumque maxima familiæ, aut communitatis, diuturnaque perturbatio. Inter cæteros ſuperbi, ambitioſi, glorioſi, maxime ſi iidem puſillo animo, inerti, ignavoque ſint, invident præſtantioribus, quorum virtutes non poſſunt aſſequi; atque omnes, qui res humanas ſuſpiciunt & admirantur, qui plurimi ſunt, eodem vitio laborant. *Vides tu iſtos*, ait Seneca [*de vita beata cap.2.*] *qui eloquentiam laudent, qui opes ſequuntur, qui gratiæ adulantur, qui potentiam extollunt? omnes aut ſunt hoſtes, aut (quod in æquo eſt) eſſe poſſunt. Quam magnus mi-*

Digitized by Google

rantium, *tam magnus invidentium populus eſt*. Similiter invidentia tangi ſolent ii, qui cum rem aliquam ſibi pararint ſummo labore, vident eamdem facillime ab alio partam. Tandem pauci ſunt admodum, qui hac ſcabie non inficiantur: *eſt enim*, ait Tullius (*Orat. pro L. Cornelio Balbo*) *hujus ſæculi labes quædam & macula virtuti invidere, velle ipſum florem dignitatis infringere*; ita quidem ut & ſapientes, & honeſtos viros diligenter cavere oporteat, ut animum ſuum ab eadem macula integrum tueantur: obrepit enim invidentia quædam occulta ac tacita etiam invito & minus cogitanti; adeo alte in humanis mentibus ſuperbiæ ſtirpes infixæ ſunt, ex qua potiſſimum naſcitur invidentia.

VIII. Conſtat autem, ut æmulationem, ita invidentiam eſſe inter pares, aut fere pares: nam eſt inter eos, qui de eadem re contendere poſſe videantur; contentio autem hæc nulla eſt ſine præcellendi cupiditate; atqui omnino dementis eſt iis velle præſtare, qui tam ſuperiores ſunt aut opibus, aut gloria, aliaque re generis ejuſdem, ut nulla ſpes reliqua ſit aſſequendi. Iccirco Heſiodus (*Opera, & dies lib.1. v.25.*)

> *Sic figulus figulum, ſic & fabrum faber odit,*
> *Sic vates vatem male fert; ſic Irus & Irum.*

Odiſſe hoc loco, atque ægre ferre idem eſt, ac invidere: ſcribit enim Heſiodus de vitioſa æmulatione, quæ non diſcrepat ab invidentia. Hæc affectio eſt omnium peſſima: nocet enim vehementer primum ei, qui invidet, tum ei, qui invidetur. Ei, qui invidet: quandoquidem is ſempiterno, graviſſimoque mœrore exeditur dies & noctes, &, quod miſerrimum eſt, non modo ſuis malis, ærumniſque cruciatur, quæ multæ ſunt, ſed etiam alienis bonis. Invidi, ait Theophraſtus (*apud Stobeum tom.1. Serm.38.*) *hoc ſunt reliquis infeliciores, quod alii ſuis ſolum calamitatibus dolent; invidi vero præter ſua mala, bonis etiam alienis contriſtari pergunt*. Et cum fortunati plures ſint, ſi minus re, ſaltem opinione, totidem pœnarum generibus, qui invidi ſunt, quaſi ſpinis intrinſecus ſauciantur. Invidorum indolem, calamitatemque mirifice deſcribit Ovidius (*Metamorph. lib.2.*)

Pro-

Protinus invidiæ nigro ſquallentia tabo
Tecta petit (Pallas). *Domus eſt imis in vallibus antri*
Abdita, ſole carens, non ulli pervia vento,
Triſtis, & ignavi pleniſſima frigoris, & quæ
Igne vacet ſemper, caligine ſemper abundet.
Huc ubi pervenit bello metuenda virago,
Conſtitit ante domum (neque enim ſuccedere tectis
Fas habet) & poſtes extrema cuſpide pulſat.
Concuſſæ patuere fores. Videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta ſuorum,
Invidiam, viſâque oculos avertit: at illa
Surgit humo pigre, ſemeſarumque relinquit
Corpora ſerpentum, paſſuque incedit inerti.
Utque Deam vidit, formâque, armiſque decoram,
Ingemuit, vultumque Deæ ad ſuſpiria duxit.
Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto:
Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno:
Riſus abeſt, niſi quem viſi movere dolores:
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum, carpitque, & carpitur una,
Suppliciumque ſuum eſt. . . . .

Menander item [*apud Stobeum Serm.38. tom.1.*] *Invidus hoſtis eſt*, inquit, *ſibi ipſi: ſpontaneis enim ſemper tenetur moleſtiis*. Et rurſus (*ib.*) *Invidia vero malorum omnium peſſima tabidum fecit hominem, & faciet, & facit propter impias animæ pravæ cogitationes*. Et Periander [*ib.*] *ut ærugo ferrum, ſic invidia animam illius, cui ineſt, conterit*. Eodemque modo Socrates *invidiam dixit eſſe ulcus animæ* (*ib.*) Ad hæc mala accedit, quod invidorum calamitas omni prorſus ſolatio caret: eos enim non modo nemo eſt, qui ſoletur, ſed potius omnes rident, ac deſpectu & ludibrio inſectantur. Hoc tantum boni habet invidentia, quod auctorem ſuum improbum ac flagitioſum acerrime diſcerpit ac lacerat. Recte Lucretius (*de Rerum natura lib.3.*)

Conſimili ratione ab eodem ſæpe timore

Macerat invidia, ante oculos illum eſſe potentem;
Illum adſpectari, clarus qui incedit honore:
Ipſi ſe in tenebris volvi, cœnoque queruntur.

Et Horatius (*lib.1. Epiſt.2.*)

Invidus alterius rebus macreſcit opimis.
Invidia Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum. . . . .

Eam ob cauſam ſunt, qui invido ineſſe cupiant non oculos tantum duos, ſed centum in qualibet civitate, ut plures fortunatos videant, omniumque felicitate contabeſcant. Optarent fortaſſe alii, oculos invidorum eſſe ita comparatos, ut iis omnia, etiam quæ ſecus ſunt, proſpera viderentur, & quæ fauſta ſunt quodammodo, multo potiora, & maxima, quæ parva in ſeſe; quamquam id fere contingit. Quare ſcribit Ovidius (*lib.1. de Arte*)

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris,
Vicinumque pecus grandius uber habet.

Quod acceptum puto ex Horatio (*Satyr.1. lib.1.*)

Quodque aliena capella gerat diſtentius uber,
Tabeſcat? . . . . , .

Id animadvertit & P. Mimus, cujus ſelectæ ſententiæ ſunt apud Muretum:

Aliena nobis, noſtra plus aliis placent.

Nos tamen, qui mitiſſimi eſſe volumus, atque in omnes præferre charitatem, hoc optamus unum, ut genus illud hominum miſerorum abjiciat invidentiam, redeatque ad ſanitatem, itaque animi quiete perfruatur.

IX. Verum peſtis hæc, de qua quærimus, non modo invidenti pernicioſa eſt, ſed iis etiam, quibus invidetur, & in primis viris interdum, qui reliquis antecellunt virtute ac præſtantia meritorum. *Invidiæ naſcuntur*, ait Plato (*Dial.9. de*

de Leg.) *primum quidem ipſi invido truculentæ ; deinde etiam optimatibus civitatis*. Nam ſæpe invidentia adjunctam habet maledicendi libidinem, atque odii acerbitatem; & cum non poſſit intrinſecus contineri, erumpit foras, & labem, maculamque aſpergit alienæ dignitati calumnia & mendacio; immo interdum eo venit, ut judicium, rationemque ita pervertat, ut invidis, quæ minuta ſunt, ea ingentia videantur, & turpia, quæ pulchra, & quæ conſentaneum eſſet æquius interpretari, eadem ad deteriora per ſummam improbitatem ab invidis detorqueantur; qui propterea muſcarum ſimiles dicuntur, quod vitioſis & corruptis inſiſtunt, ſana prætereunt. *Pulchritudo famæ*, ait Socrates [*apud Stobeum Serm.*38. *tom.*1.] *cito marceſcit ex invidia, ceu morbo quodam*; & cum aliorum laudes, quippequæ perſpicuæ ſunt omnibus, invidi fruſtra ſe negare ſentiunt, utuntur arte & calliditate, atque invidioſum virum conferunt cum præſtantioribus, ut minor virtus majore ac ſplendidiore obruatur; & ſi palam non licet, clam & occulte calumniam important bonorum nomini. Quo ſpectat P. Mimi ſententia (*in Sent. Select. apud Muretum v.*371.)

Invidia tacite, ſed inimice iraſcitur.

Nunquam vero deſunt aut ſimplices, aut malitioſi, qui faciles aures præbent obtrectatoribus; hi vero illud tenent: *detrahe, ſemper aliquid remanet*, ſaltem fumus ac nigror, quo famæ multum detrahitur decoris ac venuſtatis. Hæc porro linguæ procacitas tum præſertim teterrima eſt, cum principes viri proni ſunt ad credendum. Iccirco Diogenes *interrogatus, quænam pernicioſiſſime morderet bellua ? ex feris*, inquit, *obtrectator; ex cicuribus autem adulator* (*apud Diog. Laertium l.*6. *c.*2. *num.*6.) Hæc quidem fera dentes infigit non modo in famam, ſed aliquando etiam in fortunas hominum innocentium.

X. At cum ſingulis vehementer officit invidentia, tum ſæpe reipublicæ: labefactat enim, evertitque ſtatum civitatis propter diſcordias & ſeditiones, atque inteſtina bella, quæ vitioſa æmulatione excitantur. Exemplo poteſt eſſe reſpublica Athenienſium, quam nihil magis exhauſit, quam invidentia, &

& Thebanorum ſimiliter, cujus cives inter ſe igne, ferroque ſævierunt (*vid. Patritium Senens. de Inſt. Reip. lib. 6. tit. 5.*) Propter hæc, aliaque damna, quæ ab invidentia pariuntur, ſunt, qui virtutis ſtudium deſerant; quod quidem malum in eamdem peſtem referendum eſt: *invidus vero*, ait Plato (*Dial. 5. de Leg.*) *dum cæteris derogando putat præſtare, & ipſe minus recte ad veram tendit virtutem, & concertatores injuſta vituperatione tardiores efficit, ideoque vehemens acquirendæ virtutis ſtudium e civitate tollens, ipſum pro virili parte gloriæ amplitudine privat.*

XI. Sunt item, qui eamdem ob cauſam malint privatim vivere, quam gerere magiſtratum, quamquam aptiſſimi ei ſuſtinendo cum dignitate, utilitateque reipublicæ. Pompejus quidem ita ſentire, oblatumque honorem reſpuere videbatur: *quis enim*, inquit, [*apud Dionem Roman. hiſtor. lib. 36. ad an. 687.*) *ſanæ mentis homo gratam ſibi vitam judicet apud homines æmulos? aut publicæ rei ſibi adminiſtrationem expetat, ubi vel, re male geſta, judicium, vel, bene geſta, invidia ſit ſubeunda? Quapropter mihi cum ob has, tum alias ob cauſas concedite, ut quiete fruar, ac res meas agam, familiaque tandem meæ curandæ rationes ineam.* Verum invidiæ metu a virtute diſcedere, & a præclare factis abſtinere non honeſti, non fortis, non magnanimi viri eſt, ſed potius inertis, timidi, nimiumque appetentis commodorum: *oportet enim*, ait Plutarchus [*in Niciæ, & Craſſi comparatione*] *in maximis rebus, & rerumpublicarum adminiſtrationibus penitus invidiam non formidare, ſed magno animo ad præclariſſima quæque adniti, & virtutis, ac potentiæ magnitudine invidiam ſuperare:* quandoquidem quæ propter honeſtatem ſuſcipitur, non invidia, ſed gloria judicanda eſt; cum ſequatur virtutem. *O virtutis comes invidia* (*ad Herennium lib. 4.* qui liber non Tullio, ſed Corifici o a pleriſque doctis viris tribuitur) *quæ bonos inſequeris plerumque, atque adeo inſectaris!* An velis iccirco virtute ac bonis carere, ut vaces invidia?

Invidiam placare paras virtute relicta?
Contemnêre miſer; vitanda eſt improba Siren,
Deſidia . . . .

(*Ho-*

[*Horatius lib.2. Satyr.3.*] Immo hac pœna mulctanda invidentia eſt, nimirum recte factis, & magnitudine meritorum. Præſtat certe invideri propter felicitatem, quam miſerum eſſe, atque aliena commiſeratione dignum, ut ſcribit Pindarus (*Pythiæ Od.* 1) & Plautus (*in Truculento*)

Mavelim mihi inimicos invidere, quam me inimicis meis:
Nam invidere alii bene eſſe, tibi male eſſe, miſeria eſt.
Qui invident, egent: illi, quibus invidetur, rem habent.

Inerti certe, jacentique nemo invidet. Sed hæc fortuna non eſt ejus generis, quæ expetenda videatur. Rurſus Plautus [*in Bacchide*]

Nullus eſt, qui non invideat rem ſecundam obtingere
Alteri: ſibi ne invideatur, ipſi ignavi recte cavent.

XII. Nihilominus declinandæ invidiæ cauſa, quoad fieri poteſt, oportet tueri modum in veſte, in domo, in victu, in comitatu, tandemque in dictis & factis, ac temperanter vivere; ſecus ac facere viſus eſt Chabrias Athenienſis imperator: *non enim libenter erat ante oculos civium ſuorum, quod & vivebat laute, & indulgebat ſibi liberalius, quam ut invidiam vulgi poſſet effugere* [*Cornelius Nep. in Chabria num.*3.] Sed fatendum eſt, invidiam nulla arte poſſe vitari; quippe quæ nec obſequio, nec beneficentia mitigatur, deterior feris, quæ ad manſuetudinem flectuntur ac molliuntur officiis: hæc enim cum ad exiſtimationem laudemque amplificandam conferant, qua dolet invidus, morbum, quo is laborat, faciunt multo graviorem. Ex quibus conſequens eſt, & iniquiſſimam eſſe, & turpiſſimam invidentiam. *Noli invidere fortunatis,* ait Chares (*apud Stobeum Serm.*38. *tom.*1.) *ne videare malus. Invidia res eſt omnium injuſtiſſima.* Nec vero fieri poteſt, ut iniqua non ſit: nemo enim iccirco facit injuſte, quod utitur ſecundis rebus, propter quas cæteroquin ei invidetur. Nihil autem poteſt eſſe invidentia turpius, ac benevolentiæ magis, & hominum inter homines ſocietati, atque adeo humanitati contrarium, quam alieno bono torqueri ac tabeſcere. Quod ita compertum eſt omnibus, ut multi

o-

Digitized by Google

odium, iram, metum proferant, ac libere fateantur; invidiam vero occultent intrinſecus, ex quo multa in corpus, valetudinemque incommoda proficiſcuntur, ut pallor, ut macies, ut depreſſio vultus & oculorum, ut ægrotatio. Quid præterea abjectius, quam nihil habere, quo gaudeas, & contentus ſis; ſed, quæ aliena ſunt, ea ſemper judicare meliora, aut ſaltem ne fiant, metuere? in id incumbe, ut præclara facias, & advoces, ſi poſſis, quammultos in ſocietatem recte factorum, quod utiliſſimum eſt, maximeque ſalutare reipublicæ: ex aliena enim virtute, ac felicitate ſemper aliquid permanat in reliquos.

XIII. Cum tam iniqua ac turpis ſit invidentia, merito exoſa, atque inviſa eſt omnibus. Quamobrem qui nolit in perniciem incurrere & animi & corporis, & cum ſibi inimicus eſſe, tum humanæ ſocietati, omninoque expers humanitatis, eam peſtem fugiat, atque execretur, neceſſe eſt. Primum vero evellenda ex animo eſt ſuperbia, ex qua cum omnia alia vitia naſcuntur, tum invidentia: qui enim in metu non eſt, ne quid de propria gloria, præſtantiaque detrahatur, invidet plane nemini: immo ut oculus bene affectus clariore luce; ita vir bonus aliorum gloria & amplitudine delectatur: quemadmodum contra ut oculus ea conflictatus infirmitate, quam Latini lippitudinem, & mepici græce ὀφθαλμίαν vocant, quæ ſplendida ſunt, ea non poteſt cernere; ita qui ſuperbia, ideoque invidentia laborat, aliena virtute & claritate cruciatur. Deinde ad hanc ægritudinem repellendam opportuniſſima eſt, omninoque efficax humanarum rerum contemptio. Nos ad altiora nati ſumus, quibus mens occupata ad infima hæc, & abjecta ſeſe non dejicit. Ridiculum eſſet, ſi rex aliquis ſutori invideret. Virtus una eſt, ut ſæpe dixi, magni facienda, in qua quiſque excellere poteſt ſi velit. Tum ad invidentiæ curationem valet graviſſimæ moleſtiæ conſideratio ſponte ſuſceptæ ſine ullis emolumentis ac fructibus: nam bona, quorum cauſa flagras invidentia, num idcirco alteri erepta ad te transferri poſſe arbitraris? Tandem evertitur peſtis hæc, comprimiturque benevolentia in omnes, & charitate, qua qui præditus eſt, is non modo gaudet bonis ſuis, ſed etiam ea facit ſua quodammodo, quæ ſunt aliena: cum enim eos intuetur, qui o-

opibus florent, qui divitiis, qui gloria rerum bene geſtarum, qui eminent dignitatis gradu eam percipit animo voluptatem, qua nulla poſſit eſſe jucundior, & magis ad quietem mentis, & corporis ſanitatem accommodata.

CAPUT XI.

De Iracundia.

I. IRacundia ab ira differt, ut habitus ab actione; *eſtque aliud*, ut ſcribit Tullius (*lib.*4. *Tuſcul. qq.*) *iracundum eſſe, aliud iratum; ut differt anxietas ab angore: neque enim omnes anxii, qui anguntur aliquando; nec qui anxii, ſemper anguntur*; ita nec omnes iracundi, qui iraſcuntur aliquando, nec iracundi ſemper irati. Eſt ergo iracundia proclivitas ad iraſcendum, quæ cum erumpit in actum, ira nominatur. Nec vero qui in iram propendent, ii affecti ſunt omnes eodem modo; quamobrem & nomine diſtinguuntur: nuncupantur enim vel iracundi, vel amari, vel aſperi, ſeu infenſi ab Ariſtotele (*lib.*4. *Ethic. cap.*5.) Iracundi ſunt, qui ut facile commoventur, ita facile, celeriterque ab ira diſcedunt: neque enim eam ſervant, ſed effundunt quodammodo, qua depulſa ac diſſipata quieſcunt, quaſi reddita Cæli ſerenitate. Hæc quidem *excandeſcentia* nominatur a Tullio (*Tuſcul. qq. lib.* 4.) hoc eſt, *ira naſcens, & modo deſiſtens, quæ θύμωσις græce dicitur*. Acerbi ægre inducunt animum ad placabilitatem, & onus quoddam grave ſuſtinent, niſi ultio conſequatur, qua amaram mitigent, & quaſi concoquant iracundiam viſceribus inhærentem; quamquam & tempore lenitur offenſio. Aſperi ſeu infenſi ſunt, qui non modo vehementius, & diutius iraſcuntur, quam ratio poſtulet, ſed etiam nullis precibus, nullo obſequio, nulla temporis diuturnitate permulcentur propter feritatem quamdam, aſperitatemque naturæ. Hoc autem poſtremum genus hominum iracundorum eſt omnium peſſimum, ad quod alterum proxime accedit; cum qui ex primo genere ſunt, ii com-

preſſo, ſedatoque ſubito illo iræ impetu, præſeferant facilitatem, & benevoli, atque amici eſſe ſoleant, & obſecundare rationi, ut inquit P. Mimus (*v. 105. apud Muretum*)

Bonum ad virum cito moritur iracundia.

II. Cum vero dixerim, iracundiam eſſe proclivitatem ad iram, in primis, quid ipſa ira ſit, videamus. Definiri autem poteſt affectio, qua, fervente in venis ſanguine, animus concitatur ad propulſandam injuriam. Ex ea ſanguinis vehementi ac ſubita permotione fit, ut ira ſe proferat ac cernatur in vultu, in fronte, in oculis, in voce, in geſtu; ſecus ac odium, quod fere latet intrinſecus. Quod ſi ſanguis ex extremis partibus ad cor confluat, in eoque contineatur, tunc eſt ira vehementior, ac magis pertimeſcenda, erumpitque poſtea violenter, ut flumen disjecto aggere: eſſe iccirco magis metuendos eos, qui pallent, cum irati ſunt, quam qui rubent, ſcribit Carteſius (*de Paſſion. part. 3. art. 200.*) qui enim rubent, vim ſuam explicant, & acceptam injuriam cum ulciſcantur quodammodo verbis ac vultu, ſpes eſt, fore, ut deferveſcat æſtus voce, geſtuque late diſſeminatus; ſed qui pallent, ii cum videant, ſe tunc explere non poſſe vim iracundiæ, graviorem quamdam ultionem taciti meditantur, ad eamque ſe comparant. Porro iræ propoſitum eſt injuriam repellere ac propulſare, qua contemni videamur: cum enim ita inſtituti ſimus, ut putemus, nos, & noſtra magni æſtimari oportere, qui hæc contempſerit, contra eum ſummopere commovemur. Quamobrem qui plurimi ſe faciunt, ii ſolent eſſe iracundi maxime, ut viri nobiles, ut qui ſunt cum imperio, & illuſtres magiſtratu, aliove dignitatis gradu, qui utuntur ſecundo flatu fortunæ, adoleſcentes & juvenes, qui præſertim fervido ingenio ſunt propter præcellendi cupiditatem, literati, qui ſæpe aculeum iræ ſuæ tam alte infigunt in medullas contradicentium, ut is nulla ætate eximi inde, extrahive poſſit. Pariter ſi quam artem ac diſciplinam quiſque profitetur, & qua putat ſe excellere, eam ab alio ſperni ſentiat, ad iram concitatur: intelligit enim, cum artis, diſciplinæque deſpicientia ſimiliter contemptio-

ptionem ſui eſſe conjunctam; quemadmodum nec noſtra, quæcumque ea ſint, at potiſſimum cariora, ſperni ac negligi poſſunt, niſi nos ipſi, ad quos ea pertinent, ſperni ac negligi videamur. Quo fit, ut molles, effeminati, appetenteſque deliciarum, ac luxu diffluentes, ſint iracundi: arbitrantur enim contemni ſe, ſi per alios fiat, ne præſto ſint ea, quæ maxime velint; idemque in eos cadit, qui accipiendæ injuriæ non aſſueverint. Nec aliam ob cauſam ad iram propendent feminæ, ægri, ſenes, & qui fame, ſiti, laſſitudine, egeſtate, & quavis calamitate conflictantur, niſi quia cenſent neceſſitati, atque indigentiæ ſuæ non ſatis conſuli ac provideri, quod habent injuriæ loco: quamquam de feminis alia etiam eſt ratio; quippequæ cum ſuperbæ ſolent eſſe, tum omnia terrena hæc etſi levia magni æſtimare: ex quo, ſi ſuſpicentur, quæ ipſæ in magno bono ducunt, ea parvipendi, acceptæ injuriæ opinio naſcitur, ut paullo ante dixi.

III. Quamobrem late patet iracundia: nam pauci ſunt, qui amore non teneantur, ſtudioque rerum humanarum; ex quibus vero ſuperbiæ & elationis fibræ evulſæ omnino ſint, multo pauciores. Et certe videmus, qui non perturbetur iracundia, eſſe fere neminem. Iidem ipſi, qui doctrina præditi ſunt, & bonitate naturæ, & lenitatem quamdam habent inſitam, & quaſi lentitudinem, commoventur. Interdum hæc affectio integram incendit, inflammatque communitatem ac gentem, & ad diſcordias, ad rixas, ad arma concitat. Sed quæ injuria poteſt eſſe ab rebus inanimis, aut a belluis, quibus tamen iraſcimur aliquando? Nulla profecto: verum multi ſunt, qui adeo deſipiunt, ut ſibi fieri injuriam putent etiam ab his, quæ ratione ac ſenſu carent, & velint propter ſuperbiam vel a ventis, a pluvia, ab aſtris, a cane, ab equo, ab aſino, ab aliis generis ejuſdem rationem haberi præſtantiæ ac dignitatis ſuæ; itaque non injuria, quæ ſine conſilio nulla eſt, ſed ſtulta quadam injuriæ opinione moventur ad iraſcendum. Cum vero ſuccenſemus adverſus improbos, qui nobis quidem, aut noſtris injuriam non inferunt, ſed alienis, id facimus iccirco, quia illi nocent, injuriamque faciunt reipublicæ, cujus nos membra cum ſimus, injuriam nobis etiam fieri arbitramur. Ex quo conſequens eſt, iram ſemper ex injuria, aut injuriæ opinione naſci. Itaque

Digitized by Google

quo injuria eſt gravior, aut judicatur eſſe, & exardeſcit ira vehementius. Graviorem porro injuriam faciunt adjuncta perſonæ, cum quæ lædit, tum quæ læditur, loci, temporis, inſtrumentorum, quæ ad lædendum adhibentur. Huc adde eos, coram quibus infertur injuria, finem, ad quem refertur, effecta, quæ conſequuntur. Hanc ob cauſam qui ſe magni facit, eum vero parvi, a quo læditur, qui injuriam accipit pro dato beneficio, qui in adverſis rebus pro nihilo ducitur, cum obſervaretur & coleretur in proſperis, qui ab his lſeditur, quos ejus neceſſitati ſubvenire oporteat, ut a parente, a filio, a principe, ſummopere concitatur; ac ſimiliter ſi apud eos contemnitur, a quibus in pretio haberi cupit; ſi in loco publico, aut ubi exercet auctoritatem, ut præceptor in ſchola; ſi quo tempore petit dignitatem; ſi cædatur fuſte, pugno, vel alapa, ſi afficiatur injuria in contemptionem ac contumeliam; ſi ex injuria in nos, aut familiam, aut gentem noſtram diuturna infamia, aut alia incommoda proficiſcantur (*vid. Vivis de anima lib. 3. cap. 14.*) Generatim vero quicquid nobis dolorem, aut moleſtiam creat, id fere injuriam cenſemus eſſe; iccircoque iraſcimur, ut ſi quis adveniat triſtis nuncius, ſi narret nos probris affectos eſſe ab abſente, ſi noſtram aſpernetur nobilitatem, opulentiam, doctrinam, eruditionem, quibus præſertim eum vincimus, ſi nos prætereat, cum ſoleret jam honoris, ac benevolentiæ ſignificatione proſequi, ſi noſtræ repugnet voluntati, aut contradicat ſententiæ, ſi lætum nuncium neget eſſe, quod a nobis ut fauſtum ac lætum allatum ſit; ſi quominus mali aliquid patiamur, non obſtet, cum facile poſſit, ſi noſtra calamitate oſtendat ſe nihil affici, ſi autem gaudeat, multo magis; ſi quæ ſerio dicimus, ea ad jocum, ſcurrilitatemque convertat, ſi nobis poſthabitis beneficentiam conferat, liberalitatemque in reliquos, ſi nos alieno nomine appellet propter oblivionem, quippequos non curare videatur, ſi eorum ſit immemor, quæ ſe facturum recepit aut juſſu noſtro, aut rogatu: in his enim contemptio quædam apparet, ne alia perſequar generis ejuſdem.

IV. Ex quibus licet cognoſcere, quæ fugienda ſint, quoad fieri poteſt, ne temere, & ſine ratione aliena iracundia concitetur: eſt enim intelligendum, contemptione homines ir-

irritari plurimum: quocirca & in vitiis corrigendis tam magnam cautionem ac prudentiam adhiberi, volunt ſapientes. Enimvero ex accepta injuria fere exiſtit cupiditas ulciſcendi: quamobrem *ira* definitur a Tullio (*Tuſcul. qq. lib.*4.) *libido puniendi ejus, qui videatur læſiſſe injuria*: cum enim qui læſus eſt, ſe contemptum putet, vult argumentum potentiæ ac præſtantiæ ſuæ eſſe ultionem, qua id reparetur, quod honori ac dignitati injuria detraxit.

V. Eſt autem ira utiliter a natura data, hoc eſt, ad propulſandam injuriam & vim, ut dixi, qua aut nobis, aut parentibus, aut patriæ, aut amicis & neceſſariis, aut bonis viris damnum ac moleſtia afferri poſſe videatur. Ejus affectionis ſimilitudo quædam ineſt etiam in belluis, quæ acrius concitatæ ſe, ac ſua ſtrenue tuentur, atque adverſarium puniunt, ſi poſſint, calcibus, roſtro, ungue, dentibus. Quapropter ira ad ſecuritatem confert, incolumitatemque vitæ, ac tuitionem bonorum, immo etiam ad utilitatem reipublicæ: addit enim animos contra hoſtes, qui ejus ſtatum labefactare moliuntur, ex quo bellicæ fortitudinis cotes nuncupata eſt, movetque ad præclaras res adoriendas, atque inſectanda ſcelera; & cum iis motibus, qui primum in vultu apparent, atque cernuntur, aperte ſignificet, non futurum impune lædenti, eum ſæpe a nocendi, peccandique conſilio deterret, qua certe ratione parentes, præceptores, principes, aliique, qui magiſtratum gerunt, frequenter fugant, ut venti nubes ſolent, ac diſſipant improbitatem. Hoc ex ira, quæ tamen modum teneat, accedit commodi, quod qui videt contemni propter turpia & abjecta facta, dat operam, ut animum ſuum transferat ad honeſta & præclara, quæ vituperari jure non poſſint.

VI. Et quamquam ratio ſine ira id queat facere, quod oportet & decet; tamen plerumque languet, niſi iracundiæ aculeis excitetur: quamobrem videmus, lentos homines, & nimium mites ac faciles non eſſe idoneos nec ad ſubeunda pericula, nec ad magnas res gerendas, nec ad adminiſtrandam familiam, aut civitatem: vix enim dici poteſt, quantum natura corporis vel addat robori, ac virtuti animorum, vel detrahat. Hanc ob cauſam eos ſenſus expertes vocat Ariſtoteles (*lib.*4. *Ethic. cap.*5.) *qui iraſci neſciunt*, nec

nec propulſant injuriam. At fateor, difficile eſſe in ira tueri mediocritatem, & iraſci quemadmodum, quibus hominibus, quibus de cauſis, & quantum decet: hoc enim ſine magna quadam judicii vi, & ſingulari prudentia, & in perturbationes dominatu diuturna exercitatione parto fieri non poteſt; & certe, ſi quid peccandum ſit, præſtat in eo peccare quod parum eſt, quam in eo, quod nimium, & propendere in lenitatem, quam vehementiori iracundiæ impetu cieri: nam ex ira, quæ rationi non obſecundat, ſed anteit, incommoda permanant graviſſima, & maxima in ſingulos, in familiam, in civitatem, in rempublicam. Ira primum eripit menti traquillitatem, bonum omnium in terris maximum: eſt enim violenta ac turbida, qua dominante, nullus eſt quieti locus; & cum animo tetram quaſi noctem offuderit, miſcet omnia, judiciumque pervertit. Quocirca merito comparatur cum ebrietate a Plutarcho (*de cohibenda ira*) & brevis furor ac dementia dicitur a Seneca (*de Ira lib.* 1. *cap.*1.) a Galeno (*de cognoſcendis, curandiſque animi morbis cap.*4. *tom.*2.) a Philemone (*apud Stobeum Serm.*20. *tom.*1.) qui ait: *inſanimus omnes, cum iraſcimur*; a P. Mimo (*v.*301. *apud Muretum*)

Homo extra corpus eſt ſuum, cum iraſcitur.

Quod & ſcribit Horatius (*Epiſt.*2. *lib.*1.)

Ira furor brevis eſt . . . . . .

Et Perſius (*Satyr.*3. *v.*116.

Nunc face ſuppoſita ferveſcit ignis, & ira;
Scintillant oculi: diciſque, faciſque, quod ipſe,
Non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes.

Et melius Cicero (*Tuſcul. qq. lib.*4.) *Iratos proprie dicimus exiſſe de poteſtate, ideſt de conſilio, de ratione, de mente: horum enim poteſtas in totum animum eſſe debet. His autem ſunt ſubtrahendi, in quos impetum conantur facere, dum ſe ipſi colligant (quid eſt autem ſeipſum colligere, niſi diſſipatas animi par-*

partes rurſum in ſuum locum cogere?) aut rogandi, orandique ſunt, ut ſi quam habent ulciſcendi vim, differant in tempus aliud, dum deferveſcat ira. Deferveſcere autem certe ſignificat ardorem animi invita ratione excitatum. . . . . Ubi ſunt ergo iſti, qui iracundiam utilem dicunt? poteſt utilis eſſe inſania? Huc ſpectat illud P. Mimi (*cit. loc. v.*377.)

Iratum breviter vites, inimicum diu.

VII. Quo fit, ut ira dominante dicantur multa partim quidem ridicula, inepta, inſulſa, partim iniqua, obſcena ac turpia, quæ prodant latentem levitatem, inſolentiam, ſuperbiam, intemperantiam, & libidinem maledicendi; & cum, quemadmodum in vino, ita in ira dicatur ineſſe veritas, qui verbis turpis eſt, ſuperbus, contumelioſus, idem exiſtimatur eſſe moribus & voluntate. Quid quod aperit ea, quæ diu ſimulavit, & quæ callide concluſa, reconditaque tenuit in animo, ſimul uno iracundiæ impetu effundit omnia, intimoſque ſenſus iratus exprimit, quos ex placido, pacatoque nunquam elicere licuiſſet?

VIII. Equidem ex iratis hominibus multa cognovi, quibus aliqua ad cautionem, rerumque humanarum experientiam fieret acceſſio. Verum hoc idem, quod aliis poteſt eſſe utile, irato certe perniciosum eſt; quippequi plurimum exiſtimationi nocet, ac dignitati ſuæ. Nocet etiam ſæpe fortunis, vel quod eos alienat a ſe, quorum utilis eſt amicitia & gratia; vel quod incidit in ſimultates & lites, quæ rem familiarem exhauriant; quod & non raro facit ultio, ad quam ira temere eos impellit, quorum animos occuparit. Nocet item valetudini ac vitæ, cum propter pericula, quæ homini irato impendent extrinſecus, tum propter commotam bilem, & inflammatum impenſe ſanguinem, ex quo in totum corpus, præſertim vero in præcordia permanat inſolens motus, & perturbatio. Deinde iracundus moleſtiſſimus eſt cum amicis, tum familiæ & communitati, nec ſinit, quemquam tranquille & quiete vivere, ac ſingulos offendit aut verbis, aut factis: *iſta bellatrix iracundia*, ſcribit Tullius (*lib.*4. *Tuſcul. qq.*) *cum domum redit, qualis eſt cum uxore? cum liberis? cum familia?* & ante dixerat: *iracundus non ſem-*

per

per iratus eſt, laceſſe: jam videbis furentem. Mallent ergo homines cum fera eſſe, quam cum iracundo. Quam ob cauſam famuli nihil magis requirunt in heris, quam lenitatem, & nihil magis declinant ac fugiunt, quam acerbi hominis & aſperi dominatum. Teſtatur Galenus (*de cognoſc., curandiſque animi morbis cap.*4.) vidiſſe ſe quemdam, qui ira incitatus calamum, quo ad ſcribendum uteretur, in ſervi oculum impulit: alium item patria Gortinenſem ex Græcia narrat, ſibi comitem additum Roma redeunti bonum cæteroquin virum, ſed adeo iracundum, ut contra ſervos & manibus, & pedibus uteretur, loro autem, & ligno, quodcumque irato occurriſſet, multo libentius. Accidit autem, ut cum ſervos duos interrogaſſet de quadam ſupellectili, nec illi haberent, quid dicerent, arrepta vagina, qua gladius reconderetur, in utriuſque caput tanta vi impegit ſemel, & iterum, ut dirupta vagina, factoque ingenti vulnere largiſſime cruor difflueret, & ſervi interituri viderentur. Adrianus ſimiliter imperator (*apud Galen. cit. loc.*) ſtilo ſervi ſui oculum vulneravit, atque eruit omnino. Sed longum eſſet ſingula immanitatis exempla, quæ ex ira naſcuntur, enumerare dicendo. Profecto ſi cum imperio eſt is, in quo iracundia dominatur, vix dici poteſt, in quam perturbationem, ac perniciem trahat populos & civitates: hinc enim iniquiſſimæ proſcriptiones, hinc cædes & bella, everſioneſque urbium, depopulationes ac vaſtationes agrorum, atque ædium inflammationes: hinc etiam innocentium acerbiſſimæ damnationes, & exilia, & carceres, atque alia generis ejuſdem, quæ cuique aut calamitatem afferunt, aut calamitatis metum. Sæviſſimum Gn. Piſonis factum, qui tres innocentes occidi juſſit, narrat Seneca (*lib.*1. *de Ira cap.*16.) ut & crudele dictum Annibalis (*de Ira lib.*2. *cap.*5.) qui conſpecta foſſa plena ſanguinis humani exclamavit: *o formoſum ſpectaculum!* Quamobrem iracundia, quæ in privato interdum ridicula eſt, in eo, qui viribus & potentia valet, eſt ſummopere formidanda, quaſi truculenta bellua, quæ omnia longe, lateque evertit, atque proſternit.

IX. Verum cum mala, quæ ſingulis, & communitati iracundia pariuntur, comperta ſint omnibus, neceſſe non eſt his recenſendis tempus, operamque conſumere. Videamus, pe-

Digitized by Google

potius, quæ ſit adhibenda curatio primum quidem alienæ iracundiæ, tum noſtræ. Sed in primis cavere oportet, ne alios ipſi temere concitemus ad iraſcendum aut verbis, aut factis, quibus eos contemnere videamur, quòd cum inhumanum eſt, tum etiam periculoſum: nam iratus ſæpe non modo inimica reſponſione, contumeliis ac maledictis utitur contra eum, a quo ſentit ſe laceſſitum injuria, ſed molitur etiam multo graviora. Nec vero quiſquam fere eſt tam imbecillus, cui furor & rabies arma non ſuppetat ad nocendum [*Virgilius Æneid.* 1. *v.*154.]

. . . . . . *Furor arma miniſtrat*.

ſin minus vitæ, & fortunis, at cérte famæ & dignitati, cujus a nobis rationem haberi neceſſe eſt. Florentem vero, ac potentem virum irritare dementis eſt: *ſapiens*, ait Seneca (*Epiſt.*14.) *nunquam potentium iram provocabit: immo declinabit non aliter, quam in navigando procellam*; & Tullius (*Philipp.*1.) *video autem, quam ſit odioſum habere eumdem iratum, & armatum*. Conſenuerat quidam in regum cultu, cumque ex eo quæreretur; *quomodo rariſſimam rem in aula conſecutus eſſet ſenectutem? injurias*, inquit, *accipiendo, & gratias agendo*. (*apud Senecam de Ira lib.*2. *cap.*33.) Cæterum aliena ira ſedari vix poteſt, cum fervet: quocirca expectandum eſt aliquandiu, dum remitti cœperit, ac deferveſcere; interim vero prudenter & caute amicitiæ ac benevolentiæ ſignificatione continenda eſt, ne efferatur inſolentius; tum verbis, quoad fieri poteſt, mollioribus lenienda; proderit autem eas rationes afferre in medium, quas prudentia præſcripſerit pro ratione temporis, rerum, ac perſonarum (*vid. Senecam de Ira lib.*3. *cap.*39. & 40.) Irato autem ſuccenſere nihil eſt aliud, quam inſanire cum inſano, quemadmodum & eum graviter increpare idem eſt ac fluctus ciendo velle comprimere tempeſtatem; niſi tamen is, qui moderate ſuccenſet, atque increpat, tantus ſit vir, ut compeſcere iram poſſit auctoritate, vel metu, ut princeps, ut dominus aliquando, ut præceptor, ut parens. Quod Cæſar Auguſtus fecit: dum enim cœnaret apud Vedium Pollionem, atque is ſervum propter effractum vas cryſtallinum in piſcinam dejici

juſſiſſet pleniſſimam murænarum, ac puer elapſus e manibus ad Auguſti pedes confugiſſet, puerum quidem dimitti voluit Imperator; cryſtallina autem vaſa omnia perfringi, ipſo inſpectante; quo pacto Pollionis aut avaritiam, aut crudelitatem, aut importunam & impotentem iracundiam mulctandam exiſtimavit [*vid. Seneca lib.3. de Ira cap.40.*] Verum idem ipſe, qui alterum videatur læſiſſe injuria, ejus iram mitigat, ſi vere, ſancteque teſtatur, nihil ſe tale feciſſe contemptionis gratia, ſed aut ſubita animi perturbatione, aut caſu, non conſulto, non cogitato; ſimiliter cum fatetur, peccaſſe ſe, ac pœnitere malefacti; iccirco facilius datur venia delictum fatenti pœnitendo, quam neganti, aut contradicenti: hoc enim refertur ad impudentiam, cui quædam eſt adjuncta contemptio.

X. Valent etiam ad iram mitigandam preces, animique demiſſio, in quibus argumentum ineſt reverentiæ, atque obſervantiæ, qua contemptionis opinio tollitur. Quo fit, eos non iraſci, aut multo remiſſius, qui perſuaſum habent, ſe jure puniri: vident enim, hanc non contemptionem eſſe, ſed ultionem malefacti: quare conſentaneum eſt, ſi quem reprehendas, aut punias, cauſam, cur id facias, aperire, ut peccatum inſectari, non perſonam parvipendere videaris. Quod vero ad iracundiam noſtram pertinet, permulta ſunt ad eam refrenandam opportuniſſima; & primum detrimenti, atque incommodorum conſideratio, quæ ex ira in corpus, in animum, in fortunas, in famam, in familiam, communitatemque permanant, ut paullo ante dixi. Ad damnum accedit, quæ ineſt in ira, imbecillitas, & turpitudo: nam iracundia vinci infirmi animi eſt, abjecti, puſilli: videmus iccirco, eam præſertim cadere in feminas, ægrotos, ſenes, avaros, miſeros, intemperantes, alioſque generis ejuſdem. Quo fit, ut ira nominetur a Seneca (*lib.1. de Ira cap.16.*) *muliebre maxime, & puerile vitium;* ſcribatque Euripides (*in Philoctete apud Stobeum Serm.20.tom.1.*) *ingenium tam irritabile, & amarulentum adeo indicium ſtatim eſt omnibus puſillanimitatis*. Itaque comparantur iracundi cum mure, formica, fele, muſca, vipera, catello, aliiſque animalibus, quæ ut infirmiora & timidiora ſunt, ita leviori de cauſa commoveantur, & pungunt, & mordent, & diſcerpunt, ſi poſſint, quem-

quemlibet. Ut vero iracundia infirmi, atque impotentis animi eſt, ira ultio: quoniam ulciſci commune eſt, quod & vulgares homines faciunt, ſaltem verbis, cum factis nequeunt: *erigere*, ait Plutarchus (*de cohibenda Ira*) *ſervare*, *parcere*, *tolerare*, *manſuetudinis eſt*, *indulgentiæ*, *moderationis*, *& Camilli opus*, *Metelli*, *Ariſtidæ*, *Socratis*; *inhærere autem*, *& mordere formicarum eſt*, *& muſcarum*.

XI. Cum itaque abjecti animi ſit iraſci, & de eo, qui læſit, ultionem ſumere, magni eſt, celſi, præclari ſecus facere. *Nec vero*, ſcribit Tullius (*lib. 1. Offic.*) *audiendi*, *qui graviter iraſcendum inimicis putabunt*, *idque magnanimi ac fortis viri eſſe cenſebunt*: *nihil enim laudabilius*, *nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate*, *atque clementia*: ventis enim flecti, atque huc, illucque jactari & circumagi, arundinis proprium eſt, rerumque leviorum; columnæ, ac rupes immobiles ſunt, eodemque in loco conſiſtunt. Quo ſpectat & illud Stotionis (*apud Stobeum Serm. 20. tom. 1.*) *ut navigia præclara judicantur*, *quæ tempeſtatibus obſiſtunt*; *ita magnus animus qui reſiſtit iræ perturbationi*. Profecto ſublimis judicatur is, & quaſi ſupra nubes eminet, qui ſemper unus eſt, idemque, pacatus, quietus, compoſitus ad modeſtiam, tenax æquabilitatis.

XII. Quam gloriam conſecuti ſint ii, qui iracundiam continere, & æquo animo injurias ferre maluerunt, quam ulciſci, & multo magis ſi compenſarint beneficiis, teſtantur monumenta literarum. *Antigonus cum milites quoſdam audiſſet*, *qui ſibi liberius maledicerent*, *caput extulit e tabernaculo*, *eoſque amice monuit*, *ut diſcederent aliquanto longius*, *ne rex exaudiret*. *Arcadio Archivus Philippum Macedoniæ regem verbis ac jurgiis inſectabatur*, *aliiſque ſolebat dicere*: *fuge hinc*

Donec ad hos venias, *qui non novere Philippum*.

(*Odyſſ. λ. 121.*) *Hunc aliquando in Macedonia repertum cum amici ſupplicio mulctandum putarent*, *Philippus accerſit*, *ac muneribus cumulavit*, *& quos deinde de ſe apud Græcos ſermones ſpargeret*, *inquiri juſſit*, *omnibuſque teſtantibus*, *admirabilem eum Philippi laudatorem factum*; *ego itaque*, *inquit*, *me*-

Digitized by Google

melior vobis ſum medicus. Idem *cum in olympicis ludis aliquid contra ſe dictum accepiſſet, & eſſent, qui in Græcos animadvertendum judicarent, quod a Philippo acceptis beneficiis ei maledicerent; quid ergo, ait, facient, ſi male ipſis fecero?* (*Hæc vid. apud Plutarchum de cohibenda ira*) Sed illud de Philippi in perferendis injuriis animi magnitudine eximium & ſingulare eſt, quod narrat Seneca (*de Ira lib. 3. cap. 23.*) cum enim inter alios Athenienſium legatos ad regem veniſſet Demochares linguæ procacitate celebris, rex, perhumaniter excepta legatione, quæſivit, quid Athenienſibus gratum poſſet facere; tum Demochares: *Si te*, inquit, *ſuſpendas*. Omnes, qui aderant, vehementius indignari reſponſi immanitate, & tacite vultu & oculis ultionem flagitare; at Philippus, indicto ſilentio, hominem ſalvum, atque incolumem dimiſit. In hanc rem valet fabella, quam lepide expreſſit Faernus

Magnanimum cum ſegnis aprum rideret aſellus,
Ille premens iram, & ſedata mente renidens,
Perge, inquit: nam te tua tutum ignavia præſtat.
Nec tu unquam tantis potis es me inceſſere probris,
Tam vili ut digner generoſum ſanguine dentem:
Nam quamvis noxam meritus, dignusque malo tu,
Noſtra indigna tamen ſeſe huc demittere virtus.

Recentiora ſunt, quæ ex Alphonſo Aragonum rege ſumi poſſunt, exempla lenitatis. Nonnullos cæteroquin beneficiis affectos, rex cum audiiſſet, famæ ſuæ detrahere conſueviſſe, regium eſſe, inquit, non ſolum benefacere, ſed malos etiam audire toleranter (*Antonius Panormit. de dictis & factis Alphonſi lib. 1. num. 37.*) Qui eumdem lenem nimis, & manſuetum principem quererentur, expectandum iis eſſe dicebat, ut urſi & leones regnarent aliquando; hominis ſane clementiam eſſe, belluarum feritatem (*ib. lib. 2. num. 49.*) Cum rex obſideret Staphatum (ſic enim vocant) centuriones ac milites, qui oppido præſidio erant, impudentiſſimis, atque obſceniſſimis verbis in regem, & in Joannem Tarentinum principem, ac Petrum regis fratrem invecti ſunt. Capto oppido, qui laceſſiti erant injuriis, cum maledicos cruce puniendos contenderent, rex pro more dimiſit, ac ſuorum iracun-

diam

Digitized by Google

diam leniit his dictis: in his porro injuriis non quid dicatur, ſed a quo dicatur, in primis animadvertendum eſſe: ſpurci vivant ſpurce, loquantur ſpurce, ſe nullo modo propter aliorum maledicta a ſua natura ac moderatione velle diſcedere (*ib. lib. 3. num 29.*) Hæc fortiſſimorum regum exempla conſulto ſelegi inter plurima, quæ literis mandata ſunt, ut liqueat, magni animi eſſe injuriis non affici ac permoveri; contra infirmi iracundiæ cedere, eaque adduci ad ulciſcendum. Quod & philoſophorum, qui ſapientiæ abdita penetrarunt, facta confirmant. Socrates, accepta alapa, *moleſtum eſſe*, ait, *quod neſcirent homines quando cum galea eſſet in publicum prodeundum* [*apud Senecam lib. 3. de Ira cap. 11.*] & Cato, cui agenti cauſam, quantum potuit pinguis ſalivæ in mediam frontem expuit Lentulus, abſterſit faciem, & *affirmabo*, inquit, *omnibus Lentule, falli eos, qui te negant, os habere* (*apud Senecam cit. loc. cap. 38.*) atque horum ſimilia exempla quammulta profert Diogenes Laertius, ac Stanlejus, qui ſcribunt de vita philoſophorum.

XIII. Cum infirmi abjectique animi ſit iracundia, ut dixi, efficitur, in ea magnam ineſſe ſimiliter turpitudinem & fœditatem, quam & oſtendunt iratorum oculi, frons, ſupercilia, geſtus, clamor, vociferatio, atque alia cum dicta, tum facta, quæ inſani omnino hominis, immo furentis belluæ videantur eſſe: quæ vero futura eſt interior animi facies, cum exterior adeo fœda ſit, deformis, horrida? Galenus adhuc adoleſcens, ut ipſe ſcribit (*de cognoſc. & curand. animi morbis cap. 4.*) hominem cum vidiſſet, qui nimia feſtinatione oſtium aperire dum conaretur, nec poſſet, ob eamque rem iratus clavem morderet, calcibus fores percuteret, in Deum ipſum jaceret contumelias, oculis furiarum rabiem referret, emitteretque pene ſpumam ex ore, ut apri ſolent; rei indignitate, ac tanto flagitio permotus teſtatur, ab ira ſe abhorruiſſe in omne poſterum tempus. Quapropter irato prodeſſet, ſi liceret (at non licet tum quidem) ſpeculum offerre, in quo ipſe ſe tam male affectum cerneret. Minerva, ut eſt in fabulis, cum fiſtula caneret, Satyro ſic increpanti

Non te decet forma iſthæc; pone fiſtulas
Et arma capeſſe componens recte genas,

non

Digitized by Google

non paruit; at cum forte faciem ſuam vidiſſet in flumine; fiſtulas non ſine indignatione projecit. Profecto quid iræ concitatione poteſt eſſe turpius? quid a viri gravitate, modeſtia, ſapientia, conſtantia alienum magis, atque disjunctum? *Eſt igitur aliquid*, ait Tullius (*Tuſcul. qq. lib.* 4.) *quod conturbata mens melius poſſit facere, quam conſtans? an quiſquam poteſt ſine perturbatione mentis iraſci? bene igitur noſtri, cum omnia eſſent in morbis vitia, quod nullum erat iracundia fœdius, iracundos ſolos morboſos nominaverunt*. Præſertim vero hæc perturbatio eum dedecet, qui fungitur munere magiſtratus: nam cum aliis nocet maxime, tum principis auctoritatem labefactat, atque commaculat, ut ſcribit ad Q. Fratrem M. Tullius (*lib.* 1. *Epiſt.* 1. *ad Q. Fratrem*) *Quod vitium*, inquit (iracundia) *cum in hac privata, quotidianaque vita levis eſſe animi, atque infirmi videtur; tum vero nihil eſt tam deforme, quam ad ſummum imperium etiam acerbitatem naturæ adjungere*. Et paullo poſt: *nullæ tuæ vehementiores animi concitationes, nulla maledicta perferuntur, quæ cum abhorrent a literis, ab humanitate; tum vero contraria ſunt imperio ac dignitati: nam ſi implacabiles iracundiæ ſint, ſumma eſt acerbitas; ſin autem exorabiles, ſumma levitas; quæ tamen (ut in malis) acerbitati anteponenda eſt*.

XIV. Porro cum ab homine irato dicantur, & fiant multa, quæ non decent, ut dixi, iram conſequitur pœnitentia interdum diuturna: cum enim ſit compos rationis, qui quaſi inſanierat, tunc eum pudet ſui, ac ſæpe error non poteſt corrigi, damnumve reſarciri acceptum, aut datum. Quare ſcriptum eſt ab Horatio (*Epiſt.* 2. *lib.* 1.)

. . . . Qui non moderabitur iræ
Infectum volet eſſe, dolor, quod ſuaſerit, & mens
Dum pœnas odio per vim feſtinat inulto.

Alexandrum regem videmus, ait Tullius (*Tuſcul. qq. lib.* 4.) *qui cum* (per iram) *interemiſſet Clytum familiarem ſuum, vix a ſe manus abſtinuit: tanta vis fuit pœnitendi*. Quæ cum ita ſint, efficitur, eos errare plurimum, qui affici injuria, turpe cenſent eſſe, ac læſæ exiſtimationi ira, atque ultione conſulendum: ſi enim injuriam accipere turpe eſt, nemo erit,

Digitized by Google

rit, qui dedecus & infamiam effugere ullo modo poſſit, non docti ac ſapientes viri, non probi ac ſancti, non clari ac nobiles, non reges, non principes: quorus enim quiſque eſt, cujus ſaltem famæ ab improbis, aut incautis hominibus non detrahatur? Itaque intelligendum eſt, injuriam non ei adhærere, qui accipit, ſed qui facit; ideoque hic turpis eſt, non ille. Quod ſi qui accipit injuriam, is patitur, ſe ad iram & ultionem concitari; tunc ſponte incidit in veram turpitudinem, cum adumbratam opinatamque fugiat, quod ſtultum eſt: quoniam pictum leonem dum cavet, incurrit in verum, a quo diſcerpitur. Id quidem ab rerum ignoratione naſcitur; quamobrem is ſapit, qui non vulgi opinionem ſequitur, ſed philoſophiam ducem, & vitium a virtute ſecernit.

XV. Deinde ad continendam iracundiam illud etiam valet, hoc eſt, animo reputare, poſſe nos magnam ex inimicis utilitatem capere, ſi velimus, ut & feris beſtiis, & veneno ipſo viperarum noſtri utuntur ad vitæ uſum, & quidam corporis ægrotatione & morbis ad quietem, & oblatis laboribus ad confirmandas vires, quæ ſecus debilitatæ flacceſcunt. Quare prudentis eſt commode inimicis uti, quod ſtulti non faciunt, ſed ultro ictum excipiunt malevolorum; & qui ne cutem quidem attingeret per ſeſe, ipſi eum ſibi non in pectus modo infigunt, ſed in medullas ac viſcera. Hæc vero in primis exiſtit utilitas ex maledicis, infeſtis, inimicis, quod erudimur ad patientiam, ad conſtantiam, ad ſimplicitatem, ad animi magnitudinem, aliaſque virtutes generis ejuſdem, quæ paulatim injuriarum, conviciorumque toleratione radices agunt in animo, & exercitatione apparent, atque in apertiſſima luce collocantur: præſertim vero aſſueſcimus ad linguam diligentiſſime continendam, quæ flabellum ſolet eſſe ſeditionum, diſſidiorum, ſimultatum, aliarumque ærumnarum plurimarum. *Silere, cum impetimur maledictis, magnam habere gravitatem, & Socraticum quidpiam eſſe, aut potius Herculeum*, ſcribit Plutarchus (*de capienda ex hoſtibus utilit.*) *nam Hercules etiam*

Non quantum vel muſca animum advertit maledictis.

At

At lingua contineri non poteſt, niſi compreſſa iracundia; qua concitata verba excidunt vel invitis; quanquam hi cæteroquin ſapere videantur. Cum vero comparata eſt linguæ, iræque compeſcendæ conſuetudo, tum facile eſt ingrata modice ferre cum domi, tum foris ab amicis, a domeſticis, a familiaribus; quod cum ad propriam vehementer confert, tum ad alienam tranquillitatem. Socrates, ut ſcriptum eſt a Plutarcho (*ib.*) *Xantippam ferebat iracundam, moroſamque fœminam, quod putabat, fore, ut facilius, atque humanius verſaretur cum aliis, parta domi patientia*. Fructus alius, quem licet ex inimicis capere, eſt cautio, ut rurſus ſcribit Plutarchus [*cit. loc.*]: ne quid facias, quod jure damnent inimici, qui circumſpectant, explorant & ſcrutantur omnia etiam animi tui conſilia, ſi poſſint: gaudent autem, cum vident, te in turpitudinem labi, imprudentiam, injuſtitiam, intemperantiam, iracundiam & rabiem; eamque ob cauſam in hominum etiam bonorum reprehenſionem incurrere, in dedecus, in ignominiam; quæ iccirco, ut alia vitia, fugienda ſunt, & illud in re ſimili uſurpandum, quod eſt in Homero pud Plutarchum (*ib.*)

Proh quam gauderet Priamus, Priamoque creati:

Quapropter, ut cum hoſtes imminent civitati, & obſidionem parant, conſentaneum eſt mœnia munire & cuſtodire diligentius; ita cum circumſtant inimici, cavendum eſt, ne quis ulla ex parte eorum obtrectationi ac maledictis aditus aperiatur. Contra vero cum mœreant malevoli benefactis tuis, prudentia, animi magnitudine, atque conſtantia, tandemque vitæ innocentia & probitate, te adducunt ad ſectandam virtutem, & honeſte vivendum. Atque hæc eſt inimicorum ultio acerbiſſima, præclara facere. Certe Diogenes roganti cuidam, *quo pacto ulciſcar inimicum?* reſpondit: *ſi ipſe probus, honeſtuſque fias* [*apud Plutarchum cit. loc.*] cum enim virtus luce ſua ſe ipſa prodat, vel inimicus dolore triſtitiaque tabeſcet, vel in turpem mendacis, invidi, impudentis, malevoli notam incidet. Quod ſi præterea tam generoſo, magnoque animo ſit, ut injuriam beneficio compenſes, atque indigenti adverſario opem feras, nihil hac re

fieri

Digitized by Google

fieri poteſt cum ad gloriam præclarius, tum ad benevolentiam omnium, & ſpiritum intercludendum malevolorum commodius; quibus iccirco qui velit male eſſe, non eis intemperantiam exprobret, non crudelitatem, non imprudentiam; ſed continentiam, humanitatem, ſolertiam præſeferat in omni vita. Quamquam hæc ita ſunt; tamen nos, qui philoſophi eſſe volumus, & plane vacare vitio, oportet quidem honeſte vivere; non tamen præclara facta ad inimicorum ultionem referre, quod minime honeſtum eſt, ſed ad tuitionem nominis & dignitatis, ad pietatem, ad religionem. Quod ſi virtus noſtra inimicis inviſa eſt & gravis, tunc non id quidem nobis, ſed eorum improbitati tribuendum eſt. Cæterum maxime caveamus neceſſe eſt, ne quam materiam demus inimicis irriſionis & gaudii, non modo vitæ turpitudine, ſed ne ira quidem, quæ doloris, & quaſi accepti vulneris confeſſio eſt. Hoc etiam manat commodum ex inimicis, quod eorum maledictis animi noſtri ægritudines ac morbi ſanari poſſunt, ſi modo velimus: ut enim *Antiſthenes* ait [*apud Plutarchum de capienda ex hoſtibus utilit.*] *qui ſalvus eſſe debeat, is vel probo amico opus habet, vel acerrimo moleſtiſſimoque inimico*: at quoniam amici ſæpe vitiis indulgent, atque connivent aut errore, aut benevolentia, aut nobis inferendæ moleſtiæ metu, aliiſque de cauſis; expedit ab inimicis audire veritatem; eſt autem rei habenda ratio, non voluntatis. Certe prodeſſe non voluit Pheræo Jaſoni is, qui gladio vomicam ejus aperuit, quam ſanare medici non poterant, ut & ſcribit Tullius (*lib.3. de natura Deor.*) profuit tamen, eique attulit ſanitatem: *multi enim, etiam cum obeſſe vellent, profuerunt*; ſic convicio latens animi ac diuturna ægrotatio ſæpe depellitur: quoniam contingit, ut qui inertiæ incuſatur ab adverſario, qui inſcitiæ, qui levitatis, is diligentiam, doctrinam, conſtantiam ſequatur in poſterum, vitetque contraria. Quocirca ſapiens, quid objectum ſit, videt, & expendit attentius, emendatque, ſi quid peccaverit. Nec tamen id plane negligit, quod falſo objectum eſt: nam etiamſi abeſt a ſcelere; tamen fortaſſe aliquam calumniæ occaſionem dedit aut dicto, aut facto, aut conſuetudine & familiaritate cum aliis, quorum vita minus probata ſit, & congruens honeſtati. Tunc & ea occaſio re-

Digitized by Google

movenda eſt, & quaſi umbra peccati, ut monet Plutarchus [*cit. loc.*] Nihil ergo eſt cauſæ, cur magiſtrum reſpuamus nos ad virtutes erudientem ſine mercede, eaque præ monſtrantem, quæ interdum ab amicis non licet diſcere. Hæc quidem ars ex iis, qui nobis nocere velint, emolumentum ac fructum capiendi, mihi videtur plena ſolertiæ, & maxime quæſtuoſa. At enim honeſtum eſt iraſci peccantibus. Nobiſne, an aliis? nobis certe in primis, qui multa peccamus: vix enim quiſquam eſt, qui iracundiam, qui invidentiam, qui avaritiam, aliaſque cupiditates ita contineat, ut ſæpe earum vi non impellatur ad malefacta: quapropter ſibi ipſe iraſcatur eatenus, quatenus omni labe liberatus, purus & integer eſſe cœperit; quod ſi faciat, futurum puto, ut ea in re omnem conſumat vim iracundiæ, cujus fere nihil ſuperſit adverſus aliena peccata, quæ quidem potius conſentaneum eſt ſanare manſuetudine & lenitate, ut medicus vulnera & morbos ſolet, non exprobrando vehementius. Hunc locum pertractat Seneca (*de Ira lib.*1. *cap.*14., *&* *lib.*2. *cap.* 28., *&* *lib.*3. *cap.*26. *&* 27.) Enim vero ſi ſapiens ob turpiter facta excandeſcat, miſer & infelix erit in omni vita (*Seneca de Ira lib.*3. *cap.*7.) nam peccatur ſæpe, & a multis cum domeſticis & familiaribus, tum externis & alienis; conſulat ergo, ſi poteſt, tantæ calamitati, ſed eâdem non implicet ſeſe perturbato quodam vivendi modo. Interdum tamen qui aliis præeſt, iram ſaltem ſimulet, neceſſe eſt ad compeſcendam peccantium temeritatem. Semper vero adhibenda eſt caſtigatio, cum tempus, & res poſtulat, quæ certe magis profutura eſt, ſi omni vacet cupiditate. Præterea cum nunquam omnino iraſci difficile ſit, ac ſæpe nos prius ſentiamus iratos, quam tale quid futurum nobis in mentem venerit ſuſpicari, illud tenendum eſt, quod ſcribit Seneca (*lib.*2. *de Ira cap.*28.) *maximum remedium eſt iræ mora;* & Statius [*Thebaid. lib.*10.]

> *Da ſpatium, tenuemque moram: male cuncta miniſtrat*
> *Impetus.* . . . .

Idem præſcripſit Athenodorus philoſophus, qui rogatus olim ab Auguſto Cæſare, ut aliquod ſibi monumentum relinqueret; *hoc*, inquit (*apud Jo: Caſum qq. moral. lib.*4. *cap.*5.)

re-

Digitized by Google

relinquam, *Cæſar: ſi contigerit te iraſci, nihil prius dixeris, fecerisque, quam 24. literas recitaveris*; ſed fortaſſe parum temporis ab Athenodoro ad iram concoquendam conſtitutum eſt: interdum enim ne ſufficiunt quidem aliquot dies. Tunc igitur tenere oportet in poteſtate motum animi, & dolorem, & linguam diligentiſſime continere, ut præceptum eſt a Pythagora (*apud Laertium in ejus vita lib.8. cap.1. num.* 19.) & nihil omnino deliberare, ac facere, & multo minus quempiam punire, ut dixi alio loco (*lib.3. part.3. cap.24.*) *Cæderem te*, ait ſervo Socrates (*apud Senec. lib.1. de Ira cap.15.*) *niſi iraſcerer*. *Illud item laudatur Architæ; qui cum villico factus eſſet iratior, quo te modo, inquit, accepiſſem, niſi iratus eſſem?* (*Tullius Tuſcul. qq. lib.* 4.) quod & narrat Plutarchus [*de his qui ſero a numine puniuntur*] *Archita, deprehenſa ruri ſervorum ſuorum ſocordia, diſcedens, veſtra fortuna ſit, inquit, quod iratus ſum vobis*. Et Plato præſenti aliquando Xenocrati, *cæde* inquit, *hunc ſervum*: *nam ipſe, quod iratus ſim, nequeo*; cuidam item ſervorum, *jam*, inquit, *vapulaſſes, niſi iratus eſſem* [*apud Laertium lib.3. num.* 26.] *Phocio vetuit, ne citius exultarent Athenienſes propter interitum Alexandri: nam, ſi hodie, inquit, mortuus eſt, mortuus item erit & cras, & perendie* (*Plutarchus de cohib. Ira*) *eodem modo qui hodie pœnam meretur, puto fore, ut cras etiam ac perendie mereatur*. Profecto majori ſæpe animadverſione dignus eſt, qui iraſcitur, quam is, cui iraſcitur: nam ille peccat gravius, quam hic forte peccarit: quid autem iniquius, quam puniri quempiam ab eo, qui ſit nocentior? Ad hæc, ut in reliquis animi perturbationibus, ſic in ira principiis obſiſtendum eſt, ut monet Seneca [*de Ira lib.3. cap.10.*] nam extingui ſcintilla, & comprimi facile poteſt, incendium non poteſt; præſertim quod longe, lateque diffuſo fumo, ne licet quidem, quo eundum ſit, videre, aut quid conſilii capiendum in tanta rerum obſcuritate. Itaque ſapientis eſt quaſi naſcenti morbo facere medicinam, hoc eſt, primum iracundiæ motum cohibere, eique opponere patientiam & firmitatem.

XV. Tandem ne temere peccandi periculum adire videamur, prudentia poſtulat, ut iræ cauſæ, quoad fieri poteſt, removeantur; e quarum numero prima eſt ſuſpicio: ſunt

enim, qui temeraria ſuſpicione, & leviſſima conjectura alieno geſtu, riſu, vultu, officii prætermiſſione etſi non voluntaria non modo ad iram, ſed etiam ad ultionem concitentur: *ille me parum humane ſalutavit . . . . . ille inchoatum ſermonem cito abrupit, ille ad cœnam non vocavit, illius vultus averſior viſus eſt* (*Seneca lib.*2. *de Ira cap.*34.) atque ita injurias ſomniant, in quas iraſcantur. Nec vero facta tantum, ac dicta, quæ ambigua ſunt, ad injuriam & contemptionem referunt, ſed & interpretes volunt eſſe alienæ voluntatis, ut habeant aliquid, quo perturbentur; cum tamen æquitati conſentaneum ſit, quæ obſcura ſunt præſertim in moribus, & vita communi, ac delictis mitiorem in partem interpretari.

XVII. Huc pertinet falſa opinio injuriarum: ſunt enim, qui adeo deſipiunt, ut excitentur ad iracundiam vel beneficiis; quippequæ habent iniuriæ loco; nec vero hoc rarum eſt, ſed uſitatum ac familiare: eos enim, qui animi morbis laborant, qui cupiditatibus impelluntur ad vitia, iccircoque ad calamitatem, atque ad exitium, fere excandeſcunt in medicum, qui ferre opem velit, ac mederi periclitantibus, ut pueri, ut adoleſcentes, ut alii, qui animorum ægrotationibus delectantur: monita enim, conſilia, adhortationes ad honeſtatem, ſingularia quædam beneficia exiſtimanda ſunt, quæ tamen incendunt iram inſipientium, & improborum, qui cum nolint divelli ſe a turpitudine, oderunt admonitorem. Quamobrem inviſi ſæpe ſunt diſcipulis præceptores, pueris pædagogi, parentes liberis, ac generatim qui aliis præſunt, iratos ſolent habere quammultos, quorum utilitati maxime conſulunt. Equidem qui monita, adhortationeſque, ac reprehenſiones, quibus mores corrigantur, læto & æquo animo exciperent, inveni pauciſſimos; plures contra iratiores habui, immo infeſtos & inimicos, in quos præſertim magna quædam hujus generis beneficia contuliſſem. Hæc ira quam iniqua ſit, cuique ſapienti compertum eſt. Quemadmodum & ea, qua quidam commoventur adverſus ejus domeſticos, familiares, filios, amicos, a quo læſi ſunt injuria. Num iccirco peccavi, quod aliquo nexu cum alio copulatus ſum, qui peccarit? Ad falſam opinionem ea videtur ira ſimiliter revocanda, quam excitant cauſæ levio-

viores, æris ſonus, clamor infantium, riſus inconcinnus, loquacitas, cantilena, & alia ingrata, quæ incurrunt in ſenſus, incuria quædam aut famuli, aut uxoris, aut liberorum, aut negligentia, qua effractum ſit luteum vas, vitrea amphora comminuta, effuſum vinum, non bene conditum juſculum, & ſi qua ſunt alia generis ejuſdem, quibus commoveri, & iccirco vociferari, minari, excandeſcere, inſaniæ cujuſdam eſt, ſummæque levitatis. Quod vero minime ferendum eſt, ipſi iidem, qui turbas excitant rerum harum leviorum cauſa, tacent omnino, ſi quæ videant a filiis, ac domeſticis fieri multo graviora, ut ſunt mendacia, contumeliæ, execrationes, impudentia in dictis, & factis, eorum contemptio, quæ ad animi ſalutem, ad Dei cultum ac religionem pertinent: tunc enim putant veniam eſſe dandam aut ætati, aut ingenio, & naturæ, aut ſubitæ perturbationi, qua factum ſit, ut non bene cogitarint, quid facerent, dicerentve. Quapropter injuriæ cum ſuſpicio tollenda, tum perverſa opinio emendanda eſt, ne, quæ injuria non eſt, videatur eſſe, & quæ reipſa caſtiganda eſt, interdum inulta relinquatur. Alia iræ cauſa eſt nuncianti credere, atque audire omnia, & curioſius inveſtigare ac perquirere. Multa narrantur, quæ aut falſa ſunt, aut non ſerio dicta, non cogitato, non inferendæ injuriæ, aut nocendi gratia. Certe ſapiens cavet ab iis perturbationibus ac moleſtiis, in quas nimium creduli, conjectores, & curioſi ſponte ſeſe conjiciunt, & curat, non quid dicatur, ſed quid faciat, & conſcientiæ ſuæ præclariſſimo teſtimonio conquieſcit. Similiter iræ cauſa ſolet eſſe ad negocia aggredi & multa, & viribus ſuperiora: hæc enim expedire qui nequit, iraſcitur contra eos, qui aut obſtare, quominus exitum habeant, aut nimium inſtare videantur. Quocirca ea ſuſcipias gerenda, quæ poſſis perficere ſine moleſtia; ac ſi quando premaris multitudine negociorum, cura, ut ſingula placide, ac tranquille geras. In primis vero ſuperbia fugienda eſt, ex qua naſcitur iracundia: propterea enim iraſcimur, ut dixi, quod nos, aut noſtra contemni putamus; is ergo alienus erit ab iracundia, qui cum ſe, tum res humanas parvi faciat. Quo fit, ut laudabili humilitate, animique celſitudine, atque præſtantia omnis plane iracundia, quæ vitioſa ſit, funditus evertatur. Mox cum iræ cauſa ſit etiam

lu-

Digitized by Google

luxuria, & delicatior vita, mollis, effeminata, ut ſupra dixi, neceſſe eſt in victu, in domo, in veſtibus, atque in omnibus vitæ partibus præſtare ſe hominem frugi, moderatum ac temperantem: nam, quæ nimium delicata ſunt, ea facillime perturbantur. Laudatur neſcio quis a Poeta (*apud Plutarchum de Ira cobib.*)

> *Eſt laude dignus hic; qui nec aſſis nimis*
> *Neque gaudet elixis; ſuſque deque fert, cibus*
> *Quo condiatur pacto . . . . . .*

Arceſilaus modice tulit, etiam panes deeſſe in convivio negligentia puerorum [*Plutarchus cit. loc.*] Contra delicatus adeo fuit Mindyrides Sybarita, aut Smindyrides, (*a*) (ſic enim Græci vocant) ut cum hominem fodientem vidiſſet, attollentemque bipalium, ſe laſſum quereretur, vetaretque, ne tale opus fieret, ſe præſente. Idem ſæpe queſtus eſt, quod roſæ foliis non æqualiter ſubſtratis incubuiſſet (*Seneca lib. 2. de Ira cap. 25.*) Tum vitare oportet homines moroſos, difficiles, aſperos, iracundos, quorum conſuetudine inflammatur ira, ut lignum ac fomes igne: nam ad exemplum accedunt irritamenta verborum. Quamobrem interdum unius ira ac furore univerſa civitas conflagravit iracundiæ quaſi incendio longe, lateque propagato.

XVI. Hæc, quæ hactenus dixi, aliaque generis ejuſdem diligenter obſervet, ac ſæpe meditetur is, qui munire animum velit contra iracundiam: valet enim in hanc rem plurimum meditatio: *te illud admoneo*, ſcribit Tullius ad Q. Fratrem (*lib. 1. Epiſt. 1.*) *ut ſi hoc plane vitare non potes, quod ante occupatur animus ab iracundia, quam providere ratio potuit, ne occuparetur, ut te ante compares, quotidieque meditere reſiſtendum eſſe iracundiæ*. Quod idem præceptum eſt a Seneca (*lib. 2. de Ira cap. 12. & cap. 31.*) & a Galeno (*de Cognoſc. & curand. animi Morb. cap. 5. tom. 2.*) qui addit, mane ſurgentem e lecto conſiderare oportere, quid ſit facturus, & num expediat ſervire iracundiæ, an ratione, & conſilio uti. Illud eſt etiam ſummopere ſalutare, quod feciſſe ſe

(*a*) De Smindyridis luxu ac deliciis meminit Herodotus (*lib. 6. num. 164.*)

Digitized by Google

ſe teſtatur Plutarchus (*de Ira cobibenda*) hoc eſt, conſtituiſſe paucos dies, quibus ita vacaret, deinde menſem, mox duos, quod quidem maxime profecit ad moderationem, & patientiam, vacuitatemque perturbationis, & concludit, *Deo juvante, experientia comprobatum eſſe judicium boc: placidos mores, manſuetos, bumanos ita gratos ac jucundos eſſe eorum nemini, quibuſcum vivitur, ut ei ipſi, qui eiſdem præditus eſt*. Quod ſi veſpere ante ſomnum vocetur animus ad rationem reddendam eorum, in quibus deliquit elapſo die propter iracundiam, peccata emendandi gratia, ut ſuadet Seneca (*lib.* 3. *de Ira cap.* 36.) nihil fieri poteſt utilius. Tum rurſus Seneca præſcribit (*lib.* 2. *cap.* 31., *&* *lib.* 3. *cap.* 14.) ut ſapiens provideat, quid accidere poſſit in poſterum, & animum muniat contra inopinatos caſus, ne ſubitæ injuriæ magnitudine & indignitate moveatur, ut illud uſurpandum ſit *non putavi*, quod quidem dicere turpiſſimum eſſe imperatori, ait Fabius (*apud Senecam lib.* 2. *de Ira cap.* 31.) Nihil fere eſt, quod expectari non poſſit ab amicis, inimicis, exteris, & familiaribus, a filiis etiam, & parentibus aliquando. Si vero nihil accidat, quod non prævisum, cogitatumve ſit, minus perturbamur, quaſi adventante hoſte, quem multo ante proſpeximus.

XVII. Cum vero difficile ſit mutare animum, & ſi quid eſt penitus inſitum moribus, id evellere, curandum eſt, ut rite pueri inſtituantur ad patientiam & lenitatem, & incipiant repulſam ferre, cum tempus poſtulat, atque ita verſari cum ſociis, ut abſit rixa & contentio, nec aſperiore verbo ſtatim efferveſcant, efferanturque iracundia; non tamen ita habenæ adducendæ ſunt, ut eorum ingenium opprimi, obtundique videatur, & dum ab iracundia declinant, incidant in lentitudinem. Expedit & etiam pueris pacatos ac placidos præceptores & pædagogos, nutrices item, altoreſque, & educatores dari: quoniam mores, progrediente ætate, referunt, quos initio imbiberunt. Apud Platonem educatus puer cum domum ſuam rediiſſet, audiſſetque vociferantem Patrem, *nunquam*, inquit, *boc apud Platonem vidi* (*Seneca de Ira lib.* 2. *cap.* 22.) Fuit quidem de ira aliquanto longior oratio, ſed fortaſſe neceſſaria: hinc enim dici vix poteſt, quam late pateat, quarum perturbationum & cala-

ſamitatum procreatrix, & parens ſit hæc affectio, quam immemor neceſſitudinum, expers conſilii, rationis, humanitatis, ut recte dixerit P. Mimus (*v. 276. apud Muretum*)

Iracundiam qui vincit, hoſtem ſuperat maximum,

Inde vero quam jucunda cum nobis, tum aliis, quam amabilis, quam humana manſuetudo & comitas, qua qui præditus eſt, ut innui, & pacatam vitam degit, & omnium ſibi amorem, benevolentiamque conciliat.

CAPUT XII.

De Admiratione.

I. ADmiratio definiri poteſt animi occupatio in objecta re contemplanda, quæ rara, nova, & inſolens videatur, & eminens ſupra opinionem. Hæc quidem ſolet eſſe ita placida, quieta ac lenis affectio, ut vix motus appareat in corpore: neque enim in bono, ac malo verſatur, ut affectiones aliæ, ſed in rei cognitione ac veritate; iccircoque non excitatur in corde commotio, nec cietur ſanguis vehementius; ſed rei imago, ac ſpecies quædam animo objicitur expreſſa in cerebro, ubi organa ſunt ad rem cognoſcendam idonea, & a natura conſtituta. Huc deinde ſpiritus, quos vocant phyſici, in nervis diffuſi affluunt & illabuntur ad expreſſam ſpeciem cum ſervandam, tum etiam roborandam quodammodo, ut ſcribit Carteſius (*de Paſſion. part. 2. art. 76, & 71.*) Interdum tamen admirationis vis, & effecta cernuntur in corpore: nam hærent & pedes, & caput, & oculi in objecta re defixi; tum extenta brachia motu carent, rigent capilli aliquando, eriguntur aures. Quæ iccirco contingunt, ut ſcriptum eſt a Stephano Chavino (*in Lexic. Philoſ. v. Admiratio*) quod tenuiores ſpiritus, de quibus dixi, prius in muſculos illapſi, tum more irrumpentis turmæ ad cerebrum confluunt, ut animum in admirandæ rei contemplationem, cogitationemque defigant; neque in-

de

de rurſus diſcedunt, & revertuntur ad muſculos in conſervanda imagine ac forma occupati, & hoc eſt, quod ſtupere, aut ſtuporem dicimus, ut obſervat Carteſius (*de Paſſion. part. 2. art. 73.*) quamobrem, ut recte ait Muſonius (*apud A. Gellium Noct. Attic. lib. 5. cap. 1.*) quæ maxima eſt admiratio non verba, at ſilentium parit, & taciturnitatem.

II. Cum vero admiratio ſit rei cujuſpiam inſolentis ac novæ, compertum eſt, hanc affectionem in eos præſertim cadere, quibus multa improviſa & inopinata accidant, & nova, atque omnino inſueta videantur; quales ſunt pueri, indocti, imperiti rerum & diſciplinarum: contra qui experientia, uſu, eruditione ac ſcientia plurimum valent, iis pauca movent admirationem. Philoſophi V. C. & qui in phyſicis profecerunt, ea non admirantur, quæ in rerum natura contingunt, quamquam raro, ut defectum ſolis, & lunæ, ut ignes, qui cernuntur in Cælo, ut cometas, ut alia horum ſimilia, quæ ignaris hominibus vel ſummum incutiunt metum rei novitate. Itaque admirationis procreatrix & parens recte dicitur ignorantia, qua ſublata per cognitionem cæleſtium rerum, atque terreſtrium, & morum, & hominum, ipſa etiam tollitur admiratio. Hanc vero fere oculi, & aures important in animum, ut eximia rei pulchritudo, ut ruris, & ædium magnificentia, ut apparatus cum elegantia, ornatuque ſingulari, ut oratio admirabili rerum, ſententiarumque cum gravitate, tum venuſtate diſtincta. Porro admiratio non mediocrem habere uſum, atque utilitatem poteſt: primum enim valet ad res perdiſcendas; quod enim admiramur, ad id cogitationem, mentemque convertimus, quippequod placet, & gratum eſt, ſi ex genere ſit bonorum. Hanc ob cauſam, ut dixi, admirabilis ac novæ rei forma quaſi altius inſculpta apparet in cerebro, quam animus intuetur. Atque hinc factum puto, ut ſummi extiterint architecti, pictores, ſculptores, philoſophi, mathematici, aliique præſtantes viri in artibus & diſciplinis, quarum admirati pulchritudinem ac dignitatem, nihil induſtriæ prætermittendum rati ſunt, ut tanto bono potirentur. Eodem modo qui Tullium dum legerent, & propter orationis elegantiam, ordinem, venuſtatem, vim, gravitatem, ac reliqua, quæ in eo ſumma ſunt, omnia admiratione caperentur, ac-

 ci

ipſe, qui cæteroquin ſatis doctus aliis videatur, & ſibi multo magis, non intelligat, quid poſſit afferri præſtantius: neque enim eas regiones unquam peragravit, ubi ſcientiarum campi longe, ac late patent. Similiter ſunt, qui poëſim admirantur, bonam quidem in ſeſe, ſed non ſingulis opportunam, multis etiam noxiam; atque ad hanc animum adjiciunt ſuum: id vero conſequuntur, ut verſus, ſi quos ſcribant, ad movendum riſum aptiſſimi habeantur; atque interim ea, quæ utiliora ſunt, negligant, nec ad optima ſtudia proficiant.

V. Hoc vitium maxime in adoleſcentibus locum habet, qui ſi in educatores & magiſtros incidant, ea tantum, ut ſolent, magni æſtimantes, quæ ipſi didicerint; hæc vero & pauca ſint, & vulgaria, & levioris momenti, & interdum vitioſa vel in diſciplina, quam profitentur, reliqua vero contemnant; quantum inde incommodi capiant, vix dici poteſt: incipiunt enim admirari id, quod ab eo laudatur, quem doctrina, judicii ingeniique vi præditum putant; ac demum ſentiunt, ſe in re parum ad vitæ uſum, & cognitionem utili ætatem triviſſe.

VI. Sed majus detrimentum ex admiratione influit in mores: ad hanc enim fere referenda eſt luxuries in ædibus, in ſupellectili, in familia, in menſa, in veſtibus, aliiſque hujus generis: nam admiratione ſublata, id quidem, quod neceſſarium eſt, retinetur, at plerumque tollitur, quod redundat: quoniam illud nobis ſatis eſt non tantum ad vitæ neceſſitatem, ſed etiam oblectationem; hoc aſpicientibus, atque admirantibus dandum putamus. Profecto quis, cum ſolus eſt, ornat ſe auro, vel gemmis, vel purpura? *nemo*, inquit Seneca (*Epiſt.* 94.) *oculis ſuis lautus eſt, ne paucorum quidem, & familiarium, ſed apparatum vitiorum ſuorum pro modo turbæ ſpectantis expandit. Itaque irritamentum eſt omnium, in quæ inſanimus, admirator & conſcius.* Et paullo ante dixerat: *ubi teſtis ac ſpectator abſceſſit, vitia ſubſidunt, quorum monſtrari ac conſpici fructus eſt.* Nos certe puderet inanitatum & ineptiarum, ſi omnes continentiam, frugalitatem, virilem animum, modeſtiam, gravitatem admirarentur, ac tandem virtutem, quæ una maximi æſtimanda eſt; *perſuaſum ſit*, ſcribit Tullius (*Offic. lib.* 1.) *nihil hominem*,

niſi quod honeſtum, decorumque ſit, admirari, aut optare, aut expetere oportere. Vel ſi quid aliud admirari volumus, nobis propoſita ſit Dei potentia, pulchritudo, bonitas, liberalitas, atque alia, quæ ſupremæ naturæ ſunt propria, & apparent quodammodo in rerum conditarum ordine, varietate, præſtantia; cum ſumma ſit admirabilitas cæli, ac terrarum.

VII. Quæ cum ita ſint, tenera adhuc ætas ea admiratione imbuenda eſt, quam honeſtam, utilem & ſalutarem eſſe diximus; & curandum, ut non modo pueri, ſed pene infantes, ſi fieri poſſit, non divitias, non opes, non veſtimentorum ornatum, non comæ nitorem, non voluptates, ac gloriam popularem admirentur, ſed virtutem ac ſcientiam: admirationem enim ſequitur cupiditas, & hanc conatus ad potiundum: quamobrem qui ſupervacanea ſuſpicit & admiratur, iis indiget, quæ ſunt maxime neceſſaria. Adde, quod inutilis admiratio moleſtias & curas habet adiunctas; eſt enim grave iis carere, quæ placent: iccirco magna felicitatis pars eſſe dicitur nihil ſummopere admirari.

CAPUT XIII.

De Voluptate, ac Lætitia.

I. PLura ſunt nomina, quibus eadem fere ſubjecta eſt vis & poteſtas, hoc eſt, voluptas, jucunditas, delectatio, hilaritas, exultatio, lætitia, gaudium. Inter hæc tamen videtur diſcrepare quodammodo: nam *voluptas*, dicitur (*apud Tullium lib.2. de Finib.*) *jucundus motus in ſenſu*; quam eſſe communem quamdam notionem, ait Tullius (*cit. loc.*) his verbis: *voluptatem hanc eſſe ſentiunt omnes, quam ſenſus accipiens movetur, & jucunditate quadam perfunditur*; & rurſus (*ib.*) *in eo autem voluptas omnium latine loquentium more ponitur, cum percipitur ea, quæ ſenſum aliquem moveat jucunditas*. Quamquam hæc ſcribat; nihilominus alio in loco, ut & in multis aliis, etiam ad animum refert voluptatem: *huic verbo* (voluptatis) inquit (*cit. loc.*) *omnes, qui ubique ſunt, qui latine ſciunt, duas res ſubjiciunt, lætitiam in animo; commo-*

motionem ſuavem jucunditatis in corpore. At revera voluptas plerumque corporis eſt, non animi: jucunditas vero æque utrique convenit, & eſt ſuavis motus cum in corpore, tum in animo. *Hanc quoque jucunditatem*, ait Tullius [*ib.*] *ſi vis, transfer in animum: juvare enim in utroque dicitur, ex eoque jucundum*. Delectatio apte dicitur eſſe auditus: definitur enim a Tullio (*Tuſc. qq. lib.4.*) *delectatio voluptas ſuavitate auditus animum deliniens*: quamquam & ad alios ſenſus transfertur: addit enim: *& qualis eſt hæc aurium* deliniens, *tales ſunt oculorum, & tactionum, & odorationum, & ſaporum: quæ ſunt omnes unius generis ad perfundendum animum tamquam illiquefactæ voluptates*. Hilaritas ſe profert aperta & arridens, habetque leporem, feſtivitatem, & jocos. Exultatio (ſi uti licet hoc verbo fortaſſe parum latino) voluptas eſt, ut nomen indicat, quæ geſtit, & contineri non poteſt, effuſeque ſe jactat. Lætitiam definiunt Stoici (*apud Tullium Tuſc. qq. lib. 4.*) *ſine ratione animi elationem*; atque hanc a gaudio diſtinguunt hoc modo: *cum ratione animus movetur* [*apud Tullium cit. loc.*] *placide, atque conſtanter, tum illud gaudium dicitur*: *cum autem & inaniter, & effuſe animus exultat, tum illa lætitia geſtiens, vel nimia dici poteſt*. Gaudium itaque in bonis habent, lætitiam in malis, qua volunt vacare ſapientem. Eodem modo voluptatem quamlibet, etiam quæ animi eſt, ponunt in vitio, ut auctor eſt Tullius (*lib.2. de Finib.*) quod idem de jucunditate, delectatione, exultatione, hilaritate debent dicere, ſi conſtare ſibi velint. Sed hæ tricæ ſunt Stoicorum, quibus propoſitum eſt de nominibus litigare. Cæterum cum alia, de quibus dixi, & ad animum, & ad corpus in communi, uſitatoque ſermone referantur, *non dicitur*, ut Tullius monet, *lætitia, nec gaudium in corpore*, tametſi propter nexum partis utriuſque, quæ ſunt in animo, fere in corpus influant, & contra. At contingit interdum, ut dolor ſit in corpore, lætitia in animo, & moleſtia in animo, ſecus autem in corpore: animus enim a ſenſibus abduci poteſt quodammodo.

II. Hæc dixi explicandi cauſa. Cæterum faciam liberius, atque utar more dicendi, quo noſtri uti ſolent, dum promiſcue illis nominibus eamdem ſæpe vim ſubjiciunt; modo tamen lætitia & gaudium ſemper animi ſit, nunquam

cor-

corporis. Quoniam vero nomen voluptatis patet latiſſime ſi hoc uſurpo, non puto fore, ut reprehendar. Sed volupta duplex, ut innui; alia, quæ mente percipitur, & gaudium ac lætitia dicitur; alia, quæ ſenſu. Prima eſt quies voluntatis in bono aliquo congruente; & hæc quies fructus unus eſt, quem animus capit ex bonis: his enim, lætitia ac quiete ſublata, non magis fruitur, quam is, qui non poſſidet, ut ſcribit Carteſius [*de Paſſion. part.2. art.91.*] Altera vero eſt ſuavis in ſenſu permotio. Etſi arbitror, non eſſe alienum a veritate, ſi dicamus, utramque eſſe mentis, quæ illam capiat per ſeſe, ac vi ſua; hanc autem a corporis rebus hauriat per ſenſus. Porro ita ſit, an non ſit, videant philoſophi, quorum eſt rerum naturam inveſtigare. Certe quod ad nos attinet, quibus propoſita eſt affectionum conſideratio ad perfectionem vitæ, atque morum; hoc eſt, ut id, quod in affectionibus vitioſum eſt, declinetur, ac retineatur, quod honeſtum; honeſtas autem, & turpitudo ad animum referatur plane omnis, voluptatem etiam, quæcumque ea ſit, ſpectamus eatenus, quatenus eam vel recte animus admittat, vel reſpuat: neque enim in ſenſus turpitudo, aut honeſtas poteſt cadere. Quapropter id habet voluptas, ac ſi placet, lætitia cum quavis affectione commune, quod vel bona poteſt eſſe, vel mala, vel conſentanea, vel contraria rationi. Ea quidem data eſt a natura, ac nobiſcum naſcitur, quam iccirco omnes homines ſequuntur, ut Ariſtoteles ſcribit (*lib.7. Ethic. cap.13.*) atque ipſi iidem, qui eam aſpernari ac fugere maxime videantur. Etiam reſpublicæ, quarum dura eſt diſciplina, ſectantur voluptatem. Apud Lacedæmonios in uſu erant flagella ac virgæ, laborioſæ venationes & curſus; tum in cœnis ſumma frugalitas, a lecto mollities & luxus aberat. *Etiam in his tamen voluptates video*, ſcribit Maximus Tyrius (*Diſſ. 33. num. 195.*) *macte Lycurge, qui pro minimis laboribus voluptates introducis magnas. Parva das, magna accipis. Labores inſtituis breviſſimos; voluptates pro iis accipis perpetuas. Quæ ſunt voluptates, inquies, Spartanæ? Urbs ſine muris, ſine metu, intacta ab igne: quæ nec hoſtem unquam, nec peregrinum vidit clypeum, quæ luctum nullum, nullas unquam minas audivit. Quid autem metu triſtius, aut ſervitute durius, aut neceſſita-*

te

Digitized by Google

te eſt moleſtius? quibus ſi urbem liberaris, multas pro illis reddis voluptates.

III. Eſt autem voluptas a natura hominibus tributa ſapienter: nam primum humanas actiones dulcedine quadam, & quaſi melle perfundit, ut homines ea faciant, quæ ad vitam ſunt, ac valetudinem neceſſaria: vix enim adduci poſſent, ut potu uterentur, atque paſtu, exercitationeque corporis, ut ſomno conſopiri ſenſus vellent, voluptate ſublata. Deinde, quæ maxima ineſt voluptas in rerum cognitione ac virtute ad laborum, qui in his comparandis perferantur neceſſe eſt, tolerationem plurimum valet. Quidquid item arduum eſt, & difficile, aſperſit natura voluptate, qua difficultas facinoris, & duritas molliatur. Voluptas victoriæ, honoris, & gloriæ, aliorumque emolumentorum quamplures allicit ad militiam, ad vitæ pericula ſubeunda pro republica ac patria, ad præclara conſilia. Facile jaceret virtus, prudentia, temperantia, fortitudo, juſtitia, nec expeteretur, niſi efficeret voluptatem. Efficit autem primum prudentia, & magnam quidem: *nam*, ut eſt apud Tullium (*de Fin. lib.1.*) *cum ignoratione rerum bonarum, & malarum maxime hominum vita vexetur, ob eumque errorem & voluptatibus maximis ſæpe priventur, & graviſſimis animi doloribus torqueantur, ſapientia & prudentia eſt quæ & terroribus, cupiditatibuſque detractis, & omnium falſarum opinionum temeritate direpta* certiſſimam nobis offert, & liquidam voluptatem. Mox temperantia eodem modo, quippequæ pacem animis conciliat, & eos quaſi concordia quadam placat & lenit, nec ſinit voluptatibus frui, quas dolor & pœnitentia conſequatur: quamobrem qui temperantes ſunt, *hi*, ut ſcriptum eſt apud Tullium (*ib.*) *voluptatem maximam adipiſcuntur prætermittenda voluptate. Eadem fortitudinis ratio reperietur* [*apud Tullium cit. loc.*] *nam neque laborum perfunctio, neque perpeſſio dolorum per ſe ipſa allicit, nec patientia, nec aſſiduitas, nec vigiliæ, nec ea ipſa, quæ laudatur, induſtria*; ſed placent, quæ hinc commoda, voluptateſque proficiſcuntur: nam fortitudo facit, *ut ſine cura, metuque vivamus* (*Tullius ib.*) *animumque, & corpus, quantum efficere poſſimus, moleſtia liberemus: ut enim mortis metu omnis quietæ vitæ ſtatus pertubatur, & ut ſuccumbere doloribus, eoſque hu-*

mi-

mili animo, imbecilloque ferre miſerum eſt, ob eamque debilitatem animi multi parentes, multi amicos, nonnulli patriam, plerique autem ſeipſos penitus perdiderunt; ſic robuſtus animus, & excelſus omni eſt liber cura & angore.

IV. Ex alio etiam fonte manat voluptas, quæ ineſt in fortitudine: nam jucundum eſt, ſentire ſe fortem ac ſtrenuum ad aggrediendum, aut tolerandum id, quod arduum ac durum videatur. Qua de cauſa ſenes delectantur memoria ſuperiorum malorum, e quibus evaſerint.

V. Juſtitia tandem copulata eſt cum voluptate, a qua divelli non poteſt: eſt enim contenta rebus ſuis, & tranquillat animos ſpe, *nihil earum rerum defuturum* (*apud Tullium de Finib. lib. 1.*) *quas natura depravata deſiderat.*

VI. Itaque natura actiones omnes aut neceſſarias, aut arduas, exercitationeſque virtutum voluptate quaſi condimento lenivit, & dulces, expetendaſque fecit, & illud conſecuta eſt, ut eſſent cum faciles, tum perfectæ: nam quod geritur ſine ulla voluptate, id & moleſtum eſt, & fere expers perfectionis, & numeri. Videmus quam ægre ambulent debiles & infirmi, capiant ægroti cibum, ad ſcholas pueri ſe conferant. Contra qui libenter aliquid faciunt, & cum voluptate, idem facile ſolent, & recte facere; & ſæpe ea in re, arte, diſciplina, virtute, cui libenter operam dant, excellere: ex quo extat illud vulgatum: nihil difficile volenti; ſcribitque Ariſtoteles (*lib. 10. Ethic. cap. 4.*) actionem perfici voluptate, & ut plurimum habet jucunditatis, ita eſſe perfectiſſimam. Perficitur item actio uſu, & frequentia; at *in iis rebus quiſque elaborat...*, ut Ariſtoteles ait [*cit. loc.*] *quas maxime adamat: ut muſicus auditu in cantu; ut diſcendi cupidus intelligentia in rerum cognitione, & contemplatione, itemque cæteri.* Male igitur Stoici voluptatem omnem, ut vitioſam damnant, & removent a ſapiente (*vid. Seneca Epiſt. 59.*) Quod ſi ex ea mala conſequuntur, ut dicam, artis & rationis eſt culpa, non voluptatis. Ut vero ratio res eſt honeſta, quamquam ea multi perverſe abutuntur; ita voluptas ex ſe, quæ cum ſequitur rationem ducem, bona eſt, & emollit difficultatem, quæ ineſt in rebus honeſtis; ſecus cum ratio abripitur voluptate (*vid. Maximum Tyrium Diſſ. 33. num. 191.*) Quare & Iſocrates ſic Demonicum ſuum mo-

Digitized by Google

monet (*Orat. ad Demonicum*) *eas ſequere voluptates, quæ gloriam pariant: nam oblectatio conjuncta cum honeſtate res eſt optima; ſine hac peſſima.*

VII. Sed duo ſunt in hoc genere animadvertenda diligenter. Primum eſt, non eſſe nobis ut finem a natura propoſitam voluptatem, quæ in rebus ſingulis reperitur: quamobrem ea tantum uti licet quaſi medicina ad ærumnas, & ægritudines ſublevandas, quas niſi emolliat voluptas, animi robur hebeſcit & languet afflictum rerum difficultate, mœrore, ac tædio. Qua in re peregrini ſunt, & viatores imitandi, qui ex viarum amœnitate, herbeſcente circumſtantium agrorum viriditate, ubertate, pulchritudine, labentium aquarum ripis, aliiſque generis ejuſdem ſolatium & oblectamentum aliquod capiunt; ſed pergunt tamen, & feſtinant ad patriam. Eodem modo animum labore ac moleſtia fractum erigi ac recreari voluptate, id quidem eſt a natura datum; at non occupari, in eaque conquieſcere. Alterum eſt, cum voluptas alia honeſta ſit & vera, alia turpis & falſa, magnopere cavendum eſſe, ne vulgi errore ducamur, & falſas pro veris voluptatibus habeamus: hinc enim magnum quoddam detrimentum in vitam, moreſque permanat.

VIII. Quæ ſenſu capiuntur voluptates, oportet, eas eſſe admodum moderatas, & nunquam rationi repugnantes. Quales ſint, quæ inquinant caſtitatem, quam viles, quam abjectæ, quam perniciosæ, dixi alio in loco (*lib.3 part.5. cap. 1. & 3.*) Pariter quæ ad guſtum pertinent, propriæ ſunt pecudum, & ſupra vidimus (*lib.3. part.5. cap.1. & 7.*) quæ in his ſit adhibenda moderatio. Levis voluptas eſt in odoratu; aurium, & oculorum poteſt eſſe præſtantior; modo verſentur in iis rebus, quæ honeſtæ ſunt, & probis moribus conſentaneæ, & utiles ad cognoſcendum: auribus enim poteſt percipi cum ſapientia, tum in agendo prudentia; atque oculis eodem modo, & Cæli, ac terrarum contemplatione mentem licet erigere ad ſublimia, atque & ad Deum. Sunt tamen quammulti, qui oculos, & aures adhibent ut inſtrumenta ad importandam in animum improbitatem, & innocentiam exterminandam aliquando in omne poſterum tempus. Quocirca magnum quoddam periculum imminet incautis ab eo genere voluptatum, quæ ſunt in ſenſibus. Omnium honeſtiſſimæ ac liquidiſſimæ

Digitized by Google

voluptates ſunt, quæ a mente ex ſcientia ac virtute capiuntur, de quibus ſupra dixi (*lib.1. cap.19. lib.3. part.1. cap.12.*) quoniam hæ cum hominis propriæ ſunt, tum firmæ ac ſempiternæ, & delectant; quamquam nulla adſint bona fortunæ.

IX. Tum vero accidit, ut quæ vilia & parva aliis videantur, ea bono ac ſapienti viro & ſufficiant, & grata ſint, a quo pretioſis, ac maximis præferantur; quippequæ non carent moleſtia. *Delectabatur*, ait Maximus Tyrius (*Diſſertat. 33. num. 194.*) *dolio ſuo Diogenes, ut Babylone ſua Xerſes. Delectabatur ſicco pane, ſicut condimento ſuo Smyndirides. Delectabatur omnibus fontibus, ut Choapſe ſolo Cambyſes. Delectabatur ſole, ſicut purpuris ſuis Sardanapalus. Delectabatur baculo ſuo, ſicut haſta ſua Alexander. Delectabatur opera ſua ſicut omnibus theſauris Crœſus. Quod ſi*, pergit Maximus, *voluptatem alteram confers cum altera, vincit Diogenes. Plena quidem voluptatum ſunt illorum omnia, ſed quæ moleſtiam ſecum trahant . . . . at voluptates Diogenis ſine ulla lamentatione, aut gemitu, ſine lacrymis ſunt, aut mœrore. Tu interim labores eas vocas. Quia enim ex natura tua illius hercule metiris ingenium, menſura medius fidius iniqua: tibi enim labor erit, eadem ſi agas, Diogeni voluptas.*

X. Profecto ſunt, qui in tenui fortuna, ac vita privata ſortem ſuam ne cum regibus quidem, ac ſummis imperatoribus commutarent, quoniam jure arbitrantur, nullas opes ac divitias, nullas dignitates cum animi quiete eſſe comparandas. Audiamus rurſus Maximum Tyrium de eodem Diogene diſſerentem: *auſim ego*, inquit, *amplius dicere, nullum unquam veriorem fuiſſe voluptatis amatorem Diogene. Domum, quam adminiſtraret, non habuit: moleſta eſt domeſticæ rei adminiſtratio. Rempublicam non attigit: res enim eſt graviſſima. Uxorem non duxit: de Xantippe audierat. Liberis caruit: pericula ante oculos habebat. Sic omni immunis malo, liber, ſecuruſque ſine metu, aut mœrore ullo, ſolus mortalium tamquam domum unam totam colebat terram. Voluptatibus apertis fruebatur, incuſtoditis, effluentibus.* Quæ certe in multos e noſtris hominibus veriſſime cadunt.

XI. Hæc cum ita ſint, ſi mortales ſapiant, præſertim vero adoleſcentes, poſſunt etiam in terris, quoad fieri poteſt, beate vivere, ſi turpi quavis, & inani voluptate poſthabita,

eas

eas conſectentur, quæ cum in noſtra poteſtate ſunt, tum menti placationem ac tranquillitatem afferunt longe ſuaviſſimam, & nullo unquam tempore eripi poſſunt. Has virtus efficit, rerumque cognitio, ut dixi, & ſuperioris bene actæ vitæ renovata recordatio: hinc quæ naſcuntur voluptates, ſemper præſto ſunt dies atque noctes, & foris & domi; & quo magis earum cauſa creſcit, eo fiunt potiores.

XII. Contra vero falſæ voluptates, quales ſunt, quæ percipiuntur ſenſibus, nec ſemper paratæ ſunt, nec ſolidæ, nec diuturnæ, ſed brevi evadunt moleſtæ: neque enim perficiunt naturam; at ſenſim debilitant & labefactant. *Voluptatem perpetuam*, ait Tullius (*lib. 2. de Finib.*) *quis poteſt præſtare ſapienti? nam, quibus rebus efficiuntur voluptates, hæ non ſunt in poteſtate ſapientis*: loquitur autem de voluptatibus, quarum procreatrices ſunt res externæ: addit enim: *totum autem id externum; & quod externum, in caſu eſt*. Eſt autem hoc loco intelligendum, eos, qui ſe dedunt corporis voluptatibus, non poſſe aliis frui, quæ ſint mentis propriæ: nequeunt enim ſimul utræque conſiſtere, at mutuo ſeſe expellunt: cum vero homines vix poſſint vitam ducere ſine omni plane voluptate, neceſſe eſt, qui veras & utiles non ſequuntur, ab iis falſas ac noxias appeti, quæ ſunt in ſenſibus cum maximo & animi, & corporis detrimento. Nam huic voluptatum generi ſemper adhæret dolor & pœnitentia, ut Maximus Tyrius ſcribit (*Diſſ. 31. num. 184.*) *Quod ſi*, inquit, *ne mutari quidem voluptatem deprehendero, jam concedam hoc, virtutemque negligam libenter: hac lege dico, ut voluptatem mihi ſolidam oſtendas, nullis vitiatam doloribus, voluptatem, quam nulla excipit pœnitentia, voluptatem laude dignam*. Et paullo poſt: *vita enim hominis voluptati dediti mobilis, meticuloſa, infida, & omni ſalo eſt incertior*. Tum affert exempla Alexandri, Aſſyriorum, Polycratis, Sybaritarum, Syracuſanorum, & Corinthiorum, quorum voluptates infelicem exitum habuerunt. Quapropter ii in primis, qui tenera adhuc ætate ſunt, felicitati ſuæ conſulent vel in terris, ſi animum exerceant in rebus honeſtiſſimis, atque aſſueſcant propter quotidianum uſum ex his capere voluptatem, & mœrere, triſtarique contrariis. Quo ſpectant verba hæc Ariſtotelis (*lib. 10. Ethic. cap. 1.*) *in eo etiam vis maxima eſt*

poetarum certamine præter opinionem victor extitiſſet, eſfuſiſſimeque gauderet. Illud etiam celebre, quod de Rhodio Diagora teſtantur hiſtoriæ. Is tres filios adoleſcentes habuit, unum pugilem, alterum παγκρατιαστὴν, ut Græci vocant, hoc eſt, certatorem in eo ludo, qui Pancratium dicebatur, tertium luctatorem, atque hos omnes victores, & corona donatos vidit eodem Olympiæ die. Cum vero patrem tres adoleſcentes complexi ejus capiti imponerent coronas ſuas, & populus gratularetur, floreſque in eumdem jaceret, ibi in ſtadio, inſpectante populo, in oculis, ac manibus filiorum animam egit propter redundantem lætitiam. Quo item tempore apud Cannas exercitus populi Romani deletus eſt, mater quædam vetula, accepto de morte filii nuncio, ſummo luctu, ac mœrore affecta eſt; tum non diu poſt cum adoleſcentem ex ea pugna in urbem redeuntem vidiſſet, inopinati gaudii copia & vi oppreſſa e vivis exceſſit. Hæc omnia extant apud A. Gellium [*Noct. Attic. lib.3. cap.15.*] Accedit Chilon Lacedæmonius, qui Piſis amplexatus filium in Olympico certamine coronatum immodica lætitia diem obiit (*apud Patrit. Senenſ. de Regno lib.4. tit.13.*) Stultum quidem eſt lætitia emori; ſed & illud ineptum nimium geſtire ſecundis rebus, quæ humanæ ſint, & breves, & fluxæ: *ſint ſane iſta bona*, ait Tullius (*Tuſc. qq. lib. 4.*) *quæ putantur, honores, divitiæ, voluptates, cæteraque; tamen in eis ipſis potiundis, exultans, geſtienſque lætitia turpis eſt; ut ſi ridere conceſſum ſit, vituperetur tamen cachinnatio: eodem enim vitio eſt effuſio animi in lætitia, quo in dolore contractio; eademque levitate cupiditas eſt in appetendo, qua lætitia in fruendo; & ut nimis afflicti moleſtia, ſic animi elati lætitia jure judicantur leves.*

XV. Vitandæ autem omnino hujus levitatis gratia, videndum eſt, quæ vitia nimiam inſolentemque lætitiam fere comitentur, ut his amputatis ſit animus moderatior. Primum eſt loquacitas: nam in lætitia plures extant ſpecies ac formæ in cerebro, ideoque in mente cogitationes, ac promptiores ſpiritus, ut vocant, calore concitati, & judicium eſt forte debilius, quam ea vis, quæ Græcis dicitur φαντασία: itaque qui hilares ac læti ſunt, non animadvertunt attentius, quid dicant. Eam ob cauſam adoleſcentes, & pueri,

&

Digitized by Google

quod minus decere, & gravitati, modeſtiæ, verecundiæ contrarium eſſe videatur. Anaxagoram Clazomenicum ferunt, qui ridentem videret, fuiſſe neminem; Ariſtoxenum etiam valde a riſu abhorruiſſe; & M. Craſſum illum veterem ait ſemel in omni vita riſiſſe Lucilius (*apud Tullium Tuſcul. qq. lib.3.*) Quamquam enim naturalis eſt riſus; cohiberi tamen poteſt uſu, & ratione. *Riſus ne ſit multus*, ait Epictetus (*in Enchyrid. cap.43.*) *nec ob multa, nec effuſus*. Quamobrem Plato [*Dial.3. de Rep.*] reprehendit Homerum, qui vel ipſos inducit effuſe ridentes Deos, dum Vulcanum, qui claudus eſſet, celerius properantem ac diſcurrentem per domum vidiſſent. *Sed neque in riſum*, inquit, *nos nimium profuſos eſſe oportet .... non igitur admittendum eſt, quando quis ſummæ auctoritatis viros in riſum ſolutos inducit, & multo minus quando Deos .... Ergo neque Homerum audiemus, cum dicit: inextinguibilis riſus Diis concitatus eſt, dum Vulcanum per domum properantem viderent, utpote qui claudus eſſet*. Certe cachinnatio decet neminem; eſt enim levitatis: opportuno tempore ſubridere non dedecet, quoniam id ad affabilitatem, & comitatem refertur; & præterea prodeſt valetudini; cum mentem hilariorem faciat. *Riſus*, ait Plutarchus (*Sympoſiacon 1. q. 4.*) *poteſt ad multa utilia accommodari, & ſeriæ res dulcedine aliqua temperari*. At nimius riſus nocet: quoniam quatit corpus univerſum, quod & interdum poteſt vita privare, ut contigiſſe olim memoriæ proditum eſt. Zeuxis vetulam a ſe egregie pictam cum intueretur, & Philemon aſinum appoſitas ficus comedentem, in tantum uterque riſum ſolutus eſt, ut interiret (*apud Gaſſend. Phyſ. Sect.3. membr. poſter. lib.10. cap.3.*)

XVIII. Cavendum eſt item a quodam riſus genere ficti & ſimulati, qui expers eſt veræ hilaritatis, & vulgo ſardonius dicitur a Sardonia herba, quæ apium refert, & facit, ut qui ea veſcitur, diducat labia, & more ridentis intereat, ut ſcribit Matthiolus (*in 6. librum Diſcoridis cap.14. part.2.*) & Voſſius [*Etymol. V. Sardoa*] ex quo extat illud Virgilii [*Eclog.7. v.41.*]

Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis.

Hoc

Hoc riſu non natura concitato, ſed arte, & aſſentatione, utuntur non pauci, qui arrident omnibus, aut potius ita vultum callide componunt, ut arridere videantur; ſed cum ex factis, tum ex ipſo oris habitu minus hilari ac ſereno detegitur ſimulatio. Huc referri poteſt riſus perpetuus Democriti, qui tamen potius irriſio quædam erat amarulenta ad hominum incuſandam inſaniam, atque dementiam, quam illi haberent ſapientiæ ac prudentiæ loco. Sunt etiam qui cum natura melancholici ſint, ſemper ſe comparant ad ridendum: cum enim non poſſint lætitia frui, hanc conantur ad ſe accerſere & invitare quodammodo, ſed cum præſeferunt vultum, qui ad fletum & lacrymas, quam ad riſum ſit multo paratior. Præſtaret operam dare adipiſcendæ jucunditati, quam inepte ridere, & dentes quidem, & oris rictum, non animi lætitiam prodere.

CAPUT XIV.

De Moleſtia ac Triſtitia.

I. UT quæ animum erigunt, de quibus dixi capite ſuperiore, ea notantur multis nominibus, ita quæ deprimunt. Horum tamen eadem fere eſt ratio, quamquam diſcrepare quodammodo videantur, præſertim apud Stoicos, qui ad ſingula propriam definitionem accommodant, ut mox dicam. Itaque primo loco ponunt ægritudinem, cui plures ſubjiciunt partes generis ejuſdem (*apud Tullium Tuſcul. qq. lib.* 4.) hoc eſt, angorem, luctum, mœrorem, ærumnam, dolorem, lamentationem, ſollicitudinem, moleſtiam, afflictationem, ac præterea invidentiam, æmulationem, obtrectationem, miſericordiam, de quibus dixi aliis in locis: hæc autem prima definitio eſt, *ut ægritudo ſit animi, adverſante ratione, contractio* (*cit. loc.*) *& quaſi morſum aliquem doloris efficiat*; tum ſequuntur reliquæ. *Angor eſt ægritudo premens*, idemque videntur eſſe anguſtiæ ex eo dictæ, quod angant & premant, & arctiori loco concludant; a quibus parum differt anxietas,

tas,

tas; quamquam hanc ponunt in habitu; cum angor ſit in actione, ut ſupra dixi. *Luctus eſt ægritudo ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo. Mœror ægritudo flebilis*; atque idem eſt mœſtitia, & triſtitia ſimiliter. Sed illa fortaſſe vehementior, aut certe magis aperta ac patens. *Ærumna ægritudo laborioſa* a μέριμνα ut Voſſius putat (*in Etymol. v. Ærumna*) quo ſignificatur anxia ſollicitudo ἀπὸ τῦ μερίζειν, quod animum diſtrahat. Eam egregie deſcribit Virgilius (*lib.* 8. *Æneid. v.*18.)

. . . . Laomedontius heros
Cuncta videns magno curarum fluctuat æſtu,
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In parteſque rapit varias, perque omnia verſat.

Dolor, pergit Tullius (*cit. loc.*) *ægritudo crucians. Lamentatio ægritudo cum ejulatu*. Non tamen ſubjecta huic nomini videtur affectio, ſed vox triſtis & queribunda ex affectione profecta. *Sollicitudo, ægrotatio cum cogitatione. Moleſtia ægritudo permanens. Afflictatio ægritudo cum vexatione corporis.* Hæc quidem Stoici. At nos ſubtilitare tanta non delectamur.

II. His duobus nominibus moleſtiæ & triſtitiæ utimur, aliiſque eamdem fere vim, poteſtatemque tribuimus, ut fieri in ſermone uſitato ſolet; ſed inter moleſtiam & triſtitiam diſcrepat, quod hæc animi tantum (ut & angor, & mœror, & luctus, & ſollicitudo) illa cum animi ſit, tum corporis ut & ærumna, & dolor, & afflictatio. Dolor quidem potius ad corpus pertinet; tamen eſt etiam animi; ut dolor ſuſceptus ob malefacta. Verum non nego, definitiones Stoicorum, quippequi variam triſtitiæ & moleſtiæ vim, ſeu acrimoniam explicant, utiles eſſe; dumtaxat ab iis velim non ſemper nomen ægritudinis uſurpari, quæ in vitio ponitur: nam moleſtia & triſtitia non ſemper eſt contraria rationi, ut dicam. Itaque ad rem venio.

III. Triſtitia eſt animi quædam contractio propter malum, quod præſens adeſt, aut imminet; moleſtia item, ſi ad animum referatur, definiri poteſt eodem modo; ſi vero ad corpus, contingit aliquando, ut hoc male habeat, animo interim tranquillo ac pacato. Ea porro contractio ad animum videtur tranſlata e corpore: nam triſti-

Digitized by Google

tia dominante, propter copulationem partis utriuſque, qua conſtamus, ſpiritus e cerebro delabentes cor pungunt quaſi ſpicula, & aſpere & dure afficiunt, ut leniter, animum deliniente lætitia: ita enim a natura comparatum eſt, ut ſpiritus, quos vocant, pro affectionis, quæ in animo eſt, varietate, molliter, aut aſpere cor attingunt. Tum his refugiendis cor ipſum ſe abducit & comprimit, ut lingua contrahitur acri ac fodicante ſucco, naris odoris ingrati, & intolerabilis fœditate, oculus objectæ rei deformitate, manus urtica ac vepribus (*vid. Gaſſendum Phyſ. Sect. 3. membr. poſter. lib. 10. cap. 3. §. Videtur itaque tom. 2.*) eſt enim ut cuique animanti, ita ejus parti hoc inſitum a natura, ut continuationem, copulationemque tueatur, & repellat omnia, quæ eam diſcerpunt ac dirimunt, iccircoque ſe comprimat, recondatque intra alias partes, ut irruenti hoſti, ut ita dicam, & diremptionem minitanti aditum intercludat, quoad fieri poteſt. Quapropter hæc cordis contractio transfertur ad animum. Ea cordis contractione fit, ut contrahatur item pectus, & pulmo, & os venarum: parcior enim ſanguis influit in venas, tum in eas etiam, quæ quaſi capilli ſunt propter tenuitatem, nec ad partium extremitatem funditur. Cum vero & ſpiritus [utendum eſt enim hoc nomine philoſophis familiari] ſint pauciores in cerebro, pauciores in nervos ſimiliter delabuntur. Quo efficitur, ægra membra labare, oculorum aciem flacceſcere, torpere linguam, & faciem in anguſtum adduci, & concidere, ut ſcribit Gaſſendus (*cit. loc. §. Quod deinde*) Ex quo ſunt illa (*apud Tullium Tuſcul. qq. lib. 3.*)

Refugere oculi: corpus macie extabuit:
Lacrymæ peredere humore exangues genas:
Situ nidoris barba pedore horrida,
Atque intonſa infuſcat pectus illuvie ſcabrum.

IV. Triſtitiæ autem & moleſtiæ multæ ſunt cauſæ; ſed una generatim; hoc eſt, quicquid voluntatis propenſioni vel a natura datæ, vel uſu partæ contrarium eſt, idem animo moleſtiam & triſtitiam parit. Cum vero hominum proclivitas & propenſio tam varia ſit pro varietate opinionis, quæ

Digitized by Google

quæ ineſt in mente, aut temperationis, quæ in corpore; iccirco videmus, hominum judicia in capienda moleſtia mirifice diſcrepare, neque eadem moleſta eſſe omnibus: immo accidit, ut quæ aliis ingrata ſunt, aliis grata & jucunda videantur; V. C. pueris literarum ſtudio nihil poteſt eſſe moleſtius, ex quo viri in primis eruditi capiunt inſatiabilem voluptatem; quidam ludis, ſpectaculis, aliiſque oblectationibus delectantur; quidam ſecus. Quapropter qui ſtudio tenentur opum & divitiarum, qui honoris & gloriæ, qui voluptatum, hæc ii ſi amittant, aut non poſſint conſequi, ægritudine conflictantur: ex quo vel ea triſtitia exiſtit, quæ dicitur invidentia. Similiter ſi quod ſuſcepto conſilio, quodcumque illud ſit, impedimentum inferatur, iraſcuntur & mœrent. Inanes ergo cupiditates præcipua ſunt cauſa triſtitiæ. Quo fit, inertes, improboſque adoleſcentes, & pueros ægre in collegiis vivere, in quibus locati ſunt pietate & literis erudiendi, atque in id præſertim incumbere, ut præceptorem, ut rectorem, ut diſciplinam, ut victus rationem vituperent: quippequi in aliam rem quamlibet propendent, præterquam in literas & pietatem, a labore, atque obedientia penitus alieni, appetentiſſimi ſunt oblectationum, libertatis & commodorum. Parentes filiorum obitu, quippequos amant maxime, ita mœrent, ut a dolore ac luctu reſpirare vix poſſint. Qui nimium valetudinis ac vitæ ſtudioſi ſunt, triſtantur vehementius aut levi morbo, aut morbi metu, & cum velint medicinis tueri & confirmare corporis ſanitatem, hanc debilitant & evertunt aliquando, & qua via triſtitiam fugiunt, eadem ipſa in eam incidunt multo graviorem. Sunt, qui leviſſimis de cauſis, inani etiam ſuſpicione, triſtitiæ ſe tradunt: neque enim refert ad animi contractionem, ſit ne aliquid malum, an videatur eſſe. *At hoc quidem perſpicuum eſt*, ait Tullius (*Tuſcul. qq. lib.3.*) *tunc ægritudinem extſtere, cum quid ita viſum ſit, ut magnum quoddam malum adeſſe, & urgere videatur*. Quæ cum ita ſint, ii proniores ſunt ad triſtitiam, quibus animus eſt puſillus, & minutus, & timidus, & cupidus, & pravis motibus perturbatus: ne quid de illis dicam, qui cum atra bili teneantur, triſtes ſunt natura, & a Græcis melancholici ſunt appellati, quorum morbus, cum ſit inſitus

in viſceribus, ſanari vix poteſt; etſi virtute, præſertim vero prudentia lenſatur.

V. Triſtitiæ natura & cauſa perſpecta, nunc pergam dicere, an ea honeſta ſit & utilis; an vero turpis & perniciosa. Poteſt quidem, ut alia quælibet affectio, cum utilitatem habere, tum honeſtatem. Primum natura moleſtiam & dolorem dedit hominibus, ut corpus ſuum, vitamque tueantur: ut enim data eſt voluptas ad actiones in vitæ uſum neceſſarias; ita dolor & moleſtia ad mala & pericula declinanda, quæ nocere poſſint corpori, cui periclitanti, admonetur animus dolore excitatus, ut opem ferat. Ignis, & calor, & frigus, & ictus, & vulnera, atque alia generis ejuſdem corpus labefactarent, omninoque conſumerent, dolore ſublato, quo animus advocetur ad repellendam inſtantem calamitatem. Mox præſtantiſſimæ virtutes jacerent, ut fortitudo, ut manſuetudo, ut patientia, niſi res adverſas quædam moleſtia conſequeretur: nam virtutes illæ in perpeſſionibus injuriarum, quæ pungunt animum, laborumque toleratione præſertim apparent, atque cernuntur. Tum res, in quibus ineſt acerbitas ac moleſtia, valent ad erudiendum, repellendamque ſocordiam, in quam animus proſperitate conjectus eſt. Deinde dolor eſt unus, quo labes eluuntur animorum; immo idem facit, ne ſuſcipiantur in poſterum, & eſt quædam pœna ad male actæ vitæ turpitudinem puniendam: *ipſam ægritudinem*, ſcribit Tullius (*lib.* 4. *Tuſcul. qq.*) *quam nos, ut tetram & immanem belluam fugiendam eſſe diximus, non ſine magna utilitate a natura dicunt conſtitutam* (Peripatetici) *ut homines caſtigationibus, reprehenſionibus, ignominiis affici ſe in delicto dolerent: impunitas enim peccatorum data videtur iis, qui & ignominiam & infamiam ferunt ſine dolore. Morderi eſt melius conſcientia. Ex quo eſt illud e vita ductum ab Afranio: nam cum diſſolutus filius dixiſſet:*

Heu me miſerum; tum ſeverus pater,
Dummodo doleat aliquid, doleat, quod lubet.

Poſtremo dolor ex miſeria alterius injuria laborantis, quo continetur miſericordia, prodeſt non ſingulis modo, ſed etiam hu-

humanæ ſocietati: nam miſericordia ſublata, & humanitas tollitur, & duritas quædam exiſtit, accommodata non ad cœtus hominum, ſed belluarum. Certe miſericordia homines uno quaſi vinculo copulantur, & alii alios juvant, & mutuo malis adhibent medicinam commutatione officiorum; quæ & jucundam faciunt & commodam ſocietatem. Verum triſtitia & moleſtia, quæ utilis & honeſta eſt, eadem moderata eſt, & animum non affligit, ſed excitat, & quoſdam quaſi aculeos ei admovet ad virtutem.

VI. Contra aliud triſtitiæ genus cum puſilli animi eſt, anguſti, contracti; tum ſummopere & corpori, & animo perniciosum, & ſingulis, & communitati. Primum corpori propter contractionem cordis & pulmonum, & ſanguinis tarditatem, humorumque acrimoniam, qua fit, ut cum rodantur aſſidue, vehementer appetant, & multum ſumant, & digerant parum, nunc capite laborent, nunc ſtomacho, nunc brachiis, nunc cruribus, nunc dentibus, aliiſque morbis; & his quidem multo gravioribus, quam ſint in ſeſe: immo ſæpe ægrotationem ſomniant, quæ nulla eſt, tum vero eam reipſa ſuſcipiant propter opinionem: nam vix dici poteſt, quantum valeat vis illa, quæ Græcis dicitur Φαντασία, ad temperationem corporis perturbandam, labefactandamque valetudinem: quoniam ex accepto V. C. triſti nuncio, cur pallor in vultu, & membrorum tremor, & febres, & infirmitates, atque alia incommoda conſequuntur? undenam tanta eſt, & tam ſubita perturbatio, niſi ex opinione? Sed illud malorum eſt maximum, quod nonnulli triſtitia ita afflicti, ac proſtrati ſunt, ut perierint. P. Rutilius, nunciata fratris repulſa in petitione conſulatus, repente e vita diſceſſit, cum ante levi tantum morbo teneretur. Diodorus Sophiſta, qui ſe gloriabatur nemini cedere in diſſerendo, cum propoſitæ a Stilpone Megarenſi, qui & ipſe in eadem diſciplina clarus haberetur, quæſtiunculæ reſpondere non poſſet, pudore, ac triſtitia perculſus occubuit (*apud Patritium de Regno lib. 5. tit. 14.*) ut & Terentius Afer propter amiſſas in mari centum, & octo fabulas latine redditas ex Menandro; & Julia uxor Pompeji ob certam conjecturam de obitu viri ſui (*apud Gaſſendum Phyſ. Sect. 3. Membr. poſter. lib. 10. cap. 3. in Fin.*) Tarquinius item (*apud Tullium Tuſcul. qq. lib. 3.*)

cum

cum reſtitui in regnum nec Vejentium, nec Latinorum armis potuiſſet, Cumas ſe contuliſſe dicitur, inque ea urbe ſenio, & ægritudine eſſe confectus. Prætereo & gemitus, & ſuſpiria, & ſingultus, & lamentationes, & ejulatus, & fletus, & lacerationes genarum, & pectoris & capitis percuſſiones, quæ interdum quidem dolorem ac moleſtiam levant, at ſæpe etiam augent, & magno detrimento ſunt corpori; quamquam cum dolor eſt vehementior, & ſumma moleſtia, hominem in taciturnitatem ac ſtuporem ita dejicit, ut quaſi in ſimulacrum convertere videatur: ex quo eſt illud Senecæ (*in Hippolyto act. 2. v. 607.*)

Curæ leves loquuntur, ingentes ſtupent.

Hinc vero preſſus exiſtit, ac pondus, quod incumbit cordi, ac pectori, & fere intercludit aditum reſpirando.

VII. Sed hæc, & multa generis ejuſdem etiamſi gravia, nihilominus leviora ſunt, ſi cum incommodis conferantur, quæ animo parit triſtitia ac moleſtia, ſi modum non tenet. Primum quidem comperrum eſt, nullam eſſe animi perturbationem triſtitia graviorem: *nulla eſt*, ait Menander (*apud Stobeum Serm. 99. tom. 2.*) *ſiquis recte conſideret, quam triſtitia, major ægritudo ſuapte natura inter humanas res*; & Tullius (*lib. 3. Tuſcul. qq.*) *nam cum omnis perturbatio*, inquit, *miſeria eſt, tum carnificina eſt ægritudo. Habet ardorem libido, levitatem lætitia geſtiens, humilitatem metus. Sed ægritudo majora quædam, tabem, cruciatum, afflictationem, fœditatem; lacerat, exeſt animum, planeque conficit*: immo fons eſt, & cauſa omnis incommoditatis: nihil enim eſt incommodum, nihil durum, nihil aſperum, ægritudine ac triſtitia ſublata, non paupertas, non ignominia, non exilium, non morbus, non orbitas: hæc enim omnia pungunt & cruciant dolore ac moleſtia, quæ tantum inſtrumenta ſunt ad torquendum idonea. Itaque animi ſtatus pacatus eſt & tranquillus, niſi ægritudine perturbetur.

VIII. Hæc vero non modo animum torquet vi & aculeis præſentis mali, ſed etiam futurorum metu, quæ nunquam erunt: nam qui occupatur triſtitia, is timet, ne accidant adverſa omnia, & calamitoſa, & ærumnas proſpicit, ac

Digitized by Google

damna in vita, in fortunis, ac dignitate; & inſidias, & dolos, & fallacias ſuſpicatur vel ab amicis & familiaribus, & in ſomnis etiam non aliud videt, niſi ſpectra horribilia, quibus terreatur: *adeo*, ſcribit Philemon (*apud Stobeum Serm. 99. tom. 2.*) *cum aliquis timor in animum illapſus eſt, etiam dormiendo non egreditur*. Nec vero eum oblectant, quæ repellendæ ægritudini apta videantur, ſed fugit læta, ſequiturque contraria: odit enim hominum cœtus ac ſocietatem, ipſamque lucem, & confert ſe in ſolitudinem ac receſſum, nec admittit ſolatia ac fomenta moleſtiarum: quapropter libentius cum iis verſatur, quos eodem morbo intelligit implicari, & auget angorem, quem putat mitigari poſſe communione calamitatum.

IX. Tum moleſtia ac triſtitia animus male affectus, idemque languidus, demiſſus, abjectus deſerit virtutum officia, nec aptus eſt ad præclara facta, adminiſtrandamque rempublicam, aut gerendum magiſtratum; immo ſæpe prolabitur in peccata, in ſuſpiciones, ut dixi, in temeraria judicia, in odium, in jurgia, in maledicta, in iracundiam & rabiem, & quandoque eo venit, ut omnia plane deſperet. Tantam vero animi perturbationem non raro inſania conſecuta eſt, quam eſſe vicinam triſtitiæ, ſcriptum eſt ab Antiphone [*apud Stobeum Serm. 99. tom. 2.*] *triſtitia inſaniæ vicina mihi eſſe videtur*; & a Menandro (*cit. loc.*) *propter hanc etiam inſania oboritur multis*. *Nunc*, propoſitis remediis, *ægritudinem, ſi poſſumus, depellamus: tetra enim res eſt*, ut ſcribit Tullius (*Tuſcul. qq. lib. 3.*) & ipſe paullo ante dixi, *miſera, deteſtabilis, omni contentione, velis, ut ita dicam, remiſque fugienda*; & præterea turpis ac ſummopere vituperanda, ſaltem niſi eſt ejus generis, quæ naturæ cum ſit, abjici omni ex parte non poteſt, quamquam & hæc virtute, & prudentia continenda eſt, ne longius excurrat.

X. Illud vero primum eſt generale remedium cohibere cupiditatem, & non niſi id appetere, quod in noſtra eſt poteſtate; in noſtra autem poteſtate ſunt tantum opera & facta, non opes & facultates, non oblectationes, non gloria, non magiſtratus, non valetudo, non vita, nec noſtra, nec liberorum, aut parentum, aut amicorum, aut familiarium, ut dixi alio in loco (*lib. 1. cap. 13. & ſeqq.*) & ſcribit Epi-

Digitized by Google

Epictetus (*in Manual. cap.* 1.) Itaque qui propendet tantum in virtutes & benefacta, is moleſtiam non capit ex amiſſione rerum aliarum; nec dolet iccirco, quod his caret.

XI. Cum vero, ut vidimus, ea moleſta ſint, quæ accidunt contra voluntatem, ſi nihil quæras, nihil velis, nihil appetas, niſi quod in tua poteſtate ſit, nec poſſit eripi, nihil erit moleſtum, grave, triſte, calamitoſum. Poteſt autem magnus animus omnia fere pro nihilo ducere, præter virtutem, ideoque beate vivere. *Expergiſcere*, ait M. Antoninus Philoſophus, idemque imperator (*Eorum, quæ ad ſeipſum lib.* 6. *n.* 31.) *teque revoca, & ſomno excuſſo, ubi intellexeris, ſomnia mera fuiſſe, quæ te conturbant, iſta vigilans jam denuo intuere, quomodo illa es intuitus, quæ in ſomnis vidiſti*. Et ſtatim (*cit. loc. num.* 32.) pergit dicere, *omnia præter opera, nobis eſſe ἀδιάφορα, hoc eſt, nec bona, nec mala: ex corpuſculo*, inquit, *atque anima conſto*. Corpuſculo indifferentia ſunt omnia: neque enim res diſtinguere novit. Menti vero indifferentia ſunt, quæcumque non ſunt peculiaria ejuſdem opera. Quot vero ſunt peculiaria ejuſdem opera, hæc omnia in poteſtate ſua ſita habet, & ex his etiam ea ſola ad eam pertinent, quæ circa id, quod in manibus jam eſt, verſantur.

XII. Quo efficitur, ſublata opinione, tolli triſtitiam, quæ fere ab opinione naſcitur, non ab rerum natura, quæ per ſeſe aut moleſtiam animo inferre poſſunt, aut ſecus, ut varia eſt animi comparatio & ſententia; & alios quidem ſauciant, lacerant, vexant, eiſque ſtimulos admovent, alios ne attingunt quidem, aut certe leviter: nam ægrum animum, mollem, tenerum dolore afficiunt intolerabili; at bene valenti, & forti, & valido non modo non nocent, ſed & aliquando addunt alacritatem: non res igitur moleſta eſt, at opinio, ut & ſcribit Tullius (*Tuſcul. qq. lib.* 3.) *proprie*, inquit, *ut ægrotatio in corpore, ſic ægritudo in animo nomen habet non ſejunctum a dolore; doloris igitur hujus origo nobis explicanda eſt, ideſt, cauſa efficiens ægritudinem in animo, tamquam ægrotationem in corpore: nam ut medici, cauſa morbi inventa, curationem eſſe inventam putant; ſic nos, cauſa ægritudinis reperta, medendi facultatem reperiemus. Eſt igitur cauſa omnis in opinione, neque vero ægritudinis ſolum, ſed etiam reliquarum omnium perturbationum*. Quod & ſentit Antoninus

[eo-

Digitized by Google

(*Eorum, quæ ad ſeipſum lib.8. num.47.*) *ſi qua te angit res externa, non eſt ea ipſa, quæ moleſtiam faceſſit tibi, ſed tuum ipſius de ea re judicium. Hoc autem ſtatim delere in te ſitum eſt.* Et rurſus (*lib.9. num.13.*) *hodie moleſtia me omni exemi, vel potius moleſtiam a me omnem abjeci: neque enim extra, ſed intra me in opinione mea exiſtebat.*

XIII. Nihilominus cum indolentia probanda non ſit, & ſuperba gloriatio Stoicorum, moderatus mœror vel in publica calamitate, vel in acerbo & intempeſtivo eorum interitu, qui cari eſſe debeant, ut parentum, ut liberorum, vel in aliquo alio gravi caſu non vituperatur, ſed laudatur etiam: eſt enim non opinionis, ſed naturæ, ut a Plutarcho traditum eſt (*de Conſolatione ad Apollonium*) non levitatis proprium, ſed humanitatis. Itaque ratio præſcripſit, ut, cum juſtæ incidunt cauſæ, ſapiens nec ſentiat nullum animi motum, nec nimium: alterum enim efferati ac duri animi eſt; alterum effeminati ac levis; & utrumque in vitio. Iccirco, ut in lætitia, ita in triſtitia & dolore tenere oportet mediocritatem, nec unquam committere, ut quid facias conſtantiæ & gravitati contrarium: eſt illud pulchre dictum (*apud Plutarchum cit. loc.*)

Nec ulla res tam proſpera accidat tibi,
Ducas ob hanc juſto ut majores ſpiritus;
Adverſa rurſus animum haud dejiciant tuum,
Fac ſemper idem ſis, ubique firmiter
Naturam, ut aurum in ignibus ſervans tuam.

Profecto magis decet alienis calamitatibus permoveri, quam propriis: in his enim toleranter & alacriter perferendis conſtantia cernitur, & animi magnitudo, humanarumque rerum deſpicientia; illas autem qui ſentit cum modo, miſericordiam, humanitatemque præſefert, quod ponitur in virtute. At ſunt, qui in eo vehementer errent, quod putant, oportere, rectum eſſe, ad officium pertinere ferre illud ægerrime, quod acciderit, & *tum denique*, ait Tullius (*Tuſcul. qq. lib.3.*) *efficitur illa gravis ægritudinis perturbatio.* Ex qua opinione ſunt varia & deteſtabilia genera lugendi propria maxime feminarum, & eorum, qui feminæ ſunt non natura, ſed animo.

Digitized by Google

XIV. Videndum ergo, ne triſtitia, quod plerumque fieri ſolet, ut ſcribit Carteſius (*de Paſſion. part. 2. art. 138.*) nos in errorem inducat, & malum, quod levius eſt, menti objiciat ut gravius, vel ut malum, quod bonum eſt: nam ſæpe, ut dixi, non res in ſeſe moleſta eſt, ſed opinio & judicium magni præſentis, atque urgentis mali. Certe carere opibus & divitiis, honoribus, voluptate, quæ ſenſu percipitur, oblectamentis, aliiſque generis ejuſdem, ſæpe in bonis eſt, non in malis, aut ſaltem malum eſt, quod tolerari facile poteſt a ſapiente, & fortaſſe haberi felicitatis loco. Audiamus Antoninum (*Eorum, quæ ad ſeipſum lib 4. n.49.*) *infelicem me*, inquit ille (ſic enim inducit aliquem dicentem) *quod mihi iſtud contigerit. Immo felicem me, quod etiamſi contigerit, nil doleam tamen, nec aut præſentibus frangar, aut futura reformidem: accidere enim ejuſmodi quid cuivis poterat: at non quivis contra animi ægritudinem caſum ejuſmodi tuliſſet. Quamobrem ergo illud infelicitatis potius, quam felicitatis iſtud loco habetur?* Et paullo poſt: *memineris deinceps quoties inciderit quidpiam, quod ad triſtitiam impellat te, decreto hoc uti: non eſt infelix caſus iſte; ſed fortiter ferre, hoc felicitatis eſt.* Vnde hoc aliud exiſtit conſolationis genus, quod res adverſæ, ſi quid eripiunt, multo amplius quidpiam largiuntur ſapienti; hoc eſt, cauſa ſunt, cur in præclariſſimis virtutibus ſeſe exerceat, in patientia, in conſtantia, in fortitudine, in magnanimitate, in modeſtia; tum ex alia parte ei nihil eripiant, quod magni faciendum videatur. *Numquid caſus ullus*, pergit Antoninus (*cit. loc.*) *prohibeat, te juſtum eſſe, magnanimum, temperantem, prudentem, aſſentiendi temeritate, errore immunem, modeſtum, liberum, aut aliud quidpiam eorum, quæ ubi adfuerint, natura humana ſua obtinet univerſa?* Ut igitur in hoſtium incurſione fortiſſimi duces, quicquid eſt in militia validum & robuſtum, colligunt, & tunc maxime oſtendunt, quid valeant virtute ac prudentia; ita ſapientes non ſinunt mœſtitia ac timore ſe confici, ſed adverſis rebus opponunt conſtantiam, fortitudinem, tolerantiam, aliaſque virtutes, & eas excitant, ſi forte dormiant, & non modo animo non deficiunt, ſed eriguntur; præſertim cum ſciant, in vita quaſdam eſſe bonorum, ac malorum viciſſitudines, ut in mari procellæ, & tranquillita-

tis

Digitized by Google

tis, & in utriſque ſervandum modum. In quam rem hæc extant apud Plutarchum (*de Conſolatione ad Apollonium*)

Non vivit, omnia cui contingant proſpera:
Quod oportet, haud efficies, ut ſit non opus.

Porro quæ naturæ neceſſitate patimur, ea modice ferenda ſunt, & ſi fieri poteſt, ſine triſtitia.

XV. Ad modum tuendum in hac affectione valet etiam plurimum eorum conſuetudo, qui forti, magnoque animo ſunt, nec franguntur adverſis, nec triſtitia perturbantur. Contra fugiendi ſunt inertes homines, & triſtes, & anxii: cum aliis enim, quibuſcum verſantur, morbum communicant ſuum moleſtiarum narratione, & querimoniis. Nec fere utile eſt, aut decorum de propriis aut animi aut corporis calamitatibus & ærumnis loqui. *Ego cum decumberem*, inquit Epicurus (*apud Antoninum, Eorum, quæ ad ſeipſum lib. 9. num. 41.*) *non de corporis affectionibus cum eis, qui inviſebant me, colloquia habebam, nec iſtiuſmodi ſermonibus illos adloquebar; verum eis, quæ circa rerum naturam prius meditatus fueram, diſſerebam; atque in hoc præcipue incumbebam, quo mens, etiamſi motuum in corpuſculo iſtiuſmodi particeps, imperturbata conſiſteret, bonumque ſuum retineret.* Tum pergit Antoninus: *eadem tu, quæ ille, ſive in morbo, ſive in alio quovis caſu adverſo feceris.* Prodeſt etiam uti familiaritate amicorum, qui apto, lepidoque ſermone ſtudeant curam ac moleſtiam abſtergere, ut Æſchiles ait (*in Prometheo victo apud Plutarchum de Conſolatione ad Apollonium*)

Oratio ſaucii namque animi eſt remedium,
Si quis ſuo cor ægrum tempore molliat.

& Euripides (*apud Plutarchum cit. loc.*)

Dolentem amici ſermo benignus ſublevat.

XVI. Eſt ſimiliter quadam animi remiſſione ſublevanda ægritudo, ut aperto & ſereno Cælo, pratorum viriditate, amœnitate camporum, aliiſque oblectamentis aurium, &

& oculorum, occupationibus, & a contuendis malis, mentis avocatione, quæ tamen ferre nulla poteſt eſſe, niſi mali opinio ſenſim tollatur, aut minuatur: *non eſt enim in noſtra poteſtate*, ait Tullius (*Tuſcul. qq. lib. 3.*) *fodicantibus iis rebus, quas malas eſſe opinemur, diſſimulatio, vel oblivio*. Ad hæc his dabit operam, ut ſuſceptam moleſtiam mitiget, aut tollat omnino, qui ſecum reputet, gravius malum eſſe, moleſtiam, luctum, angorem, triſtitiam, ægritudinem, quam ſit illud, propter quod in ægritudine eſt; tum quod hæc fere turpis eſt, tum quod acerba & pernicioſa, hæretque penitus in animo; cum res, quibus efficitur, extra ſint. *Cogita*, ait Antoninus (*Eorum, quæ ad ſeipſum lib. 11. num. 18.*) *quanto graviora patiamur ex iracundia, ac mæſtitia, quam de iſtis concipimus, quam ex iis ipſis, quorum cauſa ſuccenſemus, & angimur*. Accedit, quod repelli non poteſt mœrore, immo augetur malum. Quis ergo velit incommodum alio graviore incommodo cumulare? *Indignum cenſeo*, ait Antoninus (*Eorum, quæ ad ſeipſum lib. 8. num. 42.*) *ut me ipſe vexem, qui neminem unquam volens vexarim.*

XVII. Mala quidem extenuanda ſunt, quoad fieri poteſt, non exaggeranda; igitur triſtitiam, quippequæ in malis eſt, oportet aut tollere, aut, cum id non licet, mitigare (*vid. Plutarchum de Conſolat. ad Apollonium*) præſertim cum ſublata triſtitia, & ab rebus ipſis, quicquid mali eſt, amputetur, ut ſupra dixi: omnis enim incommoditas a triſtitia eſt, non ab rebus. At ſunt nonnulli, qui moleſtiarum cauſas, quæ longe abſint, ad ſe advocare, & quaſi captare videantur: quoniam ſcrutantur omnia curioſius, rumores excipiunt, & cum multa temere & dicant, & faciant, imprudentia, & levitate, & inſolentia curas aucupantur. His, quippequi judicio carent, non a philoſophia, ſed ab helleboro medicina quærenda eſt; niſi forte quis bacillum morbo aptiorem putet. Quanto melius Antoninus; *ego*, inquit (*Eorum, quæ ad ſeipſum lib. 6. num. 22.*) *quod mei eſt officii, exequor; reliqua me neutiquam ſollicitum habent.*

XVIII. Verum præſtantiſſimum remedium contra triſtitiam, ſine quo reliqua aut parum, aut nihil arbitror profutura, eſt recta ac præclara conſcientia, qua viri boni ſuſtentantur etiam in ſummis calamitatibus, præſertim propoſi-

ſita ſpe futuri boni; *& dolor corporis*, ſcribit Tullius [*Tuſcul. qq. lib.* 3.] *cujus eſt morſus acerrimus, perfertur ſpe propoſita boni, & acta ætas honeſte & ſplendide tantam affert conſolationem, ut eos, qui ita vixerint, aut non attingat ægritudo, aut perleviter pungat animi dolor*. Profecto magna eſt conſolatio, animum & integrum, & incolumem, & purum eſſe, nec ulla ex parte contaminatum, & brevi fore moleſtiarum finem, quas merces uberrima conſequatur. *In dolore omni*, ait Antoninus (*Eorum, quæ ad ſeipſum lib.* 7. *num.* 64.) *hoc præſto ſit, nec turpem eum eſſe, nec mentem gubernatricem facere deteriorem. In pleriſque vero horum Epicuri illud tibi adſit, nec intolerandum, nec æternum eſſe, ſi terminorum memor fueris, nec opinionem adjeceris*. Et alio in loco (*lib* 8. *num.* 43.) *Alia oblectant alios. Me vero, ſi mentem ſanam habuerim, quæ nec hominem quemquam, aut hominum quidquam averſetur, ſed quidquid obvenit, oculo benigno aſpiciat, accipiatque, & pro ſui exiſtimatione ſingulis utatur*. Scribit rurſus (*lib.* 10. *num.* 35.) mentis eſſe ſanæ non angi.

XIX. Huc accedit aliud, & ſummum quidem in malis ſolatium, quod in bonos viros maxime cadit, hoc eſt, Dei voluntas, qui parens eſt optimus, atque amantiſſimus, & nunquam deſerit ſuos, immo tuetur & protegit. Quantum in hoc eſſet præſidii vidit idem Antoninus (*Eorum, quæ ad ſeipſum lib.* 8. *num.* 23.) *contingit mihi quidquam? ita excipio, ut ad Deos referam, fontemque rerum omnium; a quo quæcumque fiunt, ordine præſtituto derivantur*. Et rurſus (*cit. loc. lib.* 10. *num.* 5.) *quidquid tibi contingit, ab æterno deſtinatum eſt tibi*. Et paullo poſt (*num.* 14.) *cuncta danti pariter, ac recipienti naturæ homo probe inſtitutus, ac modeſtus dicet: da quod vis, repete, quod vis. Nec elatus hoc dicet, ſed obſequens tantum, & benevolo adverſus eam affectu*. Quamobrem qui angitur propter id, quod a mundi rectore conſtitutum eſt, eum fugitivum vocat Antoninus (*cit. loc. num.* 25.) *Qui dominum fugit*, inquit, *fugitivus eſt. Dominus autem eſt lex. Ergo qui legem tranſgreditur, fugitivus eſt. Idem eſt & qui ideo angitur, vel iraſcitur, vel metuit, quod ſecus, quam ipſe velit, aut factum ſit, aut fiat, aut futurum ſit eorum quidpiam, quæ ab univerſi rectore ſunt conſtituta, qui eſt ipſe lex, unicuique quod ſuum eſt, tribuens. Fugitivus eſt igitur,*

qui

Digitized by Google

qui metuit, *vel angitur*, *vel iraſcitur*. Huc multa alia refe- runtur, quæ ſupra dixi, cum de patientia diſputarem (*lib.3. part.4. cap.8.*)

XX. Cæterum non deſunt remedia ſingulis triſtitiæ cauſis accommodata. Eorum plura præſcribit Antoninus; ut illud contra triſtitiam, quæ ex ingenii naſcitur tarditate, hoc eſt, nihil impedire, quominus vir probus ſis, cum eruditus & doctus eſſe non poſſis: *acumen*, inquit (*Eorum*, *quæ ad ſeipſum lib.5. num.5.*) *tibi non eſt*, *quod ſit admirationi cuiquam*. *Multa tamen ſunt alia*, *de quibus dicere nequeas*, *non eſſe te ad ea aptum natum*. *Hæc itaque præſta*, *quæ in te omnino ſunt ſita*, *animum ſincerum*, *gravem*, *laborum tolerantem*, *voluptatum abſtinentem*, *ſorte contentum*, *paucorum indigum*, *mitem*, *liberum*, *luxu alienum*, *ſerium*, *ſublimem*. *An non intelligis*, *quammulta præſtare jam poſſis*, *ad quæ quin habilis ſis & aptus*, *nihil eſt quod cauſſere*; *infra hæc tamen ſponte perſiſtis?* Hæc vero ſunt maxima, cum doctrina, niſi ad morum probitatem, ac beatam vitam referatur, ne utilis quidem ſit, immo plerumque perniciosa. Quamobrem Franciſcus Petrarcha obtrectatori ſuo, qui eſſe eum dixerat bonum virum, at illiteratum tamen, reſpondet (*in Opuſc. de ignorantia ſui ipſius*, *& multorum*) ſibi id negari, quod parum eſt, tribui, quod maximum.

XXI. Contra triſtitiam, cujus efficiens ſit accepta injuria, hoc teneas, eam animo non nocere. *Diris te devovent*, ſcribit Antoninus (*Eorum*, *quæ ad ſeipſum lib.8. num.51.*) *quid hæc obſtant*, *quominus mentem ſerves puram*, *prudentem*, *ſobriam*, *juſtam? quemadmodum ſi quis fonti adſtans limpido ac dulci conviciis eum inceſſerit*; *at ille nihilominus laticem potui accommodatum fundere non ceſſat*; *quin etſi lutum quis*, *fimumque injecerit*, *diſperget cito*, *diluetque eum*, *nec inquinabitur*. *Quomodo ergo fieri poteſt*, *ut fontem in te*, *non puteum habeas?*

XXII. Si triſtitia ex eo ſit, quod alii ſunt improbi aut ſibi, aut communitati, hoc cogita, malos homines eſſe oportere, qui aut inſtituendi ſunt, ſi admittant admonitorem, aut ferendi. Audi Antoninum (*Eorum*, *quæ ad ſeipſum lib.8. num.59.*) *Homines alter alterius cauſa nati ſumus*; *itaque aut doce*, *aut ſuſtine*. Quid vero ſi quis vitiis ſuis non doleat, ſed alienis?

Cer-

Certe *ridiculum eſt* (*Antoninus Eorum, quæ ad ſeipſum lib.7. num.71.) malitiam quam tuam, quod potes, non effugias, fugere te velle, quod non potes, alienam.*

XXIII. Multo facilius repelli poteſt frivola, & inſana eorum triſtitia, qui dolent amiſſis oblectamentis & voluptatibus, ut ludis, ut ſpectaculis, ut conviviis: hæc enim, quippe quæ bona non ſunt, aut certe inania, appetere inſipientis eſt, & male abutentis otio & tempore: *neminem virum bonum*, ait Antoninus [*Eorum, quæ ad ſeipſum lib.8. num. 10.) probumque pœnituerit, quod voluptatem unquam ullam omiſerit; neque utile itaque, neque bonum voluptas eſt.*

XXIV. Sunt, qui propterea incidant in triſtitiam, quod vident, impedimentum objici conſiliis ſuis, & propoſito voluntatis. Qui eam ob cauſam in mœrore ſunt, ii primum culpam ipſi in ſe conferant, quod, quæ contingere aut ſolent, aut poſſunt, ea non providerint: *aliquid molienti tibi obſtitit quidpiam?* rurſus ſcribit Antoninus [*Eorum, quæ ad ſeipſum lib.8. num.41.*] *ſi citra exceptionem moliebaris, jam tuum, qua rationalis, malum eſt. At ſi id, quod communiter fieri ſolet, tibi proponebas, nondum aut læſus es, aut impeditus etiam.* Tum ſeſe tranquille ad alia ſtudia convertant, quæ certe, ſi velint, æque ad mores & vitam conferent. Hæc eadem Antonini præceptio eſt: *alicujus facultatis*, inquit, *fortaſſis effectus impeditur? atqui dum impedimentum ipſum placide fers, & ad id, quod datur, æquo animo transfers, alia ſtatim prioris vice actio emergit, quæ ad earum, de qua ſermo inſtituitur, vitæ compoſitionem non minus apte conducat.* Quod monitum datum eſt etiam a Seneca (*de Tranquillit. animi cap.14.*)

XXV. Contra vero triſtitiam, cujus fons & origo ſunt perverſa hominum judicia, id præcipit Antoninus (*Eorum, quæ ad ſeipſum lib.9. num.18.*) *mentes hominum penitus introſpice, & videbis, quos judices pertimeſcas, quales etiam de ſe judices ſint.* Enimvero plura non perſequor, ne longior ſim, quam oporteat; immo videor fortaſſe nimius. Sed, ut Tullius ſcribit (*Tuſcul. qq. lib.3.*) *omnibus modis fulciendi ſunt, qui ruunt, nec cohærere poſſunt propter magnitudinem ægritudinis.* Multa cum ſint præſcripta remedia, aut ad mitigandum morbum valebunt omnia, aut quiſque, ſi uti nolit hac copia, opportuniſſima expendet ac ſeliget.

XXVI.

Digitized by Google

XXVI. De lacrymis, quæ ſæpe triſtitiam comitantur, nihil hoc loco dicendum arbitror; illæ quidem fere propriæ ſunt puerorum ac feminarum: incidunt tamen cauſæ, cur & virum deceant: quamobrem recte adhibentur ad declarandum, nos affici miſericordia alienæ magnæ calamitatis, in quo non mediocris vis ineſt ad conciliationem animorum, mutuamque benevolentiam, & caritatem. Valent etiam plurimum ad pœnitendum propter malefacta & ſcelera vitæ ſuperioris. Nec is reprehendendus, qui cum modo in interitu, aut clade chariſſimorum lacrymetur: in quo extat animi quædam mollitudo, ut ita dicam, & ſenſus humanitatis. At flere propter jacturam fortunarum, aliaſque res generis ejuſdem turpe eſt, nec fortem virum decet.

Digitized by Google

ETHICORUM
LIBER V.

De Mutuis Officiis.

I. SI quæ ſuperioribus libris complexi ſumus, ea probe animo percepta ſint, & penitus inſederint in memoria, atque ad actiones ſingulas, ut oportet, accommodentur, duce prudentia, videri poteſt minime neceſſarium de Officiis præcepta tradere: qui enim ſummum bonum ſibi propoſitum habet, ad quod omnia referantur, qui virtutes ſectatur, declinatque vitia contraria, & continet perturbationum temeritatem, is certe non prætermittet officia. Nihilominus quoniam omnes non ea ſolertia præditi ſunt, ut facile quæ ad cujuſque inſtitutum, ac ſuſceptæ vitæ genus & conditionem pertinent, ex traditis præceptionibus eliciat, exprimatque ipſe per ſe, viſum eſt mihi opportunum ac fructuoſum fore, ſi de officiis hoc poſtremo loco pauca dicam, quæ unum in locum

collecta ante oculos habere poſſit is, cui ad vitæ uſum, & hominum ſocietatem hæc, quæ traduntur, nonnihil conferre poſſe videantur.

II. Verum officia ſingulorum in ſingulos perſequi nec licet; quoniam id fere infinitum eſt, nec oportet; cum multis hominum generibus eadem ſint morum præcepta communia. Itaque præcipua quæ ſunt, & in frequenti uſu poſita, & ad certum vitæ genus & inſtitutum, quod late patet, & multis convenit, accommodata, hæc attingam. Alia reconditiora, & difficultatibus implicata, de quibus a præclaris ſcriptoribus ſubtiliter, copioſeque diſputatum eſt, prætereo.

III. Eſt autem officium id omne, quod quemque facere aut oportet, aut decet. Oportet quidem, cum aliquid faciendum eſt aut jure naturæ, aut gentium, aut legitimo. Hujus generis officia ſunt Deum venerari, neminem lædere, manere conditione atque pacto, ſi quid eſt factum damni, id reſarcire. Decet autem, cum non lex impellit ad faciendum aliquid, ſed virtus, ut miſericordia, ut benevolentia, ut humanitas, ut prudentia; quale eſt indigentibus ſubvenire, cum non eæ incidunt cauſæ, quamobrem debeas omnino, petenti libenter beneficium dare, cum poſſis, errantibus viam monſtrare, conſilio dubios animos, & rerum ſuarum incertos juvare, atque alia horum ſimilia.

IV. Enimvero officia vel ad Deum, vel ad nos ipſos, vel ad homines referuntur, in quorum ſocietate vivimus. Itaque de his dicam hoc loco. Et quoniam officia in Deum omnia ex ejus natura ducenda ſunt, quæ ſumma, præſtantiſſimaque cum ſit, quicquid pulchri, eximii, perfecti, ac tandem boni eſſe, aut excogitari poteſt, complexu continet ſuo; iccirco opportunum arbitror ea paucis explicare, ex quibus ipſa eadem in Deum officia proficiſcuntur, ne videar domum ædificare non poſito fundamento, quo illa nitatur. Nec tamen diſputabo ſubtilius, ut metaphyſici ſolent, ſed utar ſermone populari, ac ſequar rationem ducem, ut nemo ſit, qui dictis repugnare ullo modo poſſit, ſi ſapiat, ac ſaltem ad rationis ductum ſe applicet, quæ data eſt omnibus.

PARS I.

P A R S I.

De Officiis in Deum.

I. QUoniam Deo omnia debentur officia, quæ enumerando non licet conſequi; ne longior oratio ſit, quam oporteat, quædam paucis complectar, ad quæ cætera revocari poſſe videantur. Illud autem arctiſſime tenendum eſt, & in mentem penitus infigendum, ab officiis in Deum noſtram omnem pendere felicitatem cum animi, tum corporis, cum in terris, tum poſt obitum ſempiternam: nam ut Deus eos diligit & tuetur, remuneratque largiſſime, quorum eſt ſancta religio; ita qui contempta religione, officia in Deum prætermittunt, graviſſime puniuntur etiam infamia, egeſtate, morbis, interitu acerbo ac violento; ac non modo ipſi ſe perdunt, ſed & ſæpe rempublicam, quæ certe, ut eorum imperiis amplificatur, qui religioni parent, & Deo pium cultum adhibent; ita eamdem labefactari & everti funditus, compertum eſt, præſertim ſi officia in Deum ii negligant, qui obtinent principatum, ut paſſim teſtantur hiſtoriæ, & experientia confirmat pene quotidiana.

CAPUT I.

Primum Officium in Deum eſt credere Deum eſſe.

I. HOc quidem, ut liquet, fundamentum eſt officiorum, de quibus hoc loco quæritur; hoc eſt, de Deo immortali habere non errantem & dubiam, ut ſæpe improbi ac ſtulti, ſed ut ſapientes & boni, ſtabilem, certamque ſententiam; etenim quænam poteſt eſſe de re tam certa, tamque perſpicua addubitandi cauſa; cum ubique ſeſe ita proferat, oſtendatque divinitas, ut qui hanc non cernit, rationis expers omnino ſit judicandus; quemadmodum is cæcus eſt, qui ſolis lumen non videat, nec lunæ, nec ſyderum ſereno Cælo: quandoquidem ut omittam cætera, cum opera magnifica, atque præclara, Cælum, & terras, atque horum membra videamus, ſuſpicari poſſumus, nullam eſſe, quæ hæc fecerit, excellentem, præſtantemque naturam? Sapienter ergo Ariſtoteles, ut ſcribit Tullius (*lib. 2. de Nat. Deorum*) *ſi eſſent*, inquit, *qui ſub terra ſemper habitaviſſent, bonis, & illuſtribus domiciliis, quæ eſſent ornata ſignis atque picturis, inſtructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exiiſſent unquam ſupra terram; accepiſſent autem fama, & auditione, eſſe quoddam numen, & vim Deorum; deinde aliquo tempore, patefactis terræ faucibus, ex illis abditis ſedibus evadere in hæc loca, quæ nos incolimus, atque exire potuiſſent; cum repente terram, & maria, cælumque vidiſſent; nubium magnitudinem, ventorumque vim cognoviſſent, adſpexiſſentque ſolem, ejuſque tum magnitudinem, pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognoviſſent, quod is diem efficeret, toto Cælo luce diffuſa: cum autem terram nox opacaſſet, tum Cælum totum cernerent aſtris diſtinctum, & ornatum, lunæque luminum varietatem tum creſcentis, tum ſeneſcentis, eorumque omnium ortus, & occaſus, atque in omni æternitate ratos immutabileſque curſus: hæc cum*

vide-

Digitized by Google

viderent, profecto & eſſe Deos, & hæc tanta opera Deorum eſſe arbitrarentur. Sed divina opera tanto verborum ornatu, tanta venuſtate, atque elegantia identidem deſcribit Tullius in tribus libris de natura Deorum, ut vix quidpiam aut uberius, aut melius dici potuiſſe videatur, præſertim ut ferebant ea tempora, quibus minus evoluta eſſet ac explicata rerum phyſicarum natura & ratio.

II. Sed prætereunda non videtur eſſe admirabilis illa terræ deſcriptio, & plena jucunditatis & gratiæ: *principio*, inquit, (*lib. 2. de Nat. Deorum*) *terra univerſa cernatur, locata in media mundi ſede, ſolida, & globoſa, & undique ipſa in ſeſe nutibus ſuis conglobata, veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus: quorum omnium incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum veſtitus viridiſſimos, ſpeluncarum concavas altitudines, ſaxorum aſperitates, impendentium montium altitudines, immenſitateſque camporum: adde etiam reconditas auri, argentique venas, infinitamque vim marmoris. Quæ vero, & quam varia genera beſtiarum vel cicurum, vel ferarum? qui volucrum lapſus, atque cantus? qui pecudum paſtus? quæ vita ſilveſtrium? Quid jam de hominum genere dicam? qui quaſi cultores terræ conſtituti, non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferari, nec ſtirpium aſperitate vaſtari: quorumque operibus agri, inſulæ, litoraque collucent, diſtincta tectis, & urbibus. Quæ ſi ut animis, ſic oculis videre poſſemus, nemo cunctam intuens terram de divina ratione dubitaret. At vero quanta maris eſt pulchritudo? quæ ſpecies univerſi? quæ multitudo, & varietas inſularum? quæ amœnitates orarum, & litorum? quot genera, quamque diſparia partim ſubmerſarum, partim fluitantium, & innantium belluarum, partim ad ſaxa nativis teſtis inhærentium? Ipſum autem mare ſic terram appetens litoribus claudit* (alias *eludit*, vel *alludit*) *ut una ex duabus naturis conflata videatur*.

III. Quæ vero a terra gignuntur, quam multa ſunt, quam varia, quam apta ad uſum cum hominum, tum belluarum? ut ſtirpes, & plantæ, ut herbæ, ut glandes, ut olera, ut fructus & fruges? quorum omnium & magna copia eſt, & mira ac jucunda diſtinctio. Quot item animantium genera, & volatilium, & aquatilium, & terrenorum?

Eo.

Eorum generum jampridem ſex millia ſaltem a philoſophis numerata ſunt, ut ſcribit Robertus Boyleus in libello, qui inſcribitur (*Summa veneratio Deo debita ab humano intellectu*) At quam multa nobis ubique gentium erunt minus cognita, atque perſpecta? præſertim cum plurimæ beſtiolæ ſint tam minutæ, ut ne oculis quidem cerni queant; in quibus tamen ſumma ineſt perfectio, & ſæpe major, quam vel in leone, vel in equo, vel in elephante, aliiſque generis ejuſdem: nam abſolutiſſima partium diſtinctio, & configuratio in re minima exquiſitiſſimæ artis eſt, præſtantiſſimæque ſapientiæ. In ſingulis vero animantium figuris ſolers quædam ineſt, ſubtiliſque deſcriptio partium, atque admirabilis & divina fabrica membrorum; in homine in primis, atque ea pro varietate animalium varia eſt, itaque ad peculiares uſus accommodata, ut nihil omnino vel addi poſſit, vel detrahi: *omnia enim*, ait Tullius (*lib. 2. de Nat. Deorum*) *quæ quidem intus incluſa ſunt, ita nata, atque ita locata ſunt, ut nihil eorum ſupervacaneum ſit, nihil ad vitam retinendam non neceſſarium.* Nullum animal eſt, cui aptiſſima data non ſint inſtrumenta ad capeſſendum cibum: nam animalia partim dentibus, partim unguium tenacitate cibum arripiunt, partim aduncitate roſtrorum, alia ſugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. Aves, quæ terreſtri pabulo utuntur, ut facile adhæreſcant ad corpora, aduncis unguibus inſtructæ ſunt; ſolidis vero, acutiſque eæ, quæ rapto vivunt, ut prædam teneant, diſcerpant ac diſtrahant. Si cui vis deeſt ad conſulendum vitæ neceſſitatibus, ei a natura tributa eſt fraus, machinatio quædam, atque ſolertia, V. C. araneolis, quæ rete texunt, ut ſi quid inhæſerit, conficiant. At videar facere inepte, qui velim in tanta rerum affluentia tam pauca dicere, ut præſtet ſilere, quam jejuna, exilique oratione, ac fere nulla præclarorum operum, quæ in terra ſunt, magnitudini, excellentiæque detrahere.

IV. Quid vero, quod terra hæc, quam incolimus, quamquam latiſſime patere videatur, pars eſt totius univerſitatis minima: nam & a ſole, & a ſtellis, ut philoſophi, & mathematici docent, multis partibus ſuperatur. Cum vero ſtellæ inerrantes innumeræ ſint, atque eæ permultæ, quas nunquam ex hoc loco vidimus, atque inter ſingulas immenſa

quæ-

Digitized by Google

quædam ſpatia interjecta ſint, quanta futura eſt moles, quam concludit extrema mundi ora & determinatio? Quanta vero cum ſtellæ errantes, tum inerrantes celeritate circum terram cieantur (ſic enim moveri aſtra arbitramur) vix licet aſſequi cogitando. Qua de re legendi ſunt ii, qui in rebus aſtronomicis accurate verſantur [*vid. Robertum Boyle in Libel. cui titulus: Summa veneratio Deo debita ab humano intell.*] Sed licet quis admittat minimam omnium celeritatem, qualem probant Copernicani; tamen & hæc mira eſt quodammodo: ſi enim terra, cujus peripheria, quæ a medio remotiſſima eſt, 26., aut 27. continet millia paſſuum, ut mathematicis placet, 24. horarum intervallo circum axem moveatur ſuum rotæ inſtar, ſingulis minutis ſecundis, quæ vocant, ſpatium conficiat, neceſſe eſt, mille, & ducentorum pedum. Quis autem eo veniat dementiæ, ut putet, hæc tanta opera, tam magnifica, tam præclara ſine cauſa effici potuiſſe? *Omne . . . . quod gignitur*, ait Tullius (*de Univ. rſ.*) *ex aliqua cauſa gigni neceſſe eſt: nullius enim rei, cauſa remota, reperiri origo poteſt*. Porro quæ alia poteſt eſſe cauſa, niſi Deus; id videlicet, quo nihil melius, aut majus eſſe, aut excogitari poſſit; quod quidem ſit oportet ipſum per ſe, ne, ſi ab alio dicatur eſſe, præterea quæramus, a quo ſit.

V. Profecto ridiculum eſt quamdam ſomniare cauſarum infinitatem, quarum aliæ ab aliis profectæ ſint continuatione ſempiterna: ex quo effici volunt Athei primam cauſam reperiri nunquam poſſe; iccircoque eſſe plane nullam. Sed hominum ſtultitiam attendite: nam primum temere, & ſine ratione fingunt cauſarum quamdam infinitatem, quæ nulla eſt; cum dubitari non poſſit, quin mundus conditus ſit certo tempore. Deinde eſto quædam ſit ſeries infinita rerum, quarum aliæ ab aliis naſcantur, quæro an in mirabili continuatione, ſerieque illa ſit res aliqua, quæ a nulla exiſtat, ſitque efficiens cauſa cæterarum, an ſecus. Si ajunt; igitur exiſtit Deus, quem primam, ſupremamque cauſam, mentemque eſſe volumus. Si negant, & illud ſequitur, tot tantaſque res eſſe, quarum nulla eſt cauſa; quo quid magis abſurdum ac repugnans dici queat, non video.

VI. Nec minus ridenda eſt Epicureorum ſententia, qui in caſum, concurſionemve atomorum fortuitam mundi fabricam

cam

cam referre malunt, & inſanire cum paucis, quam in præcellentem naturam atque mentem, & ſapere ac recte judicare cum omnibus. *Hic ego non mirer*, ſcribit Tullius (*lib. 2. de Nat. Deorum*) *eſſe quemquam, qui ſibi perſuadeat, corpora quædam ſolida, atque individua vi & gravitate ferri, mundumque effici ornatiſſimum & pulcherrimum ex eorum corporum concurſione fortuita? Hæc qui exiſtimat fieri potuiſſe, non intelligo, cur non idem putet, ſi innumerabiles unius, & viginti formæ literarum, vel aureæ, vel quales libet, aliquo conjiciantur, poſſe ex his in terram excuſſis annales Ennii, ut deinceps legi poſſint, effici: quod neſcio, an ne in uno quidem verſu poſſit tantum valere fortuna . . . . Quod ſi mundum efficere poteſt concurſus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non poteſt? quæ ſunt minus operoſa, & multo quidem faciliora. Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem Cœli ornatum, qui locus eſt proximus, ſuſpexiße videantur.*

VII. Sed atomi ipſæ unde nam prodire potuerunt? a quo ſunt factæ? Tum etiamne humana mens ex his corpuſculis non ſenſu, non ratione præditis profecta eſt? Ajunt Epicurei: verum hoc multo magis incredibile eſt, quam ſi ex lapide, aut ferro vivum animal aſſerant procreari. *Illud autem*, ait Tullius (*lib. 2. de Nat. Deorum*) *quod vincit hæc omnia* (quæ ſunt in corpore) *rationem dico, & ſi placet pluribus verbis, mentem, conſilium, cogitationem, prudentiam ubi invenimus? unde ſuſtulimus?* Et alio in loco (*lib. 2. de Nat. Deor.*) *Jam vero animum ipſum, mentemque hominis, rationem, conſilium, prudentiam, qui non divina cura perfecta eſſe perſpicit, is his ipſis rebus mihi videtur carere*. Tum vero præclare deſcribit Tullius, quæ rationis ſit vis, quæ effecta, quæ opera, quam magnifica, quam prope divina; quot artes & diſciplinæ inventæ ſint partim ad vitæ uſum, partim ad oblectationem neceſſariæ.

VIII. Illud ſimiliter ſtultum eſt dicere, opinionem de Deo inventam eſſe, & in animis hominum confirmatam reipublicæ cauſa: nam quæ eſſe potuit tanta eorum calliditas, & ſolertia, qui curant res publicas, ut in omnes gentes longe, lateque diſſitas, immanes etiam, & feras eam opinionem diſſeminarent, quæ neque temporum viciſſitudine, ne-

que

que morum, ingeniorumque varietate, neque educatione nec acri ſapientum inveſtigatione, neque hominum improbitate & flagitiis unquam labefactata eſt, immo ætatibus roborata? *nulla gens eſt*, ſcribit Tullius [*lib.* 1. *de Leg.*] *neque tam immanſueta, neque tam fera, quæ non, etiamſi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat*: ita quidem, ut compertum ſit, eam notionem innatam eſſe, & cuique ingenitam a natura. *Quod niſi cognitum*, ait rurſus Tullius (*lib.* 2. *de Nat. Deor.*) *comprehenſumque animis haberemus, non tam ſtabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum ſæculis, ætatibuſque hominum inveterare potuiſſet. Etenim videmus, cæteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate extabuiſſe .... opinionum enim commenta delet dies, naturæ judicia confirmat.* Ex quo apud omnes gentes ſemper maxime valuit religio, de qua ſunt & leges plures a Romanis latæ (*apud Tullium lib.* 2. *de Leg.*) *Itaque*, pergit Tullius [*lib.* 2. *de Nat. Deor.*) *& in noſtro populo, & in cæteris Deorum cultus, religionumque ſanctitates exiſtunt in dies majores, atque meliores.* Quamobrem omnibus perſuaſum eſt, eſſe Deum, non quia hoc utile eſt reipublicæ, ſed quia verum, quia innatum, quia acceptum, hauſtumque a natura, etiamſi & utilitas certe maxima eo, quod eſſe credatur Deus, permanat in humanam ſocietatem.

IX. Nec vero aliam ob cauſam improbi conſcientia opprimuntur maleficiorum ſuorum, quamquam ſatis aut occultatione ſcelerum, aut opibus amicorum contra humanarum legum judicia ſepti ac muniti eſſe videantur. Contra boni viri conſcientia contenti recte factorum teſtes non requirunt, ſed mercedem expectant a Deo optimo; quem idcirco eſſe, conſcientia hæc, quæ magnam vim habet in utramque partem, atque ineſt in omnibus, quaſi vox naturæ, aperte convincit. Sed de his alii diſputant multo copioſius.

X. Quemadmodum vero Deum eſſe, nemini dubium eſt, qui rationem ſequitur ducem; ita eumdem eſſe unum: alios enim advocare in ſocietatem divinitatis, eſt divinam naturam tollere, evertereque funditus; quippequa nihil poteſt eſſe præſtantius: quod autem præſtantiſſimum eſt, id præeſt omnibus: ſi quis enim eſt, cui non præſit, præſtantiſſimum ac ſummum eſſe non poteſt.

Digitized by Google

XI. Et vero unum eſſe Deum, omnium fere eſt gentium, populorumque conſenſio. *In hac tanta pugna*, ait Maximus Tyrius (*Diſſ.1. num.3.*) *contentione, atque opinionum varietate, in eo leges ubique terrarum, atque opiniones convenire videbis, Deum eſſe unum, regem omnium, & patrem .... in eo Græcus cum Barbaro, mediterraneus cum inſulano, ſapiens conſentit cum ſtulto*. Alios autem, quos dicerent Deos, adminiſtros putabant eſſe ſummi Dei. Quod & Ciceroni eſt viſum, qui tot ridet, ac tam varios Deos, qui ſunt in fabulis, & explicat, qua ratione inventi, atque unde eorum ducta ſint nomina (*lib.2. de Nat. Deor.*) tum concludit: *Videtiſne igitur, ut a phyſicis rebus bene, atque utiliter inventis tractatio ſit ad commentitios & fictos Deos? quæ res genuit falſas opiniones, erroreſque turbolentos, & ſuperſtitiones pene aniles: & formæ enim nobis Deorum, & ætates, & veſtitus, ornatuſque noti ſunt: genera præterea, conjugia, cognationes, omniaque traducta ad ſimilitudinem imbecillitatis humanæ: nam & perturbatis animis inducuntur: accipimus enim Deorum cupiditates, ægritudines, iracundias: nec vero, ut fabulæ ferunt, Dii bellis, præliiſque caruerunt: nec ſolum, ut apud Homerum, cum duos exercitus contrarios alii Dii ex alia parte defenderent, ſed etiam ut cum Titanis, ut cum Gigantibus ſua propria bella geſſerunt. Hæc & dicuntur, & creduntur ſtultiſſime, & plena ſunt futilitatis, ſummæque levitatis*. Antiſthenes item in eo libro, qui *Phyſicus* inſcribitur, *populares Deos multos, naturalem unum eſſe* dixit (*apud Tullium lib. 1. de Nat. Deor.*) Quibus conſentiunt alii veteres cum philoſophi, tum poëtæ, ut Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, Orpheus, Sophocles, Heſiodus, Aratus, quorum verba a Petavio deſcripta ſunt (*tom.1. Theol. Dogm. lib.1. cap.3.*) In quam rem & multa ſcribunt Juſtinus philoſophus (*in Cohortatione ad Græcos, & in Monarchia Dei init.*) Athenagoras (*in Legat. pro Chriſtianis*) Clemens Alexandrinus [*in Admonit. ad Gentes & lib.7. Stromat.*] Lactantius [*Divin. Inſt. lib.1. cap.5.*] Euſebius (*Præparat. Evang. lib.13.*). Clariſſimus Huetius (*Demonſtr. Evang. prop.4. cap.10.*) teſtes adhibet quammultos veterum cum philoſophorum, tum poetarum, qui multiplicem Deorum turbam, qui ſunt in fabulis, unum eſſe ſentiunt, atque eumdem Deum, cui propter varia effecta

va-

varia item tributa ſint nomina. Quod & probat Seneca [*lib.* 4. *de Beneficiis cap.* 7.] ait enim: *quæcumque voles illi* (Jovi) *nomina proprie aptabis, vim aliquam effectumque cæleſtium rerum continentia. Tot appellationes ejus poſſunt eſſe, quot munera.* Itaque vere ſcriptum eſt a Paulo Oroſio (*Hiſtoriar. adv. Paganos lib.* 6. *cap.* 1.) *Et philoſophi eorum, ut de noſtris ſanctis ſileam, dum intento mentis ſtudio quærunt, ſcrutanturque omnia, unum Deum auctorem omnium repererunt, ad quem unum omnia referuntur. Unde etiam nunc Pagani, quos jam declarata veritas de contumacia magis, quam de ignorantia convincit, cum a noſtris diſcutiuntur, non ſe plures Deos ſequi, ſed ſub uno Deo magno plures miniſtros venerari fatentur. Reſtat igitur de intelligentia veri Dei per multas intelligendi ſuſpiciones confuſa diſſenſio; quia de uno Deo omnium pene una opinio eſt.* At plura addere in re latiſſime patente non eſt hujus loci.

XII. Hæc attigi eo conſilio, ut qui negat, eſſe Deum, aut dubitat, ſitne, an non ſit, is videat, quam impie, quam flagitioſe, quam etiam ſtulte peccet contra officium in Divinitatem ſeſe ingerentem in oculos omnium, in quibus non ſit cæcitas voluntaria. Quas vero pœnas daturus eſt, qui pro viribus Deum ſuſtulit, in eumque cultum omnem & religionem, ut ſine metu, ſi fieri poſſet, ſerviret cupiditati, legum quaſi moleſto onere liberatus?

CAPUT II.

Alterum Officium in Deum eſt credere, omnia ab eo providentiſſime gubernari.

I. HOc quidem officium conjunctum eſt cum ſuperiore: etenim qui Deum eſſe concedit, is fateatur neceſſe eſt, ejus conſilio ac providentia mundum adminiſtrari, ut Tullius diſputat (*lib. 1. de Nat. Deor.*) Primum quod, ut tantæ res ab alio non poſſunt effici, niſi a Deo; ita nec regi: eſt enim utrumque infinitæ cujuſdam cum potentiæ, tum ſapientiæ. Deinde cum ſumma, excellentiſſimaque natura, ita rerum gubernatio copulata eſt, ut qui hanc ab ea diſtrahat, is neutram relinquat. *Quod ſi aliter eſt* (hoc eſt, niſi mundum adminiſtret Deus) *aliquid profecto ſit*, ait Tullius (*cit. loc.*) *neceſſe eſt melius, & majore vi præditum, quam Deus, quale id cumque ſit, ſive inanima natura, ſive neceſſitas vi magna incitata ..... non eſt igitur natura Dei præpotens, neque excellens; ſiquidem ea ſubjecta eſt ei vel neceſſitati, vel naturæ, qua cælum, maria, terræ regantur. Nihil autem eſt potentius Deo. Ab eo igitur neceſſe eſt mundum regi. Nulli igitur eſt naturæ obediens, aut ſubjectus Deus. Omnem ergo regit ipſe naturam.* Enimvero utrum ignorat Deus, quo res modo tractandæ ac tuendæ ſint, an vim non habet, qua tantas res ſuſtineat, ac gerat? At & ignoratio rerum aliena naturæ divinæ eſt, & ſuſtinendi muneris propter imbecillitatem difficultas minime cadit in majeſtatem Dei.

II. Verum Dei nutu & providentia mundum adminiſtrari, qui non intelligit, is certe ignarus omnino eſt ampliſſimæ hujus univerſitatis, cujus ſunt partes duæ; altera Cælum eſt; altera vero terra hæc, quam incolimus: in utraque providens Dei gubernatio ita apparet, ut qui eam non cernat, næ ille cæcus ſit & ſtupidus omnino neceſſe eſt: nam primum, præterquamquod immenſa eſt cæleſtium corporum magnitudo & pulchritudo quædam infatiabilis, eorum quoque eſt in motu conſtantia ſempiterna, & nunquam in-

interruptis viciſſitudinibus deſcripta converſio; quod ſine divina ratione fieri non poteſt. Definitæ ſunt lunæ leges, ſolis ortus & occaſus certi, & ratis temporibus circumſcripti. Omnium tandem ſtellarum cum errantium, tum inerrantium æquabilis motio eſt, atque ordo immutabilis. Solis quidem diurna converſio ſpatia dividit ad laborem & quietem; & confert calore primum, tum rore ac pruina ad terræ fœcunditatem; annua vero frigoris & caloris viciſſitudine maxime eſt animalium ſanitati, & vel gignendis frugibus accommodata, vel eiſdem afferendæ maturitati. Ne vero annuæ tempeſtates ſubita converſione incommodæ, moleſtæve ſint, lenta quædam incrementa capiunt; quod quidem ſol efficit ſenſim accedens, tum recedens; non ita tamen ultra, aut citra, ut terra infeſta ſit incolis ad habitandum. Accedit luna, quæ ſolis eſt quaſi vicaria; & dum hic alio divertit, illa terris adeſt calore & lumine, & non modo, ut ſol diurna, ſic luna nocturna ſpatia metitur, ſed etiam menſtrua. Hæc vero in motu aſtrorum tanta conſtantia ſine divina ratione eſſe nullo modo poteſt, quam cum olim philoſophi quidam non ſatis cernerent, in aſtris non modo ſenſum quaſi animantibus eſſe voluerunt, ſed etiam divinitatem. Quod aliis jure abſurdum omnino viſum eſt. Certe Cleantes (*apud Tullium lib. 2. de Nat. Deor.*) *quartam cauſam eſſe, dixit*, cur in animis hominum informata ſit Dei notio, *eamque vel maximam æquabilitatem motus, converſionem Cæli, ſolis, lunæ, ſyderumque omnium diſtinctionem, utilitatem, pulchritudinem, ordinem, quarum rerum aſpectus ipſe ſatis indicaret, non eſſe ea fortuita* (ideoque non fieri ſine rectore) *ut ſi quis in domum aliquam, aut in gymnaſium, aut in forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, diſciplinam, non poſſit ea ſine cauſa fieri, judicare, ſed eſſe aliquem intelligat, qui præſit, & cui pareatur: multo magis in tantis motionibus, tantiſque viciſſitudinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immenſa & infinita vetuſtas mentita ſit, ſtatuat neceſſe eſt, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari.* A qua vero mente, niſi a ſuprema?

III. Verum ea, quæ nobis propiora ſunt, ſi intueri aliquantum velimus, in his omnibus poſſumus conſilium Dei,

pro-

Digitized by Google

providentiamque cognoſcere. Præterea terrena, maxime quæ cientur & agitantur motibus & mutationibus ſuis, ſine moderatore cohærere non poſſe; quid eſt in terris, quod mentis argumentum non ſit ſapientiſſime providentis? Admirabilis quædam eſt propagatio ſtirpium & animalium. Ex minutis quibuſdam ſeminibus, quæ terræ calore, atque humore foveantur, plantæ gignuntur omnes, tam multæ, tam variæ, tam diſcrepantes & magnitudine, & ramis, & cortice, & flore, & fructu. His porro ſeminibus, frugum arborumque partes continentur univerſæ, quæ ſenſim explicantur, hauſtoque e terra humore, qui ſingulis congruit, atque, ut ſanguis in corpore animantium, ſurſum ac deorſum fluit, qua patent viæ, adoleſcunt & conſervantur. Quanta vero arte ac ſolertia ea ſemina veſtita ſint a natura, ne intereant, vix dici poteſt, nec ſecus fructus, ut ſervari poſſint, & pro ratione temporum adhiberi ad vitæ uſum [*vid. Malpighium de Anatome Plantarum*] Conformatio item, quæ intriſecus ineſt in plantis, divina quadam ſapientia elaborata eſt, ut humor in partem omnem permeet & tranſeat, quo & arbor vigeat, fructuſque gignantur. Sed de his legendi ſunt ii, qui de herbarum, ſtirpiumque natura ac viribus diſputarunt.

IV. Multo magis Dei providentia apparet in brutis, quorum eſt mira ſolertia in tuenda vita, in captando pabulo, in exquirendis latibulis, nidiſque conſtruendis, ſubſternendiſque molliſſime, in declinandis periculis, quæ impendere videantur, in perſequendis aliis, capiendiſque, ſi poſſint. Formica, ut compertum eſt omnibus, in hybernum tempus ſibi cibum parat, & grana importat in foveam; tum ea rurſus profert in apricum locum, ſi opus eſt, & germen, ſi quod innaſci cœperit, dente corrodit, ne vitietur annona. Cancer marinus oſtream cum appetat, at vorare vix poſſit propter teſtæ, qua illa munitur, duritatem, ſi quando eam in tranquillis locis apricantem videt, explicantemque duplicem teſtam, qua tegitur, tum ſubito injecto calculo impedit, quominus teſtæ illæ duæ copulentur, atque oſtream vorat. Duo lupi, ut memoriæ proditum eſt, fame cogente, ad ruſticum tugurium cum venerint, alter aream ingreditur canis excitandi gratia, alter occultat ſe prope ſepem. Canis

ſub-

Digitized by Google

ſubeuntem lupum inſequitur, tum alter ex inſidiis erumpens canem adoritur a tergo; lupus is, qui fugerat, ſe convertit, ac uterque in canem impetum facit, atque diſcerpit ad explendam famem (*apud Purchotium Phyſ. part.3. ſect. 2. cap. 1. in reſp. ad ob.*) Caſtores ita ſibi caſas conſtruunt, ut & ſit, qui inſiſtat operi, atque urgeat inertes: feneſtras aperiunt, quæ commodiores ſint, nec validioribus ventis pateant; curant, ut prope caſam ſit aqua ſtagnans, in quam conjiciunt ſeſe, & a venatoribus forte adventantibus tueantur (*Joan. Torre in lib. cui titulus Scienza della natura part. 2. ſect. 3. cap. 8.*) Accidit etiam, ut lepus, cum inſequentes canes diu fugit, atque ita defatigata eſt, ut periculum declinare non poſſit, ſi forte in alterius leporis cubile incidat, hæc latratu canum exterrita exiliat, illa conſiſtat: quamobrem decepti canes defatigatam deſerant, aliam inſequantur. Simiæ, ut ferunt, ordinem tenent in dimicando, aciem inſtruunt more militari, mortuos ſepeliunt. Ericius, ſi quid præſentit inſidiarum, concludit ſe ſpinis ſuis inſtar globi, atque his quaſi armis ſe defendit, & eos vulnerat, qui propius acceſſerint ad capiendum. Quid dicam de apibus, quarum eſt quædam quaſi forma reipublicæ? una his domus eſt, una actio, ac volatus idem: rex item, qui præeſt. Opus vero tam mirabile, tam præclarum & perpolitum, ut a perito geometra vix accuratius effici poſſe videatur. *Grues*, ſcribit Tullius (*lib. 2. de Nat. Deor.*) *cum loca calidiora petentes maria tranſmittunt, trianguli efficere formam; ejus autem ſummo angulo aër ab iis adverſus pellitur: deinde ſenſim ab utroque latere tamquam remis, ita pennis curſus avium levatur. Baſis autem trianguli, quam grues efficiunt, ea tamquam a puppi ventis adiuvatur: hæque in tergo prætervolantium colla & capita reponunt. Quod quia ipſe dux facere non poteſt, quia non habet, ubi nitatur, revolat, ut ipſe quoque quieſcat. In ejus locum ſuccedit ex iis, quæ acquierunt: eaque viciſſitudo in omni curſu conſervatur.* Ut grues, ita volucres aliæ quammultæ, inſtante hyeme, locum mutant, & illuc migrant, ubi poſſint commodius vivere. Ciconiæ quidem uno tempore ad calidiores Aſiæ regiones veniunt, tum ſub uno ſigno diſcedunt ſtipatæ cornicibus, ut Baſilius ſcribit (*hom. 8. in Exameron. tom. 1.*) quaſi præſidio ſociorum. Nec vo-

volucres tantum, ſed & piſces, quamquam fere regionem incolant accommodatam naturæ ſuæ; tamen & ipſi ſæpe peregrinantur, & quidem gregatim, ut alices, ut thymni, qui ſimul collecti per Propontidem in Euxinum pontum influunt; tum ad ſedes revertuntur ſuas. Sunt, qui e mari enatant in fluvios, ut tempus, & commoditatis ratio poſtulat.

V. Similiter Dei providentia in eo apparet plurimum, quod nulla eſt bellua etſi immanis & fera, quæ catulos, aut fœtus ſuos deſerat, quamdiu hi procreatoris ope indigent; & urſi, & lupi, & leones, & tygrides agnoſcunt ſuos, & fovent, & alunt, & tuentur, nec timent pro catulis mori, ſi oportet; multo autem magis, quæ mitiore ingenio præditæ ſunt. Agni balantes parentem vocant, atque hæc illos viciſſim, & ſibi mutuo reſpondent; cum tamen vel paſtor in diſcernendis ovibus erret aliquando. At cum procreatoris ope ii, qui procreati ſunt, amplius non egent, tum non modo ceſſant officia, ſed affinitatis cognitio plane omnis. *Quid dicam*, ſcribit Tullius (*lib. 2. de Nat. Deorum*) *quantus amor beſtiarum ſit in educandis, cuſtodiendiſque iis, quæ procrearunt, uſque ad eum finem, dum poſſunt ſe ipſa defendere? etſi piſces, ut ajunt, ova cum genuerunt, relinquunt: facile enim illa aqua & ſuſtinentur, & fœtum fundunt.*

VI. Nec vero neceſſe eſt memorare, quæ ſit canum fides & benevolentia, quæ in vulpe calliditas, in fele, in aranea, aliiſque quam plurimis. Qui vero fiat, ut vermes quidam e viſceribus ſuis fila eijiciant, quibus nobiles texuntur veſtes, vix poteſt percipi. Illud item compertum eſt omnibus, non deeſſe belluis remedia, quibus morbi, ſi qui ſuſcepti ſunt, depellantur. Quod vero & medici præſcribunt ægrotis, id ſemper in promptu eſt animalibus, a cibo abſtinere, ut, alvo repurgato, paulatim natura ipſa morbo medeatur.

VII. Quid quod beſtiarum & ſtirpium genus nullum interiit in tanta ſuperioris temporis diuturnitate? *Ut vero*, ait Tullius (*lib. 2. de Nat. Deor.*) *perpetuus mundi eſſet ornatus, magna adhibita eſt cura a providentia Deorum, ut ſemper eſſent, & beſtiarum genera & arborum, omniumque rerum, quæ altæ aut radicibus a terra, aut ſtirpibus continerentur. Quæ quidem omnia eam vim ſeminis habent in ſe, ut ex uno plura generentur: idque ſemen incluſum eſt in intima parte earum bac-*

baccarum, quæ ex quaque ſtirpe funduntur; iiſdemque ſeminibus & homines affatim veſcuntur, & terræ ejuſdem generis ſtirpium renovatione complentur. Quis non intelligat, ſine conſilio providentis Dei tot & frugum, & ſtirpium, & beſtiarum genera in tantis viciſſitudinibus tempeſtatum permanere nullo modo poſſe?

VIII. Latiſſime patet hic locus, & pulcherrimus eſt, & ad orationis ornatum, ad rerum copiam, ad ſententiarum, exemplorumque varietatem ampliſſimus; ſed nota ſunt plurima, etſi non ſatis meditata. Opportunum erit eorum libros legere, qui hæc accurate, atque erudite pertractant: quare videantur S. Ambroſius (*Examer. lib. 6. cap.* 4., & 5. *tom.* 1.) & S. Baſilius (*Hom.* 7. 8. & 9. *tom.* 1., & *de part. animal.*) Ariſtoteles (*tom.* 4.) Galenus (*de uſu partium corporis humani tom.* 1.) Tullius [*lib.* 2. *de Nat. Deorum*] Theophraſtus (*de Inſt. animal.*) & Plinius (*lib.* 8. *de animal.*) tum recentiores, ut Corracus Geſnerus, qui libros quinque ſcripſit pariter de animalibus, Ulyſſes Aldovrandus in Ornithologia, & de inſectis, cruſtaceis, teſtaceis & Zoophitis Jo. Jomſtonus, Rajus, Blaſius, Collineus, Valentinus, & præſertim Rhedius, Valliſnerius, Reamurius, Bonannus & alii (*vid. Joannem Turre in lib. cui tit. Scienza della nat. tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 704.) Magnam item habet admirationem multitudo eorum animalium, quæ vulgo *inſecta* a philoſophis nominantur; quo in genere illud videri poteſt monſtro ſimillimum, quædam inſecta, quæ a Tembleo, & Reamurio *Polypi* dicti ſunt, ſi ſecentur in partes duas, rurſus effici perfecta animalia, & vivere (*vid. Jo. Turre cit. loc. num.* 716.) ne quid dicam de illis, qui formam mutant, & tum apparent alis inſtructa, cum antea humi reperent inſtar vermium. Hæc, & alia fere infinita eſſe opera providentis Dei, qui neget, ſi ſanæ mentis eſt, puto profecto fore neminem.

IX. Quo efficitur, Deum præſertim conſulere humano generi, cujus cauſa hæc univerſitas effecta eſt. Itaque argumenta divinæ in homines providentiæ ſunt, quæ in mundo reperiuntur omnia ad hominum commoditates & uſus opportuniſſima, & præſertim ad victum neceſſaria, quæ alia ſunt aliis in locis, neque eadem uno tempore anni, ut ſemper & novitate delectemur, & copia; fruges ubique ſunt tam

variæ, & fructus, & animantes, quas etiam perſpicuum eſt, partim ad uſus hominum, partim ad fructum, partim ad veſcendum procreatas. Eademque fere varietas ineſt in iis, quibus utimur ad tegendum corpus, tuendumque ab æſtu & frigore [*vid. Tullium lib.2. de Nat. Deor.*]

X. Nec vero univerſo generi hominum ſolum, ſed etiam ſingulis a Deo immortali conſulitur ac providetur, & bonis maxime, quos ille nunquam deſerit: eos enim amet neceſſe eſt, quos obſequentes habet voluntati ſuæ. Neque vero, ſi cui aliquid triſte acciderit, hunc deſertum a Deo, ac neglectum putandum eſt: quoniam rebus adverſis virtutes retinentur & confirmantur, quibus deinde præmia ſunt ampliſſima conſtituta: nam magnæ ſunt ubertates virtutis, & copiæ. Contra rebus proſperis fere virtus animi remittitur, atque extabeſcit.

XI. Quemadmodum vero providentis eſt Dei benefacta munerari, ita punire malefacta: ſecus nec bonus poteſt eſſe, nec juſtus; quippequi nec hominum vitiis, nec virtutibus moveatur. Hinc autem vitæ perturbatio naſcitur, & magna confuſio: tollitur enim & pietas, & ſanctitas, & religio, quibus ſublatis, *haud ſcio*, ait Tullius (*lib.2. de Nat. Deor.*) *an . . . . fides etiam, & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus juſtitia tollatur*. Quod ſiquando improbis bene videtur eſſe in terris, & hoc argumentum eſt providentiæ: nam Deus, quæ in illis ſunt, præmio afficit vel ſimulacra virtutum.

XII. Deinde rebus adverſis affligi bonos aliquando, dum vivunt, neceſſe eſt, ut ſi qua labes ſuſcepta eſt propter leviora peccata, eluatur, & laboribus ac patientia comparetur quies ſempiterna. Accedit, quod improbi felices videri poſſunt, eſſe non poſſunt: quoniam ægritudine conficiuntur, & angore conſcientiæ. Sed hæc ſatis: quamquam enim pauca ſint, tamen oſtendunt aperte, eſſe rerum dominatorem, & omnia nutu regentem ac providentem Deum. *Quod qui dubitat*, ait Tullius (*lib.2. de Nat. Deor.*) *haud ſane intelligo, cur non idem, ſol ſit, an nullus ſit, dubitare poſſit.*

XIII. Quamobrem Epicurei, qui nihil agere Deum volunt, nullamque habere mundi procurationem, deridentur ac vituperantur ab omnibus: ut enim faciant quietum Deum,

&

Digitized by Google

& liberent moleſtis negociis, & operoſis, plane tollunt, non intelligentes, quid interſit inter humanam mentem, atque divinam: hæc enim præſtantiſſima cum ſit, vel infinita rerum multitudine ac varietate perturbari nullo modo poteſt, immo præſtantiſſima non eſt, ſi torpet, ſi otioſa, ut ita dicam, ſi mundi adminiſtratione vacat.

XIV. Quæ cum ita ſint, officium poſtulat, ut providentem credamus Deum. Ex quo illud conſequitur, eſſe contra officium, quidpiam in fortunam, aut caſum referre, ut tempeſtates, ut pluvias, ut terræmotus, ut agrorum ſterilitates, ut morbos aut hominum, aut belluarum, ut alia generis ejuſdem: quamquam enim hæc tribuantur etiam cauſis iis, quæ ſecundæ a philoſophis nuncupantur; tamen hæ cauſæ nullam habent, nec habere poſſunt efficacitatem ſine ſuprema mente, qua reguntur. Igitur excepta culpa, improbitate, malitia, reliqua plane omnia Dei juſſu ac voluntate contingunt ad utilitatem & ſalutem generis humani. Quod quidem ſapienti viro ſolatium eſt in adverſis rebus maximum, & in ſecundis quædam voluptatis acceſſio: nam is intelligit, utraſque a Deo ſapientiſſimo, atque optimo proficiſci. Qui ergo queruntur, atque immoderate dolent propter calamitates, ii videntur ſaltem addubitare, ſitne rerum omnium rector ac moderator Deus; quæ certe addubitatio turpiſſima eſt, & a philoſopho, & præſertim chriſtiano homine penitus aliena.

Digitized by Google

CAPUT III.

Tertium Officium in Deum eſt credere, eum eſſe in quovis genere perfectiſſimum.

I. HOc ſimiliter officium a ſuperioribus ratione diſcrepat, non natura: qui enim certiſſime credit, eſſe Deum, idem ſentiat neceſſe eſt, eum eſſe ſummum ac præcellentem, cui idcirco nihil deſit eorum, quæ habentur bona; immo quæ in aliis apparent, ea in nullo putari numero, ſi cum iis bonis, quæ in Deo ſunt, comparentur. Quæ vero hæc ſint, & quanta, & quam ſupra omnem humanarum, ac etiam cæleſtium mentium opinionem, quis poſſit dicere? Quamquam vero quæ divinæ naturæ propria ſunt, ea unum, idemque ſint; tamen mentis noſtræ eſt, id, quod unum ſit, quaſi amputare ac ſecare in partes ad faciliorem rei cognitionem, quæ propter amplitudinem, infinitatemque cerni ſimul non poteſt. Itaque ex infinitis quædam ſeligam, quæ officium omnino poſtulat, ut ineſſe credamus in Dei præcellente natura.

II. Profecto non eſt dubitandum, quin ſit ſimplex Deus, hoc eſt, nihil habeat conflatum, copulatum, coagmentatum, nihil tandem, quod conſtet ex partibus; quippequæ ſingulæ cum abſolutæ, perfectæque non ſint, in Dei naturam non poſſunt cadere. Quod item partibus conſtat, id diſſolvi poteſt, & interire; nihil autem tale Deo convenit. Ex quo conſequens eſt, Deum vacare corpore.

III. Qua in re intolerabilis eſt error Epicureorum, quibus viſum eſt, humanam eſſe formam Dei (*apud Tullium lib. 1. de Nat. Deor.*) primum, quod ita ſit informatum mentibus noſtris, ut homini, cum de Deo cogitat, forma occurrat humana: deinde ut, quoniam rebus omnibus excellat natura divina, forma quoque eſſe pulcherrima debeat, nec eſſe huma-

mana ullam pulchriorem; tandem quod nulla in alia figura domicilium mentis eſſe poſſit.

IV. Verum argumenta hæc futilia ſunt, & refelluntur a Tullio (*cit. loc.*) etenim humana forma occurrit imperito, cum de Deo cogitat, non ſapienti; quam imperitorum opinionem auxerunt poetæ, pictores, opifices. Tum errat is plurimum, qui pulchritudinem putat ineſſe tantum in corporibus; ſumma ineſt quoque in iis naturis, quæ vacant corpore, atque in Deo certe infinita, a qua, quicquid pulchri uſquam eſt, manat & fluit. Eſt autem ridiculum, rationem & mentem nuſquam eſſe, niſi in hominis figura: eſſe enim mens & animus poteſt ſine corpore, ut dominus extra domicilium ſuum [*Vid. Tullium lib.* 1. *de Nat. Deor.*]

V. Credere item oportet, Deum eſſe immutabilem; iccircoque ſempiternum; cum ſummæ, præſtantiſſimæque naturæ nihil addi poſſit, aut detrahi: quare nec in par fieri poſſit, neque in præſtantius, neque in deterius ulla mutatio. Principium etiam, & interitus abeſſe debet omnino a Dei natura: qui enim, cum non eſſet, is deinde eſt, aut contra, mutatur maxime. Quapropter inſipienter poetæ, Deos alios ab aliis progenitos ſomniarunt eſſe, ut Saturnum Cælo ſatum, Saturno Jovem, Jove Apollinem & Bacchum, qua de re multa ſcribit Tullius (*lib.* 3. *de Nat. Deor.*) Quod ſi quid Deus molitus eſt certo tempore, ut mundum, cum antea infinito ſpatio ceſſaverit, non iccirco mutatio in eum cadit; nam idem ſemper conſilium fuit, eademque mentis actio ſempiterna. Nec affectiones, quæ Deo tribuuntur, ut amor, ut odium, ut iracundia, argumentum ſunt mutabilitatis: illæ enim ad Deum, qui beatiſſimus eſt, atque idem ſemper, traductæ ſunt ſimilitudine quadam mentis humanæ; propterea quod ea facit, quæ fieri ſolent ab homine affectionibus incitato. Itaque ab efficientia tantum tracta eſt in Deum affectionum ratio.

VI. Tum illud arctiſſime tenere oportet, eſſe immenſum Deum, ſeu ubique præſentem, atque omnia plena eſſe divino numine; ſecus nec ſapiens, nec potens, nec præcellens eſt Deus. Adeſt autem præſens ubique primum natura: iccirco ſcribit Virgilius [*Georg. lib.* 4. *v.* 221.]

.. Deum

Digitized by Google

. . . . . . *Deum . . . ire per omnes*
Terraſque, tractuſque maris, cælumque profundum.

Tum vi & efficientia; cum ſine Deo nihil poſſit effici, nihilque cohæreat ad permanendum: tandem ſcientia; Deus enim videt, circumſpicit & animadvertit omnia. Quamobrem abſurde decreta eſt olim Diis quaſi provincia, ut Jovi Cælum, mare Neptuno, Platoni tartara; ac multo abſurdius ab Epicureis definitus locus, in quo illi habitarent extra mundum circumſcripti humana figura. Sed hæc ejus ſunt deliria, qui ne in offenſionem Athenienſium caderet, verbis reliquit Deum, re ſuſtulit, ut eſt apud Tullium (*lib. 1. de nat. Deor.*) qui etiam alio in loco (*lib. 2. de Divinat.*) ſic ſcribit: *Deos enim ipſos jocandi cauſa induxit Epicurus perlucidos, & perflatiles, & habitantes tamquam inter duos lucos, ſic inter duos mundos propter metum ruinarum; eoſque habere putat eadem membra, quæ nos, nec uſum ullum habere membrorum.*

VII. Ad hæc ſancte credendum eſt, Deum eſſe ſapientem, hoc eſt, mente & cognitione complecti non modo præterita, & præſentia, & futura, verum & ea, quæ, etſi poſſint eſſe, nunquam tamen, ac nuſquam futura ſunt. Hæc vero Dei ſapientia & ſcientia a noſtra ita ſejuncta eſt, ut cum hac nihil habeat commune, præter nomen (quod idem cadit in omnia, quæ in Deo ſunt) Nam primum humana adventitia eſt & fortuita; at divina, cum ipſe ſit Deus, plane neceſſaria. Tum Deus omnia videt in ſe, nec re ulla, quæ extrinſecus ſit, utitur ad cognoſcendum; ſed homo ſecus. Deinde Dei cognitio ſimplex eſt; hoc eſt, Deus una mentis comprehenſione capit rerum omnium immenſitatem; at noſtra multiplex. Tandem divina ſcientia una ſemper eſt, & eadem, habetque, ut natura, immutabilitatem; humana vero non ita.

VIII. Nec vero, quoniam Deus ſcit omnia, iccircoque vel ea, quæ a libera hominis voluntate proficiſcuntur, hæc futura ſunt neceſſario: neque enim futura ſunt, quia Deus ſcit; ſed contra Deus ſcit, quia ſunt futura. Itaque ut cum te ambulantem video, non ambulas, quia video; ſed video, quia ambulas; ideoque libere ambulas; eodem modo de

ſcien-

ſcientia Dei eſt judicandum. Non eſt ergo neceſſe aut Deo ſcientiam detrahere, aut homini libertatem; ſed utrumque ſimul cohæret. Qua in re lapſus eſt Tullius, qui, ut unum relinqueret, alterum ſuſtulit: *nihil enim eſt*, inquit (*de Divinat. lib.2.*) *tam contrarium rationi & conſtantiæ, quam fortuna; ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, ut ſciat, quid caſu & fortuito futurum ſit: ſi enim ſcit, certe illud eveniet. Sin certe eveniet, nulla fortuna eſt: eſt autem fortuna; rerum igitur fortuitarum nulla eſt præſenſio*. Non vidit homo cæteroquin acutiſſimi ingenii, ſublata a Deo rerum omnium ſcientia, ipſum ſimiliter tolli Deum.

IX. Ut de ſapientia Dei, ita etiam de potentia neceſſe eſt bene ſentire; quæ quidem vis eſt faciendi quodlibet, & in omnibus dominandi. Hæc vero a ſumma, præſtantiſſimaque natura ſeparari nullo modo poteſt: neque enim Deus eſt, qui non poſſit id facere, quod velit, nec præſit omnibus.

X. Ex quo conſequens eſt olim erraſſe philoſophos, etſi faterentur, eſſe præpotentem Deum; tamen ejus vim putabant, non in rerum molitione, quarum antè nulla extaret materia, verſari, ſed in mutatione formarum pro libito, in juvandis hominibus, aliiſque generis ejuſdem: illud enim arcte tenebant, quod eſt apud Perſium (*Satyr. 3.*)

. . . . gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti.

Quod ſentiunt Epicurei, ut teſtis eſt Lucretius, qui conatur efficere, Epicuro duce (*lib. 1. de Rer. Nat.*)

Nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam.

Et Stoici ſimiliter, ut eſt apud Senecam (*Epiſt. 65.*) & Plato, ut quidem videtur (*in Tymæo, vid. Marſil. Ficin. argum. in Tymæum Plat. cap. 13., & 14.*) & Ariſtoteles (*lib. 1. Phyſ. cap. 4. tom. 2.*) Atque hæc fuit olim communis ſententia phyſicorum, ut ſcribit Tullius [*lib. 2. de Divinat.*] *erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum ſubito occidat. Quis hoc phyſicus dixit unquam?* Nimirum non viderunt hi phyſici, Dei naturam everti funditus, ſi ab ea vis ac virtus detra-

trahatur faciendi quodlibet etiam ex nihilo: neque enim Deus eſt inſtar fabri, cujus extare opus non poſſit ſine materia, ut ſcriptum eſt a Lactantio (*lib.* 2. *Divin. Inſt. cap.* 9.) Sed miror, quamobrem, cum injuria Deo poteſtatem detrahant aliquid faciendi ex eo, quod non eſt, iidem concedant materiam eſſe ex ſeſe, quod maxime abſurdum eſt, eamdemque ſempiternam: *nam*, ait Lactantius (*cit. loc.*) *ſi eſt aliquid ante illum* (Deum) *factum*, & *quicquam non ab illo factum eſt*, *poteſtatem Dei*, & *nomen amittet*. Atque hoc idem futurum eſt, niſi conſervet omnia, quæ profecto cohærere non poſſunt, & conſtare, & vigere, niſi eadem perſeveret voluntatis actio, qua primum ſunt divinitus conſtituta; ſecus intereunt omnino, cum nihil ſit, quo contineantur: pendent enim a Deo, ut umbra a corpore.

XI. Immo Dei vis ac virtus tam late patet, ut, quæ cujuſque naturæ, aut inanimæ, aut ratione ac ſenſu præditæ propria eſt actio, non poſſit ulla eſſe, niſi rei, ex qua aliquid exiſtit, Deus adjumentum afferat ad faciendum: eſt enim actio ex eorum genere, quæ bona ſunt ex ſeſe: quæ autem talia ſunt, ea proficiſci oportet a Deo tamquam cauſa præcellente ac principe; quamquam & creata natura cauſa eſt; at ſecundum obtinet in effectis locum.

XII. Spectat pariter ad officium præclare ſentire de ſupremæ naturæ bonitate, cujus ea dos eſt in primis, ut ſumma ſit, hoc eſt, nulla poſſit eſſe, aut excogitari præſtantior: ex quo conſequens ſit, non acceſſione eſſe bonum Deum, ſed ipſum per ſe, ac ſuapte natura, qui iccirco nullam habeat cauſam bonitatis ſuæ, nullo careat bonorum genere, ac nuſquam referatur: ſi quam enim cauſam habet, hæc eſt futura præſtantior; ſi quo caret bono, non ſummum bonum eſt; ſi quo refertur, illud ſit, ad quod refertur, excellentius bonum, neceſſe eſt: quoniam quæ minus habent dignitatis, ea ad nobiliora referuntur.

XIII. Alia cum priore conjuncta ſummi boni dos eſt habere immutabilitatem: *merito ergo*, ait Lactantius (*lib.* 3. *Divin. Inſt. cap.* 12.) *philoſophorum non obſcurus Euclides*, *qui fuit conditor Megaricorum diſciplinæ* . . . . *id eſſe ſummum bonum dixit*, *quod ſimile ſit*, & *idem ſemper*. *Intellexit profecto*, *quæ ſit natura ſummi boni*, *licet id non explicaverit*, *quid ſit*:

Digitized by Google

ſit : id eſt autem immortalitas. Porro eſſe optimum Deum, una eſt omnium vox, atque conſenſio; quare O. M. nuncupatur. *Deum*, ſcribit Boetius [*Conſol. Phil. lib.3. proſ.10*] *rerum omnium principem, bonum eſſe, communis humanorum conceptio probat animorum. Nam cum nihil melius Deo excogitari queat, id, quo melius nihil eſt, bonum eſſe quis dubitet? ita vero bonum eſſe Deum ratio demonſtrat, ut perfectum quoque bonum in eo eſſe convincat*.

XIV. Enimvero hæc Dei bonitas, quæ in ſeſe habet infinitatem, permanat in res univerſas; cum a ſummo bono, tamquam a fonte, naſcantur, quæ in rebus ſingulis ſunt & cernuntur, bona; atque hæc ipſa cauſa fuit, cur Deus mundum fabricaretur, ut cum aliis naturis communicaret bonitatem ſuam: quod ſcriptum eſt a Philone (*de Mundi Opific. non longe ab init. tom. 1.*) *ſi quis*, inquit, *vellet cauſam bujus univerſalis opificii perſcrutari, non abhorreret, opinor, a ſcopo, ſi diceret, quod quidam priſcus ſapiens: bonum eſſe patrem, conditoremque, ideoque ſuapte naturæ bonitate non invidiſſe ſubſtantiæ nihil boni ex ſe ipſa habenti, quæ tamen quidvis fieri poterat*. Quocirca res ſingulæ adumbratio quædam ſunt ejus, quæ in Deo ineſt, excellentiſſimæ bonitatis. Hujus autem argumenta apparent luculenta; primum quidem, quod cum Deus ſit ex ſeſe cumulata bonorum complexione beatiſſimus, affluatque omni genere voluptatum, voluit tamen ſponte in alias naturas bonitatem ſuam illam derivare quodammodo; tum quod eaſdem quaſi parens optimus & curet, & protegat, & tueatur; eas præſertim, quæ intelligentia & ratione præditæ ſunt, quamquam harum ſæpe tanta ſit improbitas, ac tam inſolens confidentia, ut in Dei contemptum, atque injuriam accepta beneficia convertant. Mox, quod Dei in res creatas æterna propenſio eſt; quippequæ conſtitutæ quidem ſunt certo tempore, at conſilio ſempiterno.

XV. Quamquam vero Dei bonitas tam late, longeque diffuſa eſt, ut ejus pleniſſima ſint cum in Cælo, tum in terris omnia; tamen ſemper eadem eſt in ſeſe ſine ulla imminutione, quaſi nihil eſſet cum rebus, quarum cæteroquin infinita eſt multitudo, communicatum. Itaque nihil mirum, ſi qui adhæret Deo, is beatus eſt; contra qui ab eo diſce-

 dit,

dit, is miſer. Quibus efficitur, nihil in Deum poſſe cadere, quod ſit bonitati contrarium; iccircoque nec peccatum ullo modo; ſecus bonitas illa non haberet infinitatem. Ex quo rurſus conſequens eſt, nec ad id, quod turpe eſt, unquam a Deo impelli, aut incitari hominis voluntatem: in quo apparet, ſceluſne dicam, an dementia Calvini inaudita & ſingularis, qui [*lib.1. Inſtit. cap.18. §.2. aliiſque in locis apud Bellarm. de amiſſ. grat., & ſtat. pecc. lib. 2. cap. 3. tom. 3.*] ſecus audet ſcribere contra rationem, communem hominum ſenſum cum doctorum, tum indoctorum, omnemque philoſophiam.

XVI. Hoc etiam præſcribit officium, ut teneamus, Deum eſſe pulcherrimum: quo enim eſt præſtantior natura, eo ipſam convenit eſſe pulchriorem: nam pulchrum a præſtanti, abſolutaque rei forma dicitur. Hanc vero Dei pulchritudinem efficit bonorum omnium complexio. Præclare de ſummo pulchro ſcriptum eſt a Platone (*in Convivio*) quem locum ſupra deſcripſimus (*lib. 1. cap.20.*)

XVII. Quanta vero ſit, quæ in Dei præcellente natura ineſt ſpecies & pulchritudo, indicant vel ipſa effecta quodammodo: quoniam omnes mundi partes ita conſtitutæ ſunt, tam concinne, tam apte, ut nihil pulchrius eſſe videatur. Cælum, aſtra cum errantia, tum inerrantia, ſol vero in primis ac luna admirabilem quamdam intuenti proferunt venuſtatem. Huc adde & valles, & montes, & æquora, & ſtirpes, & flores, & fructus, & gemmas, & lapides, & piſces, & volucres, atque alia genera belluarum; homines vero præſertim, qui terrenis rebus longe præſtant formæ elegantia, ne alia perſequar, quæ ſummam movent admirationem maxime ſapientibus. Hæc vero, quæ in ſenſus incurrit pulchritudo tanta, non quicquam eſt aliud, niſi rudis quædam, quæ in Deo eſt, ſeu potius, quæ Deus eſt, adumbratio; & licet a Deo manet omnis; ipſe tamen eamdem ſemper retinet pulchritudinis infinitatem: *cætera vero omnia*, ait Plato [*in Conviv.*] *quæ pulchra ſunt, illius participatione pulchra, ea ſcilicet conditione, ut naſcentibus & intereuntibus aliis, nihil ſubtrahatur illi, aut addatur*. Hoc autem conſilio tam multa pulcherrima effecta ſunt, ut ex his ad ſummæ pulchritudinis contemplationem animus erigatur,

tur, quod & docet Plato (*cit. loc.*) Hoc itaque & ad officium pertinet, in his rebus, quæ ſub ſenſum cadunt, inſpicere parentem & effectorem Deum. In perſcrutanda Dei natura, quæ immenſa & interminata eſt in omnes partes, in quovis genere habet infinitatem, hæc pauca collegi, ut ad conſequentia officia, quorum vis omnis in facto eſt, viam ſternant & præparent voluntati.

CAPUT IV.

Quartum Officium eſt Deum colere, & venerari.

I. QUoniam juſtam venerationem habet quicquid excellit; quantam habeat neceſſe eſt, ea natura, qua nihil præſtantius, nihil bonis omnibus affluentius excogitari poteſt? Scilicet & obſervantiam, & reverentiam, & cultum jure ſibi vindicant principatus, imperiique majeſtas, & potentia, & ſapientia, & probitas, aliæque dotes, virtuteſque, in quibus quidpiam eſt, quod extare atque eminere videatur. Quid vero ſi hæc omnia in uno ſint homine copulata atque collecta? quanto is honore dignus eſt judicandus? Et ſane viros ſanctos ſumma pietate veneramur, colimuſque ſapientes, & eos, qui præſunt, præſertim cum laude, reipublicæ, & commoda afferunt humanæ ſocietati vel divitiis, vel opibus, vel auctoritate, & prudentia, & conſilio, aut artibus & diſciplinis. Qua de cauſa olim plures relati ſunt in numerum Deorum, & iis eſt, quæ utilia viderentur, tributa divinitas. *Suſcepit autem vita hominum*, ſcribit Tullius (*lib.2. de Nat. Deor.*) *conſuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in Cœlum fama & voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Caſtor, & Pollux, hinc Æſculapius, hinc Liber etiam . . . hinc etiam Romulus, quem quidem eumdem Quirinum putant, quorum cum remanerent animi, atque æternitate fruerentur, Dii rite ſunt habiti; cum & optimi eſſent, & æterni.* Non modo homines, ſed quæ utilia ſunt vita, ut

dixi, divinitate donata ſunt, ut Ceres, ut fides, ut mens, ut concordia, ut libertas, ut victoria, ut virtus, ut alia (*apud Tullium cit. loc.*) *multæ autem*, ſcribit Tullius (*eod. loc.*) *aliæ naturæ Deorum ex magnis beneficiis eorum non ſine cauſa & a Græcis ſapientibus, & a majoribus noſtris conſtitutæ, nominatæque ſunt*. Hæc quidem impie & ſuperſtitioſe; ſed tamen indicant, in omnium animis eam inſidere ſententiam, oportere, quod excellit, id venerari & colere.

II. Quocirca quo honore & cultu proſequi debemus Deum, cujus eſt in quovis genere infinita præſtantia? qui & potentiæ, & providentiæ, & ſapientiæ, & fortitudinis, & juſtitiæ, & clementiæ, & miſericordiæ, & bonitatis, aliorumque ornamentorum, ſi licet ita dicere, obtinet infinitatem cum natura ſic cohærentem, ut ab ea divelli nullo modo poſſit? qui omnia beneficia ac bona, quæcumque uſquam ſunt, largiſſime contulit in genus humanum? qui omnibus conſulit? in omnibus dominatur? ſuo nutu ita moderatur omnia, ut nihil ſit, quod ejus poſſit obſiſtere ac repugnare voluntati? cui & terræ, & mare, & cælum, & imbres, & fulmina, & venti, tempeſtateſque obſecundant?

III. Quamobrem hoc fuit ſemper inditum omnium mentibus, eſſe religioſe colendum Deum: *eorum, quæ mundus complectitur*, ait Antoninus Philoſophus (*Eorum, quæ ad ſeipſum lib.5. num.21.*) *quod præſtantiſſimum eſt, colito: hoc eſt autem illud, quod cæteris omnibus utitur, quod reliqua omnia adminiſtrat*. Hoc primum præſcribit Pythagoras [*in Aureis Carmin.*]

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς, νόμῳ ὡς διάκειται
Τίμα; hoc eſt

Primum Deos immortales, ut lege illis ordinatum eſt,
Cole.

Et Phocylides [*in Poemat. admonitorio*]

Πρῶτα θεὸν τίμα; hoc eſt

Primum Deum cole.

Eam

Eam ob cauſam ubique dedicata ſunt templa divinitati, ut augeretur & cultus & pietas in Deum, iique reprehenſi, qui hunc ritum repudiarent: *nec ſequor*, ſcribit Tullius (*lib. 2. de Legib.*) *magos Perſarum, quibus auctoribus Xerxes inflammaſſe templa Graeciæ dicitur, quod parietibus includerent Deos, quibus omnia debent eſſe patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum eſſet & domus*.

IV. Eſt autem ejus cultus, qui Deo adhibendus eſt, duplex genus. Alius quidem ineſt in mente ac voluntate, alius in actione & facto cernitur. Prior eſt in eo ſitus, quod cum Dei præſtantiam, ſummum imperium, & in omnibus dominatum, majeſtatem, ſapientiam, ſanctitatemque animo reputemus, tum ei nos ac noſtra ſubmittimus, & maxime voluntatem ut præpotenti domino, præcellentiſſimoque moderatori. Is autem eſt Dei cultus optimus, idemque caſtiſſimus, atque ſanctiſſimus, pleniſſimuſque pietatis, quo eum ſemper pura, integra, incorrupta mente veneramur, ut fere ſcribit Tullius (*lib.2. de Nat. Deor.*) Quocirca qui vivit honeſte, maxime Deum colit: quoniam ejus ſanctitatem, quaſi lumen aliquod nitidiſſimum ubique diffuſum, veretur, cavetque, ne videatur inquinare quodammodo. *Hæc eſt religio cæleſtis*, ait Lactantius (*Divin. Inſt. lib.6. cap.2. in fin.*) *non quæ conſtat ex rebus corruptis, ſed quæ virtutibus animi, qui oritur e cælo. Hic verus eſt cultus, in quo mens colentis ſeipſam Deo immaculatam victimam ſiſtit*. Et rurſus (*cit. loc. cap.25.*) *nulla igitur alia religio eſt vera, niſi quæ virtute & juſtitia conſtat*. In quam ſententiam extat & dictum Senecæ (*Epiſt.95.*) *Deum colit, qui imitatur*: is vero imitatur, qui virtutem ſequitur, & rationem ducem, quæ eſt radius quidam divinitatis, oſtenditque, quid Deus jubet, aut vetat, cumque nobis proponit tamquam exemplar ad imitandum. Quo ſpectat illud vetus præceptum (*apud Senecam de Vit. Beat. cap.15.*) quod Pythagoræ Boetius tribuit (*lib.1. de Conſol. Phil. proſ.4.*) & Tullius alicui e ſeptem ſapientibus [*lib.3. de Fin.*] ἕπου Θεῷ, *Deum ſequere*. Igitur Dei cultus non poteſt cum ſcelere, atque improbitate conſiſtere, ut & Zeleuco eſt viſum (*in Proœmio legum apud Stobeum Serm.44. qui eſt de Legib.*) *Singulos igitur*, inquit, *habere, & comparare animam quemque ſuam oportet, ut ab omnibus*

ſunt, & habentur quaſi Dei ſedes & domicilium: quo ie. circo licet etiam confugere ad ſecuritatem. Oportet autem adhibere religionem potiſſimum cum ſacra fiunt, quibus nihil eſt apud nos ſanctius, nihil præſtantius, nihil auguſtius, cum, quæ immolatur hoſtia, dignitatem habeat nullis finibus circumſcriptam; iccircoque ſit ad Deum placandum aptiſſima: *venerare numen*, ait Iſocrates (*Orat. ad Demonicum*) *cum alias ſemper, tum maxime cum publice ſacra fiant*.

VIII. Qui vero ſacra pertractat, is in primis religioſus ſit, integer, purus, innocens, atque ſanctus neceſſe eſt propter majeſtatem ac ſanctitatem numinis. *Ego enim arbitror*, ſcribit Demoſthenes (*contra Timocratem tom. 2. in Fin.*) *cum, qui ſacras ædes ingrediatur, & malluvia, & caniſtras attingat, & curæ divinarum rerum præficiatur, non modo ad certum aliquod dierum tempus caſtum eſſe debere; ſed . . . . per omne ſpatium ætatis*. Si tanta a Demoſthene in ſacerdotibus inanium Deorum innocentia requiritur ac religio; quid de noſtris ſentiendum putamus, quorum eo debet eſſe vita purior, quo excelſior eſt dignitatis gradus, quem tenent in chriſtiana republica.

IX. Eſt autem intelligendum, officium in Deum officium eſſe & primum, & ſummum, in quo etiam omnis beatæ vitæ ratio conſiſtit: quoniam in hanc lucem editi ſumus, & mente ac ratione donati tamquam cæleſti munere, ut cum tam magnifica opera videamus, eorum effectorem colamus Deum, & ſanctiſſime veneremur; tum vero ejus aſpectu beatiſſimo perfruamur in omne poſterum tempus: hæc enim merces iis, qui caſte officium Deo tribuunt, & cultum diligentem, conſtituta eſt. In quo etiam apparet Dei munificentiſſimi bonitas ac benevolentia, qui vel debita officia largiſſime muneratur, & vult, ea cum noſtro & fructu maximo, & emolumento eſſe conjuncta.

Digitized by Google

CAPUT V.

Alia in Deum Officia, quæ ex ſuperiore conſequuntur.

I. AD cultum in Deum primum pertinet ei gratias agere perpetuas & ſingulares propter accepta beneficia, quæ tot ſunt, tam eximia, tam fructuoſa, tam plena benevolentiæ, partim communia, partim peculiaria, ut quem *non gratum eſſe cogant*, quemadmodum a Tullio ſcriptum eſt (*de Legib. lib. 2.*) *hunc hominem omnino numerare qui decet?* Sunt autem Deo agendæ gratiæ cum in proſperis rebus, tum in adverſis, in paupertate, in morbo, in calumniis, aliiſque generis ejuſdem: hæc enim quamquam vulgo habentur in malis, tamen ſæpe bona ſunt, & vel ad mores emendandos conferunt, vel perficiendos exercitatione virtutum, atque ad ampliorem mercedem laboribus, ac tolerantiæ propoſitam. Et certe cum boni viri adverſis rebus conflictantur, has habeant beneficii loco; quippequæ ſine dubio futuræ ſunt illis utilitati; cum Deus non patiatur, bonos fruſtra premi calamitate. Verum non modo ad Dei cultum valet gratiarum actio, & ad gratum animum (cum proprium hominis ſit beneficio, immo & benevolentiæ ſignificatione alligari, ut ſcribit Tullius *Orat. pro Plancio*) verum etiam ad aperiendam potioribus aliis beneficiis viam, quæ a Deo beneficentiſſimo accipiantur in poſterum. Iccirco ſæpe ſunt ſupplicationes decretæ, ut Deo & debitæ gratiæ perſolverentur, & ejus maximæ liberalitati, quæ in gratos animos largius funditur, curſus pateret.

II. Gratiarum actioni adjuncta eſt laudatio: quoniam conſentaneum eſt ſummo verborum honore proſequi Deum, quod & ejus præcellens natura poſtulat, & incredibilis in nos beneficentiæ magnitudo, & vis flagrantiſſimæ charitatis. Hanc præſertim ob cauſam, hoc eſt, ad laudandum Deum jam a primis ætatibus poëſis inventa eſt, quæ cum in homi-

minum mentes illabatur, influatque ſuavius, eos excitat, inflammatque ad præconium eodem modo ſummæ illi naturæ tribuendum; quamquam deinde hominum improbitate factum eſt, ut poeſis ab originis ſuæ dignitate tam flagitioſe degenerarit, ut ad Dei injuriam, morumque corruptelam plerumque nata videatur; a qua iccirco tamquam a peſte caveant neceſſe ſit maxime adoleſcentes, ſi ſalvi eſſe velint, & vitam a fœditate defendere.

III. Ad laudationem accedit ita loqui de Deo, ut omnes intelligant, nos de ejus majeſtate, ſapientia, providentia, charitate in homines, aliiſque, quæ præſtantiſſimæ naturæ propria ſunt, ſplendide, magnificeque ſentire; cum præſertim etſi verba ampliſſima videantur eſſe, tamen divinæ res ſint infinito quodam intervallo ſublimiores, vincantque ut humanæ mentis infirmitatem, ita vim, poteſtatemque verborum, quæ ad eas explicandas ab hominibus uſurpantur.

IV. Deinde qui Deum colat, conſequens eſt, eumdem ſumma cum eo charitate conjunctum eſſe oportere. Profecto nemo eſt, modo non exuerit humanitatem, qui eos non diligat, quos eximia virtute præditos, quos religioſos, quos liberales, quos ſapientes ac doctos, quos fortes, quos juſtos, quos temperantes, quos beneficos ſciat eſſe: quoniam humanæ voluntatis eſt id amare & appetere, quod bonum eſt. Itaque ſi infixum penitus ſit in noſtris mentibus, Deum eſſe ſummum bonorum, a quo & in nos bona permanant omnia, tum ea, quæ poſſidemus, tum quæ ſperamus in omne poſterum tempus, qui & abſoluta peregrinatione nos faciet beatos; quo pacto fieri poterit, ut non eum ſummopere diligamus? Sed quammulti ſunt, qui malint id amare, quod humile, quod abjectum, quod terrenum eſt, quam quod præcellens ac ſummum, & infinitæ bonitati anteferunt turpitudinem; qua in re cum religionis expertes, impii, ingrati, tum etiam turpes, cæci, ac plane dementes ſunt judicandi. Illud autem eſt amoris proprium omnia in Deum referre & dicta, & facta, & conſilia, ejuſque cultum & gloriam late diſſeminare pro viribus, ac dare operam, ut omnes tantam bonitatem perſpectam habeant, & ament, & revereantur opere ac voluntate.

Digitized by Google

V. Tum qui Deum veneratur, debet etiam ejus præceptis, ac ſanctiſſimis legibus obedire: ſi enim & philoſophia adhortatur, *ut Deo libenter pareamus*, quod ſcribit Seneca (*Epiſt.16.*) quanto magis religio? cujus tanta vis eſt, ut non modo vetet, ne quid fiat, quod Deo injurioſum, ingratumve ſit, ſed præſcribit, nos in ejus cultu & caritate maxime diligentes eſſe oportere. Quapropter lex divina ſtudioſe meditanda eſt, curandumque, ut penitus inhæreat in animo ad ea obſervanda, quæ præcepta ſunt, ac vitanda contraria; ita quidem, ut omnia facta cum ea lege quaſi norma rerum agendarum conſentiant omnino, a qua nos nec ulla unquam cupiditas ac perturbatio divellat.

VI. Huc ſpectat & Deum timere, & cogitare præſentem: quo fiet ut nihil moliamur, nihil quod honeſtiſſimum eſt, quod moderatum, quod caſtum, niſi quod a Dei majeſtate alienum videatur. Quid enim magis religioni, & pietati contrarium eſt, quam Deo inſpectante peccare? Quod ne improbiſſimi quidem audent coram hominibus præſertim honeſtis, & vel potentia, vel doctrina, vel auctoritate florentibus. Ex quo item conſequens eſt, fugiendam eſſe ſimulationem, cum Deo patentia ſint omnia, eique illudi non poſſit ficta, atque inani forma virtutis.

VII. Tandem Deo preces adhibere, ad ejus cultum pertinet: eſt enim & argumentum religionis, & officium precatio; qua nos Deo ſubeſſe profitemur, ejusque ope indigere, quem iccirco habemus ut fontem, atque auctorem bonorum, maximeque amicum ac beneficum generi humano: *ipſe*, ſcribit Seneca (*Epiſt.95.*) *humano generi miniſtrat: ubique, & omnibus præſto eſt*. Itaque in eo ſpem omnem locamus, præſidiumque rerum noſtrarum. Præterquamquod nihil eſt ad animi ſalutem, & vitæ uſum aut magis neceſſarium, aut opportunius, quam preces, ut a multis traditum eſt, qui hunc locum copioſe & graviter pertractarunt: equidem eum prætermitto, ne videar a propoſito conſilio aberrare quodammodo.

VIII. Ut vero ad religionem, & Dei cultum preces referantur, oportet, eas adhiberi non temere, non remiſſe, non negligenter, at ſummo ſtudio, animi contentione ac pietate, & id conſequendi deſiderio, quod petimus, atque in-

interim animo reputare, quanta ſit Dei majeſtas, quocum audemus loqui. Similiter neceſſe eſt a Deo id petere, quod honeſtum eſt, quod decet, quod cum ipſi dare glorioſum ſit, tum nobis utile & ſalutare conſequi. In quam rem præclare ſcriptum eſt a Seneca [*Epiſt.10.*] *roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. Quid ni tu iſta vota ſæpe facias? audacter Deum roga . . . . Sed ut more meo cum aliquo munuſculo epiſtolam mittam, verum eſt, quod apud Athenodorum inveni: tunc ſcito, eſſe te omnibus cupiditatibus ſolutum, cum eo perveneris, ut nihil Deum roges, niſi quod rogare poſſis palam. Nunc enim quanta dementia eſt hominum? turpiſſima vota Diis inſuſurrant: ſi quis admoverit aurem, conticeſcent, & quod ſcire hominem nolunt, Deo narrant. Vide ergo, ne hoc præcipi ſalubriter poſſit: ſic vive cum hominibus tamquam Deus videat; ſic loquere cum Deo tamquam homines audiant.* Quod & præceptum eſſe ſanctum philoſophiæ, ſcribit Macrobius (*Saturnal. lib.1. cap.7.*) *ſic loquendum eſſe cum hominibus tamquam Dii audiant: ſic loquendum cum Diis tamquam homines audiant. Cujus*, inquit, *ſecunda pars ſancit, ne quid a Diis petamus, quod velle nos, indecorum ſit hominibus confiteri.* Huic certe præcepto non paret is, qui [*apud Horatium lib.1. Epiſt.16.*]

Jane Pater clare, clare cum dixit, Apollo:
Labra movens metuit audiri: pulchra Laverna,
Da mihi fallere: da juſtum, ſanctumque videri.

Hujus quidem generis precatio maxime eſt Dei majeſtati ac ſanctitati contumelioſa, & digna, quæ acerrime puniatur.

IX. Enimvero ex eorum numero, quæ honeſta ſunt, & quæ decent, ea ſunt in primis, quæ ad Dei laudem & gloriam amplificandam conferunt; tum quæ nos cum Deo gratia & ſocietate conjungunt, & arcto quodam vinculo charitatis. Id etiam a Deo petere honeſtum eſt, quo vitam tueamur, ut cibum, ut veſtem. Alia vero bona corporis & fortunæ, ut robur, ut valetudinem, ut honores, ut divitias & facultates, quæ habere poſſunt aliquam opportunitatem, ſed tamen ſæpe virtuti contraria ſunt, ita demum licet a Deo poſtulare, ſi ad ejus cultum & religionem, at-

Digitized by Google

que ad animi ſalutem, incolumitatemque ſint profutura. Si precationem ſuam his finibus circumſcripſit Iſomacus, non eſt admodum reprehendendus, qui (*apud* Xe*nophontem in Oeconomico tom. 2.*) *conor*, inquit, *quantum mihi fas eſt ſupplicanti valetudinem in primis, viresque corporis, deinde honores in civitate, benevolentiamque apud cives, & in bello ſalutem, poſtremo rei familiaris boneſtam amplificationem* (a Deo) *impetrare*. Verum quod in primis bonam valetudinem oret, non eſt id quidem laudabile; cum alia ſint, ut dixi, multo graviora, quæ primum in precibus locum tenent. Ad eorum genus, quæ non ſemper utilia ſunt, revocantur bonitas & acumen ingenii, ornamenta item artium & diſciplinarum; quæ iccirco expeti & quæri poſſunt a Deo, ſed ea, quæ tradita eſt, norma ſervata.

X. Cum vero preces ad colendum Deum referantur, conſequens eſt, eas adhibendas eſſe frequentius, quoad fieri poteſt; quamquam id non videamur impetrare, quod volumus: nam ſemper cernitur in precatione religio & pietas in Deum, quæ virtus eſt præſtantiſſima, & nobis etiam maxime fructuoſa. Verum non eſt dubitandum, quin, ſi quæ honeſta & opportuna ſunt, ea petamus, non ſimus voti compotes futuri: vel enim differuntur beneficia cum fructu, vel alia dantur multo ampliora: quoniam probe ſcit Deus, quæ ſit optima hominum indigentiæ, & commoditati conſulendi ratio. Quamquam vero ubique orandus eſt Deus; tamen in templo maxime; quippequod ad religionis officia conſtitutum eſt, & quaſi peculiaris deſtinatus locus, ubi Dei beneficentia appareat in genus humanum.

PARS

Digitized by Google

PARS II.

I. Officiis in Deum, de quibus dixi, proxime adjuncta ſunt officia hominis in ſe ipſum: quiſque enim ita natura inſtitutus eſt, ut primum diligat Deum, tum ipſe ſe, ac tandem alios, quibus naturæ ſocietate copulatur. Officium hominis adverſus ſe in eo ſitum eſt, ut is ſtudeat ea facere, quibus perfici, & beatus eſſe poſſit, fugiatque contraria. Atque hic honeſtus eſt amor in ſe, a quo officia, quæ ſibi quiſque præſtare debet, omnia proficiſcuntur.

II. Quoniam vero conſtamus ex animo & corpore, in utriuſque curatione & cultu elaborandum eſt; ſed animi primum propter ejus præſtantiam & dignitatem. Rurſus cum animus duplici vi & facultate præditus ſit, alia, qua intelligit, alia, qua vult, præſcribit officium, utramque oportere perfici; alteram quidem veritate opinionum, alteram morum probitate. Tum & corpori ſuum conſtet officium neceſſe eſt, cui icciro paranda ſunt omnia, quæ ad valetudinem, & vitæ uſum neceſſaria, aut opportuna videantur; quales ſunt res externæ, quæ partim poſſunt etiam ad animum pertinere.

III. Itaque de his officiis nunc dicam; quibus qui perfungatur diligentius, is futurus eſt non modo honeſtus ac bonus, ſed utilis item, & commodus humanæ ſocietati: habebit enim id, quo prodeſſe quamplurimis & poſſit, & velit. Contra, qui prætermittit officia in ſe, non ſibi tantum nocet, ſed etiam reipublicæ, aut certe nullam ei utilitatem parit.

CA-

mo dementiæ. Quamobrem non ſunt audiendi, ut mihi videtur, qui rationem, cur res ſit, aut hoc modo ſit, in re ipſa contendunt eſſe, non in Dei voluntate. Ex quo putant conſequi, mundum, non ſecus, quam factus ſit, effici potuiſſe, nec quicquam ei perfectionis addi, vel detrahi; propterea quod optimum ſit, oporteat, quod ab optima exiſtit, præſtantiſſimaque natura. Hæc quidem, & horum ſimilia arrogantis ingenii ſunt, & de potentia Dei, ſapientia, libertare temere diſputantis.

IV. Similiter de rebus ſacris, de religioſis ritibus, & cæremoniis, de ſacerdotibus, atque omnibus ſacrorum miniſtrorum ordinibus, aliiſque hujus generis oportet ſentire cum dignitate: qui enim hæc aſpernatur, idem nec Deum magni facit; cum ejus cultus ab eorum reverentia, quæ ipſis dicata ſunt, divelli non poſſit. Quamobrem male Puſendorfius [*de Jure naturæ*, & *Gent. lib.*2. *cap.*4. §.4.] pleraque religioſa inſtituta arbitratur eſſe humanæ reipublicæ, ac vitæ civili minus accommodata, quaſi certum illud vivendi genus qui profitentur, ii cœtus ſint hominum ocioſorum, & laute vivant, & opipare epulentur impenſis alienis. Quæ opinio pervaſit in animos plurimorum, & etiam inter noſtrates latius diſſeminata eſt non ſine contemptu religionis: hinc enim fit, homines Deo ſacros nullo fere in pretio eſſe apud multos. Cæterum nulla eſt talis familia ac communitas, ex qua commoditatis plurimum non proficiſcatur in chriſtianam rempublicam, cui vel ii proſunt, qui a turbis remoti ſibi tantum videntur vivere: ſi enim exercent ſeſe in ſtudio pietatis, & precibus, & contemplationi vacant, & animo excolendo ſuo operam dant, præterquamquod in re honeſtiſſima ætatem conſumunt, maximeque neceſſaria, etiam publicæ utilitati conſulunt: nam ſaltem Deum placant hominum flagitio ac ſcelere laceſſitum. Quod ſi qui ſunt otioſi ac deſides, non propterea in omnes invidia conflanda eſt. Profecto quanto plures ſunt nulli ſacro inſtituto addicti, qui vitam otioſam ſine ullo labore & contentione traducunt? immo, cum ludis, oblectamentis, ſomno, epulis, voluptatibus, & flagitiis ſe totos dedant, & ſibi nocent, & reipublicæ? & tamen contra religioſa inſtituta propter quorundam, qui ea profitentur, deſidiam, atque otioſita-

Digitized by Google

ſitatem, aut ſi mavis, etiam peccata, turbæ excitantur, & nullus eſt querimoniarum & criminationum finis, cum cæteroquin plerique & pietatis officiis, & ſtudio literarum maxime utiles ſint, immo neceſſarii humanæ ſocietati.

V. Tum neceſſe eſt, recte de ſe ipſo quemque ſentire, eique præcepto parere: *γνῶθι σεαυτόν*, *noſce te ipſum*. Huc autem pertinet exiſtimare, nobis eſſe mentem & rationem datam, ut hoc utamur eximio munere ad ejus cultum & gloriam, a quo eſt data, ad cognitionem veritatis, rerumque honeſtarum, ad regendas, comprimendaſque cupiditates, ac repellendam opinionum perverſitatem, quæ præſertim redundat in mores. Quæ iſtæ ſint, non modo longum, ſed fere infinitum eſſet enumerare: quaſdam tamen, quæ magis familiares, uſitatæque ſunt, afferam exempli cauſa.

VI. Solent autem ex perturbationibus, & pravis affectionibus proficiſci; interdum etiam ex vacuitate doctrinæ. Hinc fit, ut, quod nobis utile aut commodum putamus eſſe, idem etiam verum, honeſtumque videatur. Hoc autem ſemen eſt uberrimum diſcordiarum inter homines, qui de re quadam litigant, qui contrahunt, qui agunt quidpiam cum aliis, qui inſtitutum aliquod profitentur: alii enim in alios diſſentientes acriter invehuntur, quaſi acerbiſſimi hoſtes cum hoſtibus manus conſerant. Quamobrem non modo audimus jurgia, ſed videmus ſæpe libros plenos contumeliis in homines cæteroquin doctos ac bonos, & ſæpe in integram communitatem; quod non modo a chriſtiana caritate, verum etiam ab honeſtate omnino alienum eſt. Videlicet id defendunt, ex quo plus capiunt utilitatis & emolumenti apud ſuos. Invenias item non paucos, qui cum penitus infixum habeant in cerebro, cauſam ſuam certa ratione niti ac fulciri, contemnunt & rident argumenta contraria etſi firma & aperta, & ſano cuique perſpicua, aut ſaltem admodum probabilia, & adverſarium habent ſophiſtæ loco, quem ne audire quidem aut poſſint, aut velint ſine ſtomacho.

VII. Odium & amor in quos errores, in quas perverſas opiniones inducat, vix credibile eſt: qui amantur, ii boni ſunt, urbani, modeſti, eruditi etiam ac docti, ac prudentes: qui odio habentur, iidem improbi, rudes, intemperantes, ignari, expertes conſilii, & nulla dote præditi.

Hoc

Hoc autem maxime familiare eſt, & quotidiana experientia compertum: nam qui ab amicis laudatur, idem vituperatur ab inimicis: immo qui hodie aliquem laudant, cum cras, qui tamen in ſeſe idem eſt omnino, vituperant propter acceptam repulſam, aliamve cauſam. Ex quo apparet, quanti hominum laus, aut vituperatio facienda ſit.

VIII. Similiter nimia gloriæ cupido, ſtudiumque vehementius magna eſt quædam ſeges perverſarum opinionum: facit enim, ut nos ipſos magni æſtimemus, & noſtra; alios autem pauci. Quamobrem ſi quid a nobis factum, dictum, ſcriptumve eſt, id ita defendimus, quaſi eſſet pro aris & focis dimicandum: quæ hactenus a nobis ignorata ſunt, ea reprehendimus, aut ridemus, ne indocti fuiſſe, aut aliquando erraſſe videamur. Hac de cauſa plures ſunt, qui novam philoſophandi rationem omnem damnant aut erroris, aut inanitatis. Hinc etiam naſcuntur literariæ contentiones ac pugnæ quamplurimæ, in quibus non de veritate certatur, ſed de propria tuenda ſententia; hæc vero inſulſane ſit, & inepta, nihil intereſt; noſtra cum ſit, vera debet eſſe, quam ſi quis oppugnet, & reſpuat, is dignus eſt, qui omni conviciorum genere proſcindatur, habeatque ſaltem cum aſinis ſocietatem: quæ quidem cum viris etiam bonis & doctis agendi ratio, quam ſit contra officium, urbanitatemque, ne quid gravius dicam, nemo non videt. Eadem in publicis, aut privatis diſputationibus ſæpe contingunt, ubi non veritatis habetur ratio, ſed ira ac rabies & contentio dominatur; & ædes plerumque ſacra inconditis clamoribus ac vociferationibus perſonat.

IX. Solet autem ex præcellendi ſtudio naſci etiam invidentia, quæ judicio maxime inimica eſt: quoniam menti tenebras offundit, quæ iccirco vel bona, quæ in adverſario ſunt, aut non videt, aut ducit in malis; & quod in oratione, aut libris occurrit forte vitioſum, in id intendit, prætermiſſis aliis, quæ præclara ſunt, maximeque laudanda. Quo fit, ut ſi cui verbum excidit minus elegans ac politum, aut a veritate alienum, ejus tota contemnatur oratio. Profecto videmus quoſdam, qui ſemper laudant ſua, carpunt aliena, contradicunt, aliis ſeſe anteponunt, quod græculorum proprium eſt (vulgo *pedanti*) de ſe ipſi loquuntur, nun-

Digitized by Google

quam fateri volunt ſe deceptos ulla in re, narrant pericula, e quibus evaſerint, toleratos labores, res geſtas, & modo ſemper habeant ſeſe in ore, etiam vitia. Eam ob cauſam vel celeberrimi viri ab ignaris, aut invidis, qui bonum a malo non ſecernunt, verum a falſo, vituperantur.

X. Ex nimia gloriæ opinione manat item audacia & temeritas in adeundis periculis, ædium inſolens magnificentia, villarum ſupellectilis, epularum, funerum, ſepulcrorum, multitudo famulorum, ſumptus, qui extra modum prodit, in ſpectaculis, in ludis, in quadrigis & curribus; iccircoque non raro everſio familiarum propter ſuſceptum æs alienum, quo exhauriuntur patrimonia: quem caſum etiam alii ſentiunt, quibus deinde homines glorioſi, quod debent, id non poſſunt ſolvere.

XI. His quidem malis, aliiſque aditum intercludit vera, atque incorrupta opinio de gloria: eſt enim intelligendum, eam non ex externis rebus, ſed maxime ex virtutibus quæri oportere: hæc ſolida eſt, & firma; cum illa ſit inconſtans & popularis. Quocirca non faciunt ſapienter, qui ſe pluris æſtimant, cum habitant in ampla domo, cum pretioſa induti veſte procedunt, cum vehuntur in rheda, quam cum vulgari aut æde, aut veſte utuntur, aut pedibus iter faciunt.

XII. Verum non ab amore tantum, & odio, & gloriæ ſtudio perverſæ opiniones oriuntur, ſed etiam a qualibet affectione (ut enim affecti ſumus, plerumque judicamus) & aliis fontibus, præſertim ab inconſiderantia & ignoratione, ut paullo ante dixi. Sunt enim qui de rerum veritate judicant ex eo, quod quidpiam acceperint a viro aut nobili, aut locuplete, aut ſene; neque ſatis animadvertunt, ſæpenumero nobilitatem eſſe, & opes, & copias ſine ſapientia, ac rerum uſu. Ipſi iidem, qui nobiles, aut locupletes ſunt, ſibi præ cæteris videntur ſapere, ac putant, animum ſuum eſſe divitiis ac dignitati parem; cum ſecus ſit aliquando. Alii, iique plurimi ſpecie capiuntur, ut loquentis aſpectu, facie, eloquentia & modo; cum videndum ſit, quid dicatur, non a quo, aut quomodo. Non omnia vera ſunt, quæ ſcribit aut Socrates, aut Plato, aut Ariſtoteles, aut Tullius, aut etiam majores noſtri interdum etſi pietate, morumque pro-

probitate, atque eloquentia & doctrina præſtantes. Quidam, an conſilium ſit prudenter aut ſuſceptum, aut datum, æſtimant ex eventu; quidam ex plurium ſententiis, non ex ratione permoventur ad judicandum: hi ex una actione conſuetudinem faciunt, & mendacem V. C. eum vocant, qui mentitus eſt ſemel, aut iterum; illi, quod ab uno homine peccatum eſt, id transferunt ad integram communitatem, aut gentem, & omnes ajunt improbos eſſe, quia unus, aut alter ex ea ſocietate, aut gente deliquit. Alii in unam cauſam effectum referunt, qui poteſt a pluribus proficiſci, atque eum ſuperbum nominant, qui prætermiſit officium fortaſſe propter oblivionem, aut negocia & curas (*vid. Ars cogitandi Diſſert.*1., *& part.*3. *cap.*20.) Hæc quidem judicia iniqua ſunt, nec virum bonum & ſapientem decent.

XIII. Quibus efficitur, perturbationum vacuitate, & ſcientia opus eſſe ad bene judicandum. Quo autem pacto regendæ ſint affectiones, dixi libro ſuperiore: ex quo etiam poteſt intelligi, quæ ſint rectæ de opibus ac divitiis, de gloria, de principatu, de libertate, de voluptate ſententiæ. Nunc de doctrinis, quibus mens imbuenda eſt, ne erret, pauca dicam.

CAPUT II.

Alterum hominis Officium in ſe eſt mentem ornare artibus & diſciplinis.

I. QUamquam homo præditus eſt ratione; tamen hæc jacet plerumque tenebris involuta, niſi literarum lumen acceſſerit. Quo autem magis ratio perfecta eſt, atque exculta, eminetque doctrina & ſapientia, eo longius diſtamus a belluis, & aptiores ſumus ad judicandum congruenter veritati, iccircoque ad eam abjiciendam opinionum perverſitatem, de qua dixi capite ſuperiore. Hinc etiam multum commodi permanat in hominum ſocietatem: nam vir in primis doctus & eruditus poteſt prodeſſe quamplurimis, & ſapienter regere non ſe modo, ſed & aliis præeſſe, & gradum ſuſtinere cum dignitate.

II. Quamobrem eorum omnium eſt repudianda ſententia, quibus videtur literatos viros non valere prudentia, nec idoneos eſſe ad gerenda negocia: quamquam enim qui ſoli vivunt, & in bibliothecis conſeneſcunt, atque uſu carent, & conſuetudine hominum, iidem non ſoleant eſſe prudentes; tamen multo facilius effici poſſunt, ſi ad doctrinam, ad præclaras ſententias, quas memoria tenent, & dicta & facta ſapientum, in quibus verſati ſunt, ad acre, expolitumque ingenium accedat exercitatio rerum quarumdam publicarum; nam multo melius, quam imperiti, intelligunt, quid ſit æquum & bonum, quod eorum ingenium, quibuſcum res agitur, quæ affectionum vis & natura, quis tenendus modus, quæ via ad finem aſſequendum magis accommodata; unum cum alio comparant, unum ex alio eliciunt, rem conſiderant; quæ vix in hominem indoctum cadunt. *Rebus gerendis deditus* (hoc eſt, qui adminiſtrat negocia) ait Plutarchus (*de Educand. liber.*) *philoſophiæ ignarus rudis eſt, & facile errat. Pro viribus igitur enitendum eſt, ut & publica tractemus, & quantum ratio temporis ſinit, philoſophiæ nos demus.* Quamobrem accepimus ex monumentis literarum, eos fere cum laude

de populis præfuiſſe, qui philoſophiæ, aliarumque ſcientiarum gloria florerent; qualis olim fuit M. Aurelius Antoninus, Lycurgus, Solon (*vid. Suidam v. Marcus, v. Lycurgus, & v. σόλων*) Scipio Africanus (*Vellejus Patercul. lib.1.*) Lucullus, de quo ſcribit Cicero [*lib.4.*] vel ut alii ſcribunt (2.*Acad. qq.*) aliique multi. Scimus item, graviſſima negocia doctorum virorum ſolertia eſſe confecta. Contra vero vix dici poteſt, quot incommoda ex rerum ignoratione in ſingulos, in familiam, in civitatem, in rempublicam proficiſcantur.

III. Sunt autem ſcientiæ aliæ quidem neceſſariæ, aliæ utiles, aliæ ſupervacaneæ. Neceſſariæ ſunt eæ, ſine quibus non poſſis bene, honeſteque vivere, aut fungi munere tuo. Quapropter officiorum aut in Deum, aut in ſe, aut in alios, quæ prætermitti non poſſunt ſine culpæ nota, cuique eſt cognitio neceſſaria, atque illæ ſimiliter ſcientiæ non debent ullo modo negligi, quæ congruunt vitæ generi, aut inſtituto, quod profiteris; V. C. juriſconſultus, aut judex calleat neceſſe eſt juriſprudentiam, medicus artem corporum curandorum, ſacerdos jus divinum, pontificium, & ea, quæ Codice continentur accepto divinitus, atque alii aliis ſcientiis inſtructi debent eſſe pro muneris ſui varietate.

IV. Utiles ſunt, quibus carere poſſis quidem ſine peccato & turpi nota; ſed his tamen potiris cum fructu aut tuo, aut alieno; ut ſi ſacerdos cum ſis, & præſis ſacris, legas hiſtoriam, aut aliquam operam colloces in arte critica, aut interdum etiam medica ad tuendam ſanitatem.

V. Supervacaneæ & inanes ſcientiæ ſunt, ex quibus nullam, aut fere nullam capis utilitatem, ut ſunt multa, quibus ſcholæ ſuperioribus ſaltem ætatibus perſonabant, & referta erat cum philoſophia, tum theologia, quæ quidem a nonnullis etiam nunc retinentur vel inſcitia rerum meliorum,

Vel quia nil rectum, niſi quod placuit, ſibi ducunt,
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri.

(*Horatius lib.2. Epiſt.1.*) non certe quia pontificiæ domina-

tio-

tionis interſit, præclara ingenia inanitatibus detineri, ut putat Puſendorfius (*lib.2. cap.4. §.13.*) etenim quæ ſcholæ pateant in regno pontificio, quæ Romæ, quæ Bononiæ, quæ aliis in locis, & quam graves ſcientiæ tradantur, compertum eſt omnibus. Sed & illi ipſi, qui veterem improbant ſtudiorum rationem, ad alia interdum ſeſe non multo utiliora convertunt: quorſum enim tam multa de principiis rerum phyſicarum, de punctis Zenonicis, de atomis, de monadum, quas vocant natura, de loco, de tempore diſputentur? quorſum tam operoſe quæratur, poſſit ne corpus in partes infinitas dividi, ſitne ſpatium quidpiam a Deo non conditum, idemque ſempiternum? ne de aliis dicam, in quibus inveſtigandis multum ineſt laboris & moleſtiarum; utilitatis autem fere nihil? Quo ſpectat illud Martialis (*lib.2. Epigr. 62.*)

Turpe eſt difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

Nec vero nimia ſubtilitate multis in locis caret theologia: quo fit, ut obſcura evadat, & involuta rerum divinarum diſputatio: de libero arbitrio, de gratiæ, quam theologi vocant, efficacitate ac vi, de voluntate Dei ac decretis, & aliis generis ejuſdem infinitæ controverſiæ excitatæ ſunt, quibus volumina complentur. Quo autem quiſque majorem habet ſcientiarum ſoliditatem atque eminentiam, eo inanes ac ſubtiles quæſtiones minoris facit.

VI. Sunt etiam diſciplinæ quædam periculoſæ, ut poeſis adoleſcentibus: cum enim poetæ multa ſcribant intemperate, atque in amatoriis inanitatibus ſæpe verſentur, ſuaviterque ſe inſinuent in mentem, facile vitæ innocentiam commaculant, præſertim cum ætas adhuc tenera eſt, & mollior. Quamobrem Plato philoſophus maxime accuratus ac ſapiens a republica ſua poetas abeſſe juſſit: quam ſententiam & Tullius probat (*Tuſcul. qq. lib 2.*) *Videſne*, inquit, *poetæ quid mali afferant. . . . . molliunt animos noſtros: ita ſunt deinde dulces, ut non legantur modo, ſed etiam ediſcantur. Sic ad malam domeſticam diſciplinam, vitamque umbratilem & delicatam cum acceſſerunt etiam poetæ, nervos omnes virtutis elidunt.*

ſunt. *Recte igitur a Platone educuntur ex ea Civitate, quam finxit ille, cum mores optimos, & optimum reipublicæ ſtatum exquireret*. *At vero nos, docti ſcilicet a Græcia, hæc & a pueritia legimus, & didicimus, hanc eruditionem liberalem, & doctrinam putamus*.

VII. Nihilominus vetus cum ſit, atque inveterata conſuetudo poetas explicandi etiam in publicis academiis, hinc ſatis poteſt intelligi, eam eſſe laudabilem. Quem fructum ex his cœperint & Auguſtinus, & Baſilius, & Gregorius, qui Nazianzenus eſt dictus (*vid. Rollinum de Ratione ſtudiorum tom.* 1. *lib.*2. *cap.*1. *art.*3.) & Theodoretus, & Euſebius, aliique ſummi viri; eorum libri in lucem editi aperte demonſtrant (*vid. Auguſt. de Civit. Dei, Baſilium cum alibi, tum in Orat. ad Adoleſcentes, quomodo poſſint ex gentilium libris fructum capere. tom.*2. *Greg. Nazianz. in carmin., Theodoret. de Affectionibus Græcorum, Euſebium de Præparat. evangel.*) A Poetis profecto quammulta tradita ſunt, quæ ad rationem officiorum, morumque præcepta pertinent (*vid. Facciolatum in Orat. ad Ethica*) Eorum ſententiæ in adoleſcentum animis facilius imbibuntur propter ſuavitatem. Quem non mirifice delectant Phædri fabulæ numeroſæ, elegantes, ornatæ? aut etiam ſæpe melius non erudiunt ac movent, quam præcepta philoſophorum?

VIII. Verum magna cura & cautio adhibenda eſt cum in delectu poetarum, tum etiam locorum, quæ aut legantur, aut explicentur. Hanc cautionem præſcribit Plato: quamobrem non poetas omnes repellit e civitate, ſed periculoſos ac turpes. *Quod melius exemplum*, inquit (*de Legib. Dial.*7.) *legum cuſtodi, atque doctori proponam, non habeo, quam ut magiſtros cogant pueris hæc exponere, & quæcumque alia his ſimilia, ſive poetice, ſive ſoluta oratione ſcripta ſint*; hoc eſt, ut paullo ante dixerat, quæ ſint omnino honeſta, & bonis moribus conſentanea: nam *multa*, ſcribit (*cit. loc.*) *a poetis probe, multa etiam contra eſſe dicta*: tum additur: *quod ſi ita habet, multorum ediſcendorum ſtudium juvenibus periculoſum eſſe aſſero*. Quinctilianus ſimiliter idem ſentit, & quædam ait Horatii loca nolle ſe interpretari juventuti: ſic enim ille (*lib.* 1. *Inſt. Orat. cap.* 14.) *alunt & Lyrici, ſi tamen in iis non auctores modo, ſed etiam partes operis elegeris*

Nam.

Digitized by Google

Nam & Græci licenter multa, & Horatium in quibuſdam nol-lim interpretari.

IX. Quo efficitur, permittendos non eſſe manibus adoleſcentum eos poetas, in quibus quædam ſint aut obſcena, aut amatoria; quamquam multa alia occurrant optima: quis enim certus ſit fore, ut oculos a periculoſis contineant, eligantque meliora? præſertim cum ætas illa voluptatis illecebris maxime capiatur? & proclivior fere ſit ad turpitudinem, quam ad honeſtatem? quis autem adeo perditus ſit, ac deſipiat, ut nihil putet intereſſe, literarum cauſa adoleſcentum animos inquinari interdum in omne poſterum tempus? Sinant igitur, qui juventuti præſunt, homines quoſdam rerum ignaros, & formandorum morum imperitos clamare pro libito, ac diſſeminare in vulgus, eos hoſtes eſſe muſarum, & humanioribus literis bellum indicere: nam ingenuo cuique, & liberali viro humanitatis ſtudia placere conſentaneum eſt; ſed in primis habenda eſt ratio probitatis; qua ſublata, fere & vera, ſolidaque ſtudia tolluntur. Itaque gratiæ agendæ ſingulares ſunt iis, qui poetas ab obſcœnitate qualibet repurgarunt; hi quidem etſi a quibuſdam temere vituperantur, quaſi, amputatis partibus, poeſeos pulchritudinem, formamque violarint; tamen ſummopere laudantur a ſapientibus: nihil enim pulchrum poteſt eſſe, quod turpe eſt.

X. Ex genere noxiarum diſciplinarum non ex ſeſe, ſed fortuito, ſunt etiam, quæ impediunt, quominus munere fungaris tuo. Medicus V. C., aut juriſconſultus cum ſis, aut animorum curationi præfectus, cur, neglectis iis, quibus opus eſt ad hæc munera bene & ſapienter adminiſtranda, in poeſi, in antiquitatis perſcrutatione, & nummorum, in veterum hominum moribus, calceis ac veſtitu, & re militari tempus, operamque, conſumas, & rebus neceſſariis vacuus quæras ornamenta, & gloriæ inanitatem conſecteris?

XI. Quocirca cum ſcientiæ ſint aliæ neceſſariæ, aliæ utiles, aliæ inanes, aliæ tandem detrimentoſæ, ut hactenus dixi, in primis informandus eſt animus neceſſariis, tum aliis, quæ maxime utiles & opportunæ videantur. Hoc præ reliquis curent neceſſe eſt ii, qui erudiunt juventutem. Ariſtippus *rogatus, quænam honeſtos pueros oporteat diſcere? ea*, inquit, *quæ viris uſui futura ſunt?* [*Laertius lib.* 2. *cap.* 8.

num.

*num.*4.] Beati hi quidem, ſi præceptores & educatores habeant eruditione & doctrina præditos, & bonitate judicii, a quibus intelligant, quid ſit in ſcientiis optimum, quid præclarum, quid ſalutare, & quæ ſtudiorum ratio ad eas comparandas accommodata. At ſi in alios incidant, qui neque ſcientia valent, neque mente & judicio, præterquamquod pravis imbuuntur opinionibus, quæ vix ulla temporis diuturnitate deleri poſſunt, diutius detinentur in nugis, coguntur que multum ætatis conſumere in tricis grammaticorum, aut in conſcribendo epigrammate; atque in his immorari, quaſi utilius nihil ſit, quod addiſcant. Equidem nonnullos audivi, quibus ſemper in ore eſſet præſtantia artis rhetoricæ, in qua idcirco diutius exerceri oporteret adoleſcentes. Non repugno, ſi, quid rhetorica ſit, inter nos conveniat. Quod ineſt in ea præcipuum, non verba ſunt, non ſermonis elegantia, non numerus figurarum, quæ ſunt tantum ut colorum adumbratio in pictura; at res, & ſententiæ, quæ ex philoſophia hauriendæ ſunt, ex theologia, ex hiſtoria, ex juriſprudentia, aliiſque diſciplinis, non ex Polyanthæa: immo ſi ſcientiæ deſint oratori ac rhetori, deerit non vis modo orationis, non modo apta materies, ſed & ordo, atque ipſa eadem elegantia, & figurarum varietas, ac tota dicendi forma putida erit, & ſcholam ita ſapiet, ut ineruditis & indoctis fortaſſe placeat, aut nauſeam excitet ſapienti. Quapropter adoleſcentes intelligant, ſe ex humaniorum literarum ſchola (ſic enim potius videtur, quam rhetorices nominanda) poſſe conſequi loquacitatem, non eloquentiam. Uberem tamen inde fructum capient, ſi optime diſcant latine loqui, latinorumque auctorum, ut Tullii, ut Cæſaris, ut Nepotis, ut Virgilii, ut Horatii ſententiam animo comprehendant, patrioque ſermone eleganter exprimant. Tum ſtatim ad graviores alias diſciplinas ſe conferant, ſi velint in rhetorica etiam arte proficere; neque eos audiant, qui ſæpe id contemnunt, aut vituperant, quod ignorant; & putant, ſcientiam omnem arte illa contineri, quam profitentur, quamque nec ipſi ſatis callent, cum præſidio careant aliarum ſcientiarum, ſine quibus ars dicendi nulla omnino ſit, aut certe langueat, neceſſe eſt.

XII. Non debent autem fere adoleſcentes multarum rerum ſtudio implicari: qui enim multa ſimul velint diſcere, nihil diſcunt. Quamobrem ii faciunt inconſiderate, qui modo hunc librum, modo illum ſumunt in manibus, tum vero abjiciunt, & faſtidiunt ut quotidianum, & nimis familiarem cibum, quaſi apes, qui ex uno in alium florem illico volitantes, ex nullo mel eliiciunt, nec deferunt ad alvearia. Quædam ingenia ſunt, quæ huc, atque illuc vagantur, nec videntur poſſe ulla in re hærere diutius; vel hærent in levioribus; cum his tamen ſemper ſint ſtudia præferenda graviora, quamquam minus ſuavitatis tenello adhuc palato habere videantur.

XIII. Illud autem tenendum eſt, in ſtudio literarum ſemper quæri oportere veritatem, inaneſque contentiones & pugnas, quibus illa obruitur, declinari, quales ſunt, quas vel olim deſcripſit Agathias, & noſtratibus ſunt perquam ſimillimæ: *ſua habent*, inquit, (*tom.* 3. *Hiſt. Byzant. lib.* 2.) *conciliabula; prout cuique libitum fuerit, irreverenter de ſublimibus hiſce rebus, divinisque quæſtionibus ſermones miſcent, & ſemper de iiſdem argutantes nec ipſi aliis quicquam perſuadent, nec de concepta ſemel opinione, qualiſcumque tandem ea ſit, diſcedunt, ſed eadem ſemper mordicus retinent & tuentur: finitaque altercatione, infenſis inter ſe animis diſcedunt, & apertis conviciis ſe mutuo laceſſunt . . . . . atque ita ſolvitur ipſis certamen, ægreque diſcedunt nullo cum fructu dato, vel accepto*. Ridiculæ hæ pugnæ honeſtum ac ſapientem virum non decent, cujus eſt acquieſcere veritati, & id ſequi, quod probabilius videatur: neque enim turpe eſt in dies diſcere, ſed in errore perſeverare velle, turpiſſimum. Ex quo etiam ſequitur, ut nullus ſit diſſenſionum finis, & arma ſæpe, quibus decertatur, non argumenta ſint, non ratio, ſed contumeliæ & convicia ſummo cum dedecore literarum; & quamquam quiſque ſimulet, ſe amicum eſſe veritatis; tamen multi ſatis oſtendunt, ſe dimicare pro victoria etiam inique reportanda ex adverſario, vel pro amico, pro inſtituto, pro patria. Hanc omnino ſententiam tueri debet, qui Italus ſit, aliam qui Gallus, & variam pro inſtituti varietate, quod quis profitetur: quamobrem ſtudio partium ſæpenumero locus eſt, non veritati, quam cæteroquin habeat ſibi propoſitam

Digitized by Google

tam oportet is, qui non fucatæ, at ſolidæ doctrinæ gloriam ſectari velit.

XIV. Qua in re videndum eſt etiam, ne, quod fieri ſolet, auctoritate fallamur: debet enim in ſcientiis valere ratio, qua quia multi uſi non ſunt una auctoritate contenti, graves quidam errores longe, lateque manarunt: quis enim, ſi rem attentius conſideret vel *ſubſtantialem formam* V. C. in corpore ſenſus experte, vel cadavericam in eo, ex quo anima exceſſit, ineſſe ſibi perſuadeat? Sed auctoritate factum eſt, ut hæc, & alia defendantur a multis. Quot ſunt, quæ vera iccirco exiſtimantur, quod a Socrate, a Platone, ab Ariſtotele ſcripta ſint? ita quidem ut ſæpe, non quid verum, ſed quid ſcriptum ſit, diſputetur; cum tamen nullus ſit hominum etſi ingenio & doctrina præſtantiſſimus, qui errare & labi non poſſit.

XV. Tandem tunc ſtudia literarum ſunt maxime profutura, & neceſſaria, & opportuna judicanda, ſi ad id conferunt, quod eſt extremum bonorum: quæ animum avocant a ſummo bono; ea noxia ſunt, quæ huc non referuntur, ſaltem inania. Non eſt autem ſapientis in pernicioſis, aut vanis laborare, tempuſque conſumere, quod ad præclara gerenda, parandamque felicitatem datum eſt. Quo in loco id moneo, tum ei, qui poſſidet, tum fere reipublicæ nocere doctrinam, quæ adjunctam habet improbitatem: eſt enim inſtar gladii in hominis furioſi manu, qui & ſe conficere, & alios poteſt: qui enim ſcientia valet, is eſt aptior ad calliditatem, ad dolos, ad fraudes, ad maleficia. Quæ peſtis fuerint humanæ reipublicæ viri nefarii, iidemque literis eruditi, ſcimus experientia. Certe Petrus, qui Martyr eſt dictus, & Aonius Palearius non mediocriter labefactarunt ſtatum hujus civitatis.

XVI. Cæterum hoc omnibus, ſed in primis adoleſcentibus perſuaſum velim, literas ad omnia eſſe opportunas, ad honeſtatem, ad utilitatem, ad voluptatem. Primum animum ornare, atque expolire doctrina honeſtum eſt, & laudabile, ut cuique compertum eſt: quid enim magis poteſt eſſe rationi conſentaneum, quam ignorantiam, quæ plurium malorum fons eſt, a mente depellere, & hanc perficere & illuſtrare ornamento & lumine literarum?

XVII. Deinde hæc ſtudia ſummam habent utilitatem: conferunt enim ſingulis ad ſolidam & germanam gloriam cum apud omnes, tum maxime apud ſapientes; conferunt ad honeſtam amplificationem rei familiaris. Tum vero quanto bono ſint reipublicæ, & religioni vix dici poteſt: ab eruditis & doctis viris ſunt honeſta conſilia, ſalutaria præcepta, præclaræ leges, libri, hiſtoriæ, quibus & privati, & principes viri, & magiſtratus erudiantur, & defenditur & ſuſtinetur ſacra religio. Quod ſi interdum clades quædam infertur aut bonis moribus, aut religioni, aut communitati etiam ab iis, qui eruditi ac docti videantur, hæc hominum culpa eſt, non diſciplinarum. At qui perverſe ſcientia utuntur, ii a Deo graviſſime punientur.

XVIII. Poſtremo quantam, quam liquidam, quam præclaram ex literis capit animus voluptatem? Equidem dicere ſoleo, ſi nullus alius hinc fructus exiſtat [exiſtunt autem quammulti, & illi quidem ampliſſimi] propter hunc unum, hoc eſt, voluptatem, enitendum cuique eſſe pro viribus, ut liberalibus ſtudiis det operam, ſcientiiſque potiatur. Eam delectationem qui ſentiunt, reliquis omnibus anteponunt: nam ut librorum lectioni, & animo rerum cognitione excolendo vacent, a ludis libenter abſtinent, a theatro, a familiaritatibus, inanibuſque colloquiis, a conviviis etiam, & epulis, quibus alii tantopere delectantur. Habent igitur promptam ac paratam ſemper liquidiſſimam voluptatem, eamdemque firmam ac ſempiternam, cujus nunquam eos pœniteat, qua & frui poſſunt dies ac noctes; ita quidem, ut nunquam minus ſoli ſint, quam cum ſoli: tunc enim non modo ſemper aliquid ſecum ipſi cogitant, ſed cum doctiſſimis viris, qui unquam in terris fuerint, familiariter verſantur, ſi velint, cum Platone, cum Plutarcho, cum Tullio, cum Chryſoſtomo, cum Baſilio, cum Thoma, aliiſque, ut ſe offert occaſio, & lubet voluntati; immo cum Deo, cujus verba ſacro codice continentur. Quid hoc poſſit eſſe jucundius, non video.

XIX. Quamobrem non eſt, cur miremur, ſi tanta jucunditate permulceantur, ut interdum ab ea abſtrahi non poſſint; quamquam ex mentis contentione aliquid detrimenti valetudo capere videatur: eſt enim difficilis temperantia in

eo,

Digitized by Google

eo, quod cum honeſtiſſimum eſt, & pulcherrimum, tum pleniſſimum voluptatis, ideoque ſemel admiſſum coerceri, reprimique non poteſt; ut facilius eſt ab exquiſitis dapibus temperare omnino, quam tum, cum earum ſapor palatum cœperit titillare ſuaviſſime. Hæc ſi adoleſcentes ſibi perſuadeant, reprehenſione opus non erit, aut adhortatore ad acquiſitionem optimarum artium & diſciplinarum; florebunt academiæ, & multi futuri ſunt, qui olim doctiſſimorum hominum æmulentur gloriam, & forſitan aſſequantur.

CAPUT III.

Tertium Officium in ſe ipſum eſt probis moribus informare, & perficere Voluntatem.

I. Nihil eſt morum probitate, ac virtute magis homini neceſſarium: hinc enim pendet felicitas plane omnis cum ſingulorum, tum reipublicæ, cum in terris, tum in ævum ſempiternum, ut dixi aliis in locis. Nihil rurſus, quod magis in noſtra ſit poteſtate: quoniam animum exornare virtutibus voluntatis eſt, non ingenii: quiſque autem velle poteſt, etſi caret fortunæ muneribus, ut opibus, ut divitiis, ut generis claritate, cæteriſque aut corporis, aut fortunæ bonis. Propterea hoc qui negligit, is, præterquamquod ſibi nocet plurimum, & miſerrime vivit, maxime etiam vituperatur; cum ſponte ſuſcipiat turpitudinem, quam repellere facile poteſt & debet.

II. Itaque præſcribit officium, ut omnem plane declines, abhorreaſque vitioſitatem, nec ſinas unquam rationem, quæ domina eſt, ſervire aut avaritiæ, aut intemperantiæ, aut ſuperbiæ, aliiſque perturbatis motibus animorum. Nec vero putes fore, ut, ſi ſemel his ceſſeris, careas moleſtia: cum enim perverſa affectio rationem ſuperarit, tunc evadit maxime violenta, quaſi hoſtis repertata victoria: contra ita ener-

enervatur, ſi obſiſtas, ut paulatim in ea nec impetus ullus, nec vis eſſe videatur. Licet gloriam quærere, ſed quæ ſit ex præclare factis, & referatur ad honeſtatem, non quæ in vulgi opinione & temeritate poſita eſt: licet rem familiarem tueri, & augere etiam aliquando, ſed cum modo, atque ita, ut multum hinc, quoad fieri poteſt, etiam in publicam permanet & redundet utilitatem, & honeſtus ſit uſus divitiarum: licet appetere voluptates, ſed quæ hominis propriæ ſunt, non belluarum: tandem licet uti affectionibus, ſed tamquam adminiſtris ad benefacta: iccirco enim ſunt a natura datæ. De his quidem multa diſputavi libro ſuperiore; quamobrem nihil attinet plura hoc loco dicere.

III. Porro ne vitia ſenſim innaſcantur in animo, diligenter continendi ſunt ſenſus, ut linguæ, ut aurium, ut oculorum, per quos inſinuant ſeſe vitia turpia, rerumque formæ leviorum. Vitanda item ſunt omnia, quæ opportunitatem habent loci, aut temporis ad peccandum; ſecus tum imbecillitate naturæ, tum objectæ rei illecebris faciliſſimum omnino eſt in perniciem trahi. Hæc præſertim adoleſcentum mentibus inhæreſcant, qui prociiviores ſunt ad voluptates, nec ſatis norunt inſidias, quæ incautis ubique tenduntur. Dolent vero deinde, at ſero, & fruſtra, cum ſe in eum locum cupiditate dejectos ſentiunt, e quo vix poſſint emergere.

IV. Verum non ſatis eſt vitia & peccata ab animo removere, oportet eum expolire virtutibus, de quibus libro tertio dixi luculenter. Ridiculum eſt ornare corpus, & parietes veſtire ſignis, & tabulis, & auro, & argento, & lauta, atque eleganti ſupellectile ad delicias; animum vero vacuum & inanem relinquere, ac ſine ullo ornamento virtutum: quæ enim extrinſecus ſunt, ea profecto nobiliorem, melioremve faciunt neminem; ſed præſtantia cujuſque ex honeſte factis metienda eſt; quippequæ tantum noſtræ ſunt poteſtatis; cum reliqua naturæ ſint, vel fortunæ. Iccirco ſcriptum eſt a Boetio (*de Conſolat. Phil. lib. 5. proſ. 6. in. fin.*) *magna vobis eſt, ſi diſſimulare non vultis, neceſſitas indicta probitatis:* hæc enim una hominem ornat, perficit, & beatum facit, ut ſupra dixi.

V.

Digitized by Google

V. Quamquam vero omnes in unoquoque debent eſſe virtutes; ramen quædam ſunt, in quibus ſinguli pro vitæ genere, quod ſequuntur, maxime ſeſe exerceant, neceſſe eſt, ut juriſconſultus, mercator, adminiſter in juſtitia & fide, miles in fortitudine, ſacrorum antiſtes in ardore & ſtudio tuendi honoris divini, & animorum ſalutis procurandæ, atque in aliis alii. Adoleſcentes vero docilitate, obedientia, modeſtia, obſervantia ornari conſentaneum eſt.

VI. Quemadmodum vero debet quiſque eniti vigilantius, ut animum ſuum virtute, morumque probitate perficiat in dies, ita gratum habere ac lætari, ſi in re tanti momenti juvetur ab aliis, a parentibus, a gubernatoribus, a magiſtris, ab amicis, qui ſæpius melius vident, quid in nobis ſit, quod emendandum perficiendumque videatur.

VII. Nec contemnenda ſunt aliorum de nobis judicia, quicumque ii ſint, quamquam malevoli & adverſarii: hæc enim poſſunt ad expoliendos mores conferre plurimum. Sed nos fere ita ſumus comparati propter inſitam in mente ſuperbiam, ut judicia, quæ nobis laudi ſint, arreptis auribus excipiamus, reſpuamuſque contraria. Qui nos adulantur & laudant, eos putamus ſapere ac recte judicare, contra aut invidentiæ, aut malitiæ, aut inſcitiæ, aut odio id tribuendum ducimus, quo noſtræ exiſtimationi, ac dignitati detrahatur. Hæc quidem humanæ naturæ infirmitas & ægritudo cum nota ſit omnibus, & fere nemo ſit, qui eorum, quibuſcum vivit, invidiam ſibi conflare velit, & ſuſcipere inimicitias; iccirco uſuvenit, ut late pateat aſſentationi locus, fere nuſquam veritati. Quo fit, ut deſeratur officium perficiendæ voluntatis honeſte factis, & ſtudio virtutis, quæ vera, ſolidaque ſit, non ficta & ſimulata.

*tom.*5.) In pueris levior ſit labor, qui ſenſim augeri poteſt pro aucta corporis firmitate, & virium robore. Interdicenda eſt etiam pueris mentis agitatio, contentioque vehementior. Albertus Hallerius (*in notis ad cit. loc. Boerhave*) ſcribit, vidiſſe ſe puerum incredibili rerum ſcientia, & eruditione præditum, qui vix 15. annos natus fato functus eſt; juvenem item doctiſſimum, qui in ſtudiis literarum dies noctesque conſumeret, ac anno ætatis 19. nullo morbo conſumptus occidit. Remittendus item eſt labor, & moderandus in ſenectute propter infirmitatem corporis collabentis. Cæterum in exercendo corpore qui mediam viam tenet, is facit ſapienter, non, ut quidam ſolent, qui nunc inſolenti labore corpus affligunt, nunc emolliunt nimia voluptate, aut otio; quorum utrumque in vitio eſt. Quamobrem ut quieti & relaxationi, ſuus debet eſſe & cibo & ſomno locus (*vid. Plutarchum de tuend. Sanit.*) Qua in re plurimum errant ii, qui aut legendo, aut ſcribendo vim mentis ita obtundunt ac debilitant, ut deinde neceſſaria ſit diuturna a labore ceſſatio. Sed hac in re fere a paucis peccatur, & raro; plerique aut turpi otio tabeſcunt, aut vanis occupationibus diſtinentur.

IV. Ut vero exercitatio utilior ſit ſanitati, ea eligenda eſt, quoad fieri poteſt, quæ magis placet & congruit ingenio: alacritas enim prodeſt ipſa per ſe, & torporem excutit, & ſocordiam non de mente ſolum, ſed etiam de corpore: quamobrem quidam viſi ſunt quaſi revixiſſe, cum, inviſo ſtudio relicto, ad gratum, acceptumque, & naturæ accommodatum ſe contulerunt. Porro ſentit Plutarchus (*de tuenda Sanit.*) genus quoddam exercitationis eſſe utile & fructuoſum loqui & diſputare: tunc enim humores moventur in corpore, & augetur calor. Sunt tamen vociferationes fugiendæ, tum quod non decent, tum quod nocent propter conatum, contentionemque vehementem. In cœna autem, aut poſt cœnam præcipit item Plutarchus (*cit. loc.*) ſubtilium & gravium rerum diſputationes omittendas eſſe; quippequæ non athletarum quidem, & otioſorum hominum, ſed certe literatorum caput lædunt, atque perturbant; colloquia autem oportere eſſe de re grata & jucunda, quæ animum erigat, non affligat.

Digitized by Google

V. At varia debet eſſe exercitatio pro corporis varietate: intereſt enim, ſitne pingue corpus, an tenue, humidum, an ſiccum, calidum ne, an frigidum, firmum, an debile: nam quod pingue eſt, humidum ac frigidum multo majore eget exercitatione, quam quod tenue, aut exſuccum, aut calidum, quod & ipſum exercere opportunum eſt, ſed lenius; ſecus non utilitatem ex motu, ſed damnum capit; cum plures partes effluant, quam neceſſe ſit.

VI. Sæpe etiam exercitationis loco eſt temperantia in cibo & vini potu, qua fit, ut pauciores ſint partes, aut fere nullæ, quæ, niſi eas exercitatio, & motus expulerint, nocere poſſint. Sed tamen, ne tum quidem a motu ceſſandum eſt, ne membra torpeant, & nimium remittatur calor in corpore. Hac de re multa ſcripta ſunt ab Hieronymo Mercuriali (*de arte Gymnaſtica præſertim lib.4. primis 9. capitibus*) qui alio in loco (*cap.12.*) exercitationem præſcribit ſingulis ætatibus congruentem, ſenibus quidem leniorem, viris acriorem aliquanto, ſed moderatam; pueris & adoleſcentibus permitti poteſt, ut & incaleſcant interdum, & ſudent, dum V. C. aut pila ludunt, aut trocho; at ſemper expedit ab eo cavere, quod nimium eſt. Atque hyeme quidem multum exercitationi dandum eſt, at ſine ſudore, ne frigus obſit; vere plus, autumno minus, ac rurſus minus æſtate propter debilitatem corporum (*vid. Mercurialem cit. loc. cap.12.* ubi etiam ſcribit, quid poſtulet diverſa corporis conſtitutio) Poſt exercitationem vero opportunum non eſt valetudini ſtatim cibum ſumere, cum adhuc quædam perſeverat in humoribus perturbatio, ſed expectandum, quoad hæc quieſcat.

VII. Prodeſt etiam ſanitati corpus a ſordibus repurgare, manus ac faciem abluere, capillos pectere, veſtes ad tempus accommodare aut æſtivum, aut hyemale, eaſque ſudore madentes exuere tepido ac temperato loco, ne deinde conſequatur frigus, & viæ obſtruantur, quæ patent in cute. Poſtremo nihil eſt, quod magis conferat ad corporis ſanitatem, quam continentia in cibo, & ſobrietas, de quibus multa a nobis ſcripta ſunt alio in loco [*lib.3. part.5. cap.7. & 8.*] quæ icciro non ſit neceſſe rurſus oratione perſequi. Qui vero cibi noxii ſint, qui ſalutares, ſinguli ſentient experiundo: nam *valetudo*, ait Tullius (*Offic. lib. 2.*)

ſu-

Digitized by Google

ſuſtentatur notitia ſui corporis , & obſervatione , quæ res prodeſſe ſoleant , aut obeſſe , & continentia in victu omni , atque cultu corporis tuendi cauſa ; & prætermittendis voluptatibus . Quamobrem quærere ex medico, quid ſibi facile ſit, aut difficile ad concoquendum, quid ventri amicum, quid ſecus, non minus turpe eſſe cenſet Plutarchus (*de tuenda valetudine*) quam quid dulce, quid amarum ſit, ſciſcitari. Si quid peccet coquus, ſentimus, ut quid ſalſum ſit, quid inſuave; quid vero noxium, vel utile non ſentimus? *Itaque in jure condiendo*, pergit Plutarchus (*cit. loc.*) *apud eos non peccatur: ſeipſos autem vitioſe condientes quotidie multum negocii medicis exhibent*. Oportet ergo videre in cibo capiendo, non quid palatum titillet, ſed quid proſit ſanitati; ſecus perbrevis voluptatis gratia amittuntur perpetuæ, & utiles voluptates, qualis eſt bona valetudo, quæ item fundamentum eſt reliquarum. Immo & qui ciborum ſuavitate delectatur, eam guſtare non poteſt ſine temperantia: neque enim cum optimum eſt & vinum, & obſonium, & condimentum, tunc percipitur delectatio, ſed cum corpus bene affectum eſt, & eſurit; quamquam vulgares ſint, & minus exquiſitæ dapes.

IX. Eſt autem præcipue adhibenda temperantia, cum quædam apparent ſigna adventantis morbi, qualis eſt nauſea, inſueta defatigatio membrorum, interruptus ſomnus, inſomnia perturbata, triſtitia inſolens ſine cauſa, aut metus, aut angor animi, aut iracundia (*vid. Haller in Boerhave de ſignis morbor.* §. 898. *tom.* 5.) nam tum cautione uti, & temperantia in cibo, atque potu ſemper utile eſt; at ſecus facere, periculoſum: icirco uſuvenit, ut pueri præſertim, & adoleſcentes, cum in levi morbo nolint uno, aut altero die a dapibus temperare, morbos ſuſcipiant aliquando diuturnos. Sunt etiam, quos pudeat fateri initio, ſe non bene valere, at deinde in febrim cum incidant, eos ridiculi pudoris pœniteat neceſſe eſt. Immo qui in defatigatione corporis, in potione, atque paſtu excedit modum, is etiam ſine ulla morbi præſenſione prudenter ſibi conſulet quiete ac temperantia; & interdum prævenire expedit futuram tempeſtatem; hoc eſt, ſi neceſſario eundum ſit ad convivium, cauti hominis eſt illuc ire vacuo ſtomacho, ne cibi noceant, & cavere, ne quid intemperate fiat; interim vero qui menſæ ac-

Digitized by Google

cumbunt, ii poſſunt ad lætitiam, alacritatemque excitari urbanis ſalibus ac lepore, quo epulæ condiantur.

X. Enimvero illos rideo, qui variis anni temporibus, ut & vere, & autumno corpus perpurgant & curant; ſed cum antea, tum deinde ventrem complent, & quamquam crudi ſe rurſus ingurgitant; & cum ita ſint affecti, ut carere nolint voluptate, quam ex vino & cibo capiunt, morbum & debilitatem in alias cauſas conferunt, in æſtum, in frigus, in pluvias, in nebulam, in aerem, non in perpotationes & epulas, quibus indulgent ſine modo. Equidem cum diu vixerim in adoleſcentum communitate, animadverti, earum ægrotationum cauſam, quibus forte ii laborarent, fere unam fuiſſe, illam ſcilicet, de qua dixi. Quamobrem ab hac omnes caveant, neceſſe eſt, ſi ſalvi eſſe velint. Proderit etiam generatim ſcire, ex quo quaſi fonte alienæ ægrotationes natæ ſint, eas vitandi gratia.

XI. Non velim tamen religioſe certam regulam definiri cibi capiendi: nam, quod conſtitutum eſt, id eſſe poterit pro varia corporis affectione aut nimium, aut parum: iccirco ſequi minuta præcepta medicorum, quæ traduntur de ſingulis ciborum generibus V.C. a ſchola Salernitana, a Marſilio Ficino (*in lib. de tuenda Sanit., & de vita producenda*) & ab aliis, cum inutile eſſe arbitror, tum moleſtum: ex quo extat illud fortaſſe putide dictum, ſed vere: *qui medice vivit, modice vivit*. De tuenda ſanitate multa diſputata ſunt a Galeno (*ſex lib. tom.* 2.) Potius opportuna eſt ea Marſilii Ficini præceptio [*de ſtudioſorum ſanit. tuenda lib.* I. *cap.* II.] *famem, ſi commode fieri poteſt, cibus, ſitim potus expectet. Aviditas utriuſque ſuperſit menſæ. Faſtidium & ſaturitas procul abſint.*

CA

CAPUT V.

Quintum Officium in ſe eſt ea parare, quæ corpori ſunt neceſſaria, atque illud tueri contra injurias, quæ inferuntur extrinſecus.

I. PRæceptum cum datum ſit omnibus a natura, ut ſe, vitam, corpuſque ſuum tueantur; primum quidem oportet in iis conquirendis, quibus ad vitæ uſum indigemus, qualia ſunt victus, veſtis, domicilium, pro viribus & opportunitate laborare; honeſte tamen, & moderate; cum ſatis ſit naturæ parum, & præſtet parce, continenter, ac ſobrie, quam molliter, lauteque vivere. Quæ vero aut induſtria parta ſunt, aut hæreditate ac patrimonio accepta, his uti oportet ad vitæ neceſſitatem, atque ad benemerendum de hominibus: ſunt enim vehementer vituperandi non ii modo, qui rem familiarem profundunt, ſed etiam qui avidiſſime retinent, qui magna triſtitia afficiuntur, ſi amittant, qui poſtremo relinquunt hæredi vitioſo & improbo, ac utenti pecunia, ut ſuis cupiditatibus obſequatur (*vid. quæ de liberalitate, ac vitiis contrariis ſupra dixi lib. 3. cap. 20. part. 3.*)

II. Dat item natura, ut quiſque defendat ſe contra vim: *eſt igitur hæc, judices*, ait Tullius (*Orat. pro T. Annio Milone*) *non ſcripta, ſed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus, ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, ſi in tela aut latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis. Silent enim leges inter arma, nec ſe expectari jubent, cum ei, qui expectare velit, ante injuſta pœna luenda ſit, quam juſta repetenda. Et ſi perſapienter, & quodammodo tacite dat ipſa lex poteſtatem defendendi, quæ non modo hominem occidi, ſed eſſe cum telo hominis*

nis occidendi cauſa vetat. Profecto cum præſcribat natura, ut quiſque potius vitæ ſuæ conſulat, quam alienæ, a nemine poſtulari jure poteſt, ut ſinat interfici ſe, ne ſicarius moriatur, qui vim facit innocenti. Verum tum licet, etiam cum hominis interitu vitam tueri ſuam, cum nulla eſt alia e periculo evadendi via: ſi enim poſſis compeſcere temeritatem aut minis, aut implorata ope aliena, aut fuſte cædendo, aut levius vulnerando, in vitio es, ſi occidas; immo etiam ſi poſſis tibi conſulere fugiendo, quamquam vir nobilis ſis, ut putat Grotius (*de Jur. belli, & pacis cap.* 1. §. 10. *num.* 3.) & Puſendorfius [*de Jure Nat. & Gent. lib.* 2. *cap.* 5. §. 13. *tom.* 1.] neque enim hæc ignominia eſt, ſed falſa quædam ignominiæ opinio contemnenda a ſapientibus.

III. Quo fit, ut, etſi ſcias, vitæ tuæ inſidias parari ab inimico; tamen non poſſis ſine culpa antevertere, ut caveas futuram injuriam; cum ſemper alia poſſit eſſe periculi declinandi ratio. Quam ob cauſam nefas eſt judicem obtruncare, a quo certo ſcias iniquam imminere ſententiam de fama ac dignitate tua, de capite, de fortunis.

IV. Multo minus id verum eſt, quod ſcribit Hobbius (*de Cive cap.* 2. §. 8.) jus datum eſſe cuique a natura, ut faciat omnia, ſine quibus ſe conſervare non poſſit: nam incidunt cauſæ, cur multa non liceant etiam ad tuitionem ſanitatis & vitæ. Quæ vetat natura, ea certe facienda non ſunt; quamquam ſecus mori neceſſe ſit. Sed Hobbius, quod honeſtum eſt, vel ſecus, id metitur utilitate (*cit. loc.* §. 10.) Quæ ſententia non modo omnem pervertit philoſophiam, ſed etiam hominum inter homines ſocietatem. Et quidem jure naturæ Hobbius (*cit. loc.* §. 14.) dat cuique, qui majori vi & potentia valeat, jus in eos, qui non poſſint obſiſtere: jus igitur in potentia & vi poſitum eſt; quod maxime abſurdum eſt, & ab ratione quam longiſſime abeſt. Latro ergo audax, confidens ac temerarius, validis lacertis, armiſque inſtructus jure poſſit, habita ratione naturæ, ſibi reliquos ſubjugare? Sed hæc non ſunt hujus loci.

V. Licet ſimiliter rem familiarem, quippe quæ ad vitæ uſum neceſſaria eſt, tueri contra vim etiam ejus cæde, qui abſtulit, aut velit auferre, ſi magni ſit pretii, & alia via recuperari non poſſit (*vid. Grotium de Jur. belli, & pacis lib.* 2. *cap.* 1. §. 11.)

VI.

Digitized by Google

VI. Atque eodem modo licet defendere pudicitiam, quæ cum vita comparatur a ſapientibus, ut a Seneca (*lib.1. de Benef. cap. 11.*) *Proxima ab his*, inquit, *ſunt ſine quibus poſſumus quidem vivere, ſed ut mors potior ſit, tamquam libertas & pudicitia*. Verum in his brevitatem ſequor, de quibus viri doctiſſimi multa diſputant erudite (*Dominicus Soto de Juſt., & Jur. lib.5. q.1. art.8. Leſſius de Juſt. lib.2. cap.9. dub.8., & dub.11. & 12. Card. Jo. de Lugo de Juſt., & Jur. diſp. 10. ſect.6., & 9. & 10. Grotius de Jur. belli, & pacis lib.2. cap.1. §.3. & conſeqq., Puſendorf. de Jur. Nat., & Gent. lib.2. cap.5., & in hunc locum Barbeyracius, Heineccius lib.1. de Jur. Nat., & Gent. cap.7. §.180., & ſeqq.*)

VII. Illud arbitror non eſſe prætereundum hoc loco, quoſdam perverſe abuti trito illo & communi dicto, nullam eſſe legem conſtitutam neceſſitati, ut eſt apud Euripidem [*in fragm. ex Hippolyto obtect. apud Heineccium de Jur. nat., & Gent. lib.1. cap.6. §.155.*]

Quoties periculum eſt, ex mea ſententia
Neceſſitati debet & lex cedere;

Et apud Claudianum (*in Eutropium lib.2. v.595.*)

. . . . *Suprema pericula ſemper*
Dant veniam culpæ. . . . . .

Quod quidem, niſi ſuis finibus circumſcribatur, poteſt eſſe errandi, peccandique occaſio, ac nos eo adducere, ut officia in nos officiis omnibus in Deum, & in rempublicam, & in alios homines præferamus, quod eſt naturæ & rationi contrarium. Itaque ab jure naturæ vetante, ne quid fiat, quale eſt non mentiri, non pejerare, Deum non afficere contumeliis, Deorum ſimulacra non venerari, neque iis thus adolere, aliaque generis ejuſdem, nulla neceſſitas eſt, quæ nos eximat: nunquam enim id licet, quod turpe eſt, ut alio in loco vidimus (*lib. 2. cap. 4.*) At in jure tum naturæ, quod jubet aliquid, tum divino & humano, poteſt locum habere neceſſitatis excuſatio: Deus enim, & humani legumlatores

res extremam, aut gravem neceſſitatem excludunt a lege, (quod quidem facere in eorum eſt poteſtate) niſi reipublicæ ſalus, aut animorum ſecus poſtulet. Sed de his theologi multo uberius (*vid. & Heinec. de Jur. nat., & Gent. lib.1. cap.6 §.95. & ſeqq.*)

PARS

Digitized by Google

P A R S III.

De hominis Officiis in alios homines.

I. DE officiis in Deum, & in ſeipſum dixi hactenus. Nunc reſtat, ut de hominis officiis in alios ea dicam, quæ opportuniora eſſe videantur. Quamquam vero poſtrema hæc pars pendet a ſuperioribus; qui enim & in Deum bene affectus eſt, & in ſe, non ſit dubitandum, quin idem ſervet jura ſanctæ ſocietatis: tamen quia & mentis errore peccari poteſt; cum multa non ita aperta ſint, ut cernantur ab omnibus, & negligentia voluntatis, quæ ſæpe torpet, niſi admoneatur officii; iccirco non eſt hic locus prætermittendus, præſertim cum ex eo, ſi traditis præceptis homines pareant, non modo familiæ, aut civitatis, ſed totius humanæ reipublicæ tranquillitas, incolumitaſque conſequatur.

C A P U T I.

De Officio communi, quod præſcribit, ne cui quis noceat.

I. CUm ſit illud generale præceptum a natura datum; *quod tibi fieri non vis, alteri id ne feceris*, conſequens eſt, hominem homini nocere eſſe contra naturam: ab eo enim, quod ſibi noxium & perniciosum eſt, quiſque declinat natura, & ægre moleſteque fert ſe ab aliis incommodum & damnum pati. Quapropter maxime eſt contra officium alieno animo, qui pars eſt præſtantiſſima, nocere aut dictis, aut factis.

II. Porro animo nocent ii, qui incautorum & imprudentium mentes, præſertim vero adoleſcentum imbuunt erroribus & fallaciis, quæ propriæ ſunt ſophiſtarum, & vulgi opinionibus, quarum plena ſunt omnia, qui a veritate avocant & avertunt, qui moleſti ſunt, & difficiles & moroſi in tradenda doctrina, & auſteriores, quam oporteat: faciunt enim, ut adoleſcentes & pueri a literis abhorreant, ſtudioque ſapientiæ.

III. Eſt autem multo gravius depravare aliorum hominum voluntatem, & corruptelarum illecebris animos irretire, mollireque propoſitis voluptatibus, aut ad ſtudium divitiarum, gloriæque popularis incendere, & tandem aut adhortatione & conſilio, aut blanditiis, aut exemplo, aut irriſione, aut invitamento pertrahere ad maleſacta. Ex quo naſcitur pernicies plurimorum, & ſumma calamitas, eorumque maxime, qui propter ætatem uſu & experientia non valent, & infeſtiſſimos hoſtes, & pudicitiæ, atque innocentiæ, & ſalutis ſuæ proditores habent amicorum loco: neque enim ullus eſt hoſtis capitalior, quam is, qui ab honeſtate avocat, & ad mollem ac effeminatam vitam, ſceleſtamque traducit. Hunc quidem cautius cavere oportet, quam ſicarium, quam latronem, quam truculentum carnificem, quam leonem, quam tygridem: quoniam omnes hi corpori quidem, quod olim interiturum eſt, at non animo nocere poſſunt immortali & ſempiterno. Ex eodem genere, quamquam non tam improbi, ſunt, qui peccantem non corrigunt, nec abducunt a vitiis, cum poſſunt & debent.

IV. Is item longiſſime ab officio diſcedit, qui alienæ famæ, aut honori detrahit, hoc eſt, qui alios lacerat contumeliis, qui geſtu, aut motu contemnit ac ridet, qui probris & maledictis vexat, qui alicujus exiſtimationi, ac laudi, & bono nomini labem aſpergit aut falſo objecto crimine per calumniam, aut occulto inique ac temere patefacto, aut verbis amplificato; qui vel ea, quæ honeſta ſunt, & recte facta, ſecus interpretatur, & detorquet ad turpitudinem, quaſi alienæ mentis inſpector ſit; qui virtutes ac dotes aliorum, aut negat, aut minuit, aut laudat quidem, ſed parce, ac remiſſe & jejune: nam ita laudari ab eo, qui amicus videatur, magis eſt famæ contrarium, quam ab ad-

Digitized by Google

adverſario, cui fere minus adhibetur fides, aperte vituperari.

V. Eſt autem mirum, quam varia & multiplex inventa ſit ratio minuendæ ac labefactandæ hominum dignitatis: ſunt enim, quorum inſtitutum ac ſtudium videtur eſſe ſemper aliena facta reprehendere, & cenſura aliqua notare ſine diſcrimine aut rerum, aut perſonarum. Eorum perverſa indoles ac natura ſolet eſſe fere cuique perſpecta, & ſæpe uſuvenit, ut ſibi plus noceant, quam aliis: evadunt enim inviſi omnibus, & calumniatores, atque improbi judicantur. Sunt alii, qui cum non maledici videri velint, ſed modeſti quodammodo, crimen aperiunt quidem, ſed eum, qui deliquit, profitentur ſe nolle prodere tuendæ exiſtimationis, & famæ gratia; attamen ita patefaciunt ſingula, quæ rei adjuncta ſunt, ut audientes facile conjectura aſſequantur, cui ſit culpa adſcribenda. Hi maledici ruſticum illum imitantur, qui cum dixiſſet venatoribus, illuc non tranſiſſe vulpeculam, interim indicabat locum, ubi illa deliteſceret. Quidam, nolo, inquiunt, quæ is [tum hominem nomine nominant] aut injuſte, aut imprudenter, aut intemperate fecit, ea dicere: quoniam a maledicendi, obtrectandique libidine longe abſum. Quidam lepide, atque ἀρονικῶς eum doctum vocant, honeſtum, nobilem, quem indoctum, turpem, plebejum velint intelligi. Audies nonnullos, præſertim vero feminas, ſimilitudinem quamdam gerentes, ſpeciemque ſanctitatis, quæ & vultu, & verbis fingunt, ſe vehementi dolore permoveri propter alienam calamitatem: ſciſcitanti vero, quæ calamitas illa ſit, narrant, ægre tamen, ſi credas, honeſti viri, aut mulieris dedecus & infamiam. Nec deſunt, qui cum a laude cœperint cujuſpiam, mox in vituperationem deſinant: eo quidem, qui ſit aut temperantior, aut benevolentior, aut aptior ad negocia, eſſe neminem; ſed hoc dolendum, quod turpi quodam vitio contaminetur, a quo ſi temperet, illum fore omnino laudabilem. Alii callidius maledicos, obtrectatoreſque reprehendunt, a quibus Coriolanus, & Lælius V. C. qui cæteroquin [ajunt] boni viri ſunt, dicuntur eſſe & avari, & ſuperbi, & glorioſi. Sunt etiam maledici quidam, quos proditores recte nominaveris: etenim quæ ſecreto vel ab amico acceperint, ea deinde nar-

iunt, ſine quo vix poſſit vivere; qui in ſumma inopia & caritate rei frumentariæ vel ea, quæ ad vitam ſunt neceſſaria, abſcondunt & colligunt, ut cariore pretio vendant, ideoque difficultatem, acerbitatemque augent annonæ.

IX. Profecto qui alienum jus violant, ii ſatisfaciant, neceſſe eſt, & tantum reſtituant, cum fieri poteſt, quantum juris alicui detractum eſt. Si res aliena nondum conſumpta eſt, eadem reddenda; ſecus rei pretium dandum. Si res, quæ violata eſt, æquale pretium nullum habet, ut cum hominis vita extincta eſt, aut ſunt injuria membra debilitata, tum ſaltem, quæ hinc conſequuntur, ſunt omnino damna præſtanda. In fama item, atque honore id reſarcire oportet, quod imminutum, detractumque ſit; ſecus deleri ex animo turpitudo nullo modo poteſt. Eadem lege obſtringuntur ii, qui alieni damni cauſa ſunt conſulto & cogitato, quamquam non facto, tamen alio modo, ut juſſu, conſilio, conſenſione, patrocinio; item permiſſu, cum eo fungantur munere, ut debeant, quominus alii detrimentum capiant, impedire.

X. Similiter præſcribit officium, ne homines verbis & ſermone noceant hominibus; hoc eſt, ne mendaciis, ſimulatione, fallacia eos decipiant, & circumveniant, & occultent veritatem, quæ jure naturæ, aut ſocietatis, aut humanitatis aperienda ſit: nam ſermo eſt homini a natura datus, ut cum aliis ſententiam communicet animi ſui, & commoditati conſulere poſſit cum propriæ, tum alienæ.

XI. Quibus efficitur, falſum omnino eſſe, & abſurdum, quod ſcribit Hobbius (*de Cive cap.* 3. §. 3.) injuriam omnem naſci ex pacto, ſine quo nulla ſit. Hoc enim nihil eſt aliud, quam funditus evertere jus omne naturæ, quod cum antiquiſſimum eſt, tum ſanctiſſimum, omnem ſimiliter inter homines ſocietatem. Etenim quæ poteſt eſſe inter membra copulatio, ſi unum diſcerpit alterum, ſi unum alteri nocet, ſi quod validius eſt & robuſtius, trahat ad ſe alimentum & commoda cæterorum? Sed hæc abſurda ſententia, aliæque multæ ejus ſunt propriæ, qui quaſi fundamentum ſtatuit doctrinæ ſuæ, nullam eſſe inter homines charitatem, ſocietatemque civilem a mutuo metu proficiſci (*Hobbius de Cive cap.* 1. *num.* 2.) quod quidem tollit penitus humanitatem, maximamque injuriam infert Deo, qui certe vult, benevolentia omnes

lior, quia hæc poſſidet; immo poteſt eſſe turpior, ſi vita ſit improba, & vitiis contaminata, atque impedita cupiditatibus.

IV. Quo in loco illud tenere oportet, quod exploratiſſimum eſt apud omnes plane philoſophos, nihil eſſe laudabile, niſi quod ſit idem voluntarium: etenim, quod voluntatis non eſt, id nec in vitio, nec in virtute ponitur; iccircoque nec in vituperatione, nec in laude, ut dixi (*lib.*2. *cap.* 10.) voluntarium autem nihil eſt præter actiones, quæ quidem poſſunt eſſe honeſtæ non modo in homine locuplete, nobili, bene valente, quique ſit eleganti forma, & ingenio ſingulari, vel alia dote præſtare videatur, ſed etiam in paupere, plebejo, deformi, ac minus perſpicaci & ſolerti. Quo fit, cum recte generoſum dici a Carteſio (*de Paſſion. art.* 152. *& ſeq.*) in quo ineſt honeſta & laudabilis humilitas, & modeſtia: is enim generoſo animo eſt, qui non id æſtimat, quod non eſt natura ſua laudabile, in quo genere ſunt pecunia, amplitudo familiæ, & alia, de quibus dixi; ſed unam virtutem, quæ tantum digna eſt laude, magni facit; cum vero virtus ineſſe poſſit in omnibus, omnes ut pares habet, & liberaliter, benigneque tractat; præſertim cum ſibi conſcius ſit infirmitatis ſuæ, & videat, ſe multa peccaſſe, aut peccare potuiſſe, & futurum, ut facile delinquat in poſterum. Quamobrem a recta ratione philoſophandi, & a veritate longiſſime abſunt, ſummoque in errore verſantur, qui ſe generoſos putant, quod efferant ſeſe ſupra cæteros, atque eos tamquam ex edito loco deſpiciant.

V. Quæ cum ita ſint, conſequens eſt, eam, quæ inter homines a natura ipſa conſtituta eſt, æqualitatem omnino eſſe ſervandam, quam qui tuentur, ii commodiſſimi ſunt ſocietati; qui violant, cum his nulla poteſt eſſe ſocietas & copulatio; ſunt enim, ut ſaxa quædam, quæ propter angulos & aſperitatem cum aliis conjungi non poſſunt, atque ad conſtruendum ædificium adhiberi.

VI. Hæc autem naturalis æqualitas primum præſcribit, ne quid poſtules & expectes ab aliis, quod non idem poſtulari a te, & expectari velis. Quocirca ſi a quopiam petas aut operam, aut præſidium, aut pecuniam, qua eges, aut ſolatium ad levandam curam, & angorem minuendum ani-

Digitized by Google

animi tui, viciſſim debes eſſe ita animatus, ut idem illi velis facere, ſi poſſis, cum feret occaſio, & quæ acceperis, ea compenſare: eſt enim iniquus is, qui alienam ſibi operam deberi putat ſine ulla officii commutatione: quoniam paria eſſe debent officia inter pares. Eodem modo ſi jus inter plures tribuendum eſt, oportet tueri æqualitatem, habita tamen ratione juris & meritorum; ſecus injuria fit ei, cui minus datur, quam debetur natura. Tum multo magis æqualitas facit, ut tibi nihilo plus juris ſumas atque arroges in alios, quam aliis tribuas in te: cum itaque concedas nemini, ut te afficiat incommodis, detrimento, injuria ulla aut verbis, aut factis, & compellat ad id, quod nolis, aut non poſſis facere; nec debes ipſe hæc eadem in alios audere: quoniam eorum, qui pares ſunt, par debet eſſe conditio.

VII. Quo efficitur, eos contra hoc officium ex æqualitate profectum peccare, qui propter ſuperbiam ſine cauſa aliis ſe præferunt. Nec vero cauſa poteſt eſſe aut rerum opulentia, aut genus, aut alia bona fortunæ: neque enim videmus, quo pacto hæc dent ullam poteſtatem in alios, qui liberi ſunt, & ſua voluntate & arbitrio uti poſſunt pro libito; niſi velint ſponte ſubmittere ſe ditioribus ac potentioribus, vel ne hi noceant, vel ut proſint. Cæterum qui fortunæ bonis affluunt, jus quidem habent, ut iis & utantur, & fruantur ad honeſtas vitæ commoditates, at non ut aliis hominibus libertatem detrahant a natura datam: quid enim mihi eſt cum divite, aut nobili viro, ſi nihil ab eo petam, nihil expectem, nihil accipere velim? Ecquis me compellit, ut ei in rebus omnibus ſatisfaciam interdum vel rationi & officio contrariis? Videlicet quia floret nobilitate & divitiis, parendum eſt. Sed qui non pareat, quam tandem is legem violat? humanitatis quidem jus & ſocietatis, quæ hominum cum hominibus eſſe debet, imminui poteſt quodammodo, cum id, quod petitur, honeſtum eſt, & dari ſine incommodo poteſt; verum hoc jure omnes tenentur, cum ii, qui infimo ſunt, tum qui ſummo loco nati, cum inopes, tum locupletes.

VIII. Ne illi quidem, qui propter animi dotes, ingenium, judicium, doctrinam, prudentiam, ſagacitatem ad imperium effecti videantur, jure imperare poſſunt invitis, niſi princi-

pes

pes ſint, reges, magiſtratus, aut ad aliorum gubernationem a rege, aut republica conſtituti: neque enim propterea quod idoneus natura ſis ad imperandum, conſequens eſt, te poſſe in alios dominari, niſi jure, hoc eſt, aut conſenſione populorum, aut pacto, aut ſucceſſione, aut juſta victoria obtineas principatum.

IV. Accedit, quod tantum abeſt, ut opes & copiæ, aliaque generis ejuſdem, quæ ſunt extrinſecus, magni æſtimanda ſint, ut ab iis, qui excelſiore ſunt animo, contemnantur: iccirco qui hanc ob cauſam vult ſupra reliquos eminere, & dominari, & præeſſe, ac putat, ſe magno quodam intervallo diſtare a tenuioribus, is profecto rationem non ſequitur ducem in judicando, ſed errat, & cum propter abundantiam fortunæ, quod de ſe ſuum judicium eſt, idem poſtulat eſſe omnium, vult, omnes errare ac deſipere; at non ſperet fore, ut id conſequi poſſit etiam a ſapientibus, qui præter virtutem ac ſcientiam nihil magni faciunt. Si qui affluit fortunæ muneribus, ut divitiis, ut nobilitate, adjungat his & prudentiam, & beneficentiam, & humanitatem, & affabilitatem, & caritatem, aliaſque virtutes, tum quidem etiam ſapientes & boni eum ſummo in honore ac pretio ſunt habituri, & majori vel propter externa bona: quamquam enim hæc non ſunt laudabilia ex ſeſe, eorum tamen honeſtus uſus eſt ſumme laudabilis. Quo fit, ut virtus, quæ ineſt in divite & illuſtri viro, plus ſplendoris, atque ornamenti habeat, & ampliori in laude ponatur.

X. Multo magis ab eo, de quo quærimus, officio diſcedunt ii, qui non modo aliis ſe præferunt occulto quodam animi judicio, quod tamen fere apparet in fronte & ſupercilio, ſed & verbis, & factis eos deſpiciunt, & tractant non ut homines, ſed quaſi belluas, immodicis laboribus affligunt ac frangunt, juſſu, vi ac minis, jurgiis & contumeliis impellunt ad parendum etiam contra fas, & ſecus ac per leges licet: quamquam enim, qui mercede conducti ſunt, aut legitimo imperio ſubjecti, ii obediant neceſſe eſt, & munere fungantur ſuo; tamen intelligendum eſt, eos homines eſſe, atque ab his, qui præſunt, non natura, ſed tantum diſcrepare fortuna; ideoque communia eſſe oportere

 hu-

humanitatis officia, ut eſt natura communis, in quam eædem infirmitates cadunt, errores, cupiditates, aliæque animorum ægritudines, quæ certe nec magnifica æde, nec auri, argentique copia, nec famulorum turba, nec pretioſis veſtibus depelluntur.

CAPUT III.

Mutua omnium in omnes humanitatis Officia.

I. QUæ inter homines a natura eſt conſtituta neceſſitudo & cognatio non modo vetat, ne cui noceas, aut alios durius tractes nihil permotus æqualitate naturæ, ſed & poſtulat, ut bene de omnibus merearis, atque ita non tantum non ingrata ſit & injucunda, & incommoda hæc conſociatio, verum potius ſuavis & grata, & referta commodis ad bene vivendum.

II. Quapropter humanitatis eſt, primum quidem operam aliquam conferre ad utilitatem reipublicæ; quod præclare faciunt ii, qui animum excolunt & perpoliunt optimis artibus & diſciplinis, quibus prodeſſe queant hominum ſocietati, ut præſcribit natura: in quam rem optime Tullius: *impellimur autem natura*, inquit (*lib. 3. de Fin.*) *ut prodeſſe velimus quamplurimis, in primiſque docendo, rationibuſque prudentiæ tradendis. Itaque non facile eſt invenire, qui, quod ſciat ipſe, non tradat alteri. Ita non ſolum ad diſcendum propenſi ſumus, verum etiam ad docendum*. Immo ſcribit Seneca, ſe nolle laborare in ea comparanda ſapientia, quæ non erumpat foras ad inſtitutionem aliorum: *in hoc gaudeo*, inquit (*Ep. 6.*) *aliquid diſcere, ut doceam: nec me ulla res delectabit, licet eximia ſit, & ſalutaris, quam mihi uni ſciturus ſim. Si cum hac exceptione detur ſapientia, ut illam incluſam teneam, nec enunciem, rejiciam*. Profecto plura ſunt, quæ ſcire fere parum prodeſt, niſi & alii erudiantur. Quæ tamen ad morum probitatem attinent, ea tenere oportet, etſi pateant nemini.

III.

III. Ex eorum genere, qui artes, ſcientiaſque profitentur, ſunt etiam illi, a quibus utiliter quædam inventa ſunt, & cum aliis communicata: icciрco in elyſiis campis hos locat Virgilius (*Æneid. 6. v. 663.*)

Inventas . . . qui vitam excoluere per artes,
Quique ſui memores alios fecere merendo.

Quamobrem humanitati conſentaneum eſt, eorum, qui præclaris inventis, ſtudiiſque rempublicam ornant, conatus & induſtriam adjuvare opibus & præſidio, & tueri benevolentia. Quod ſi faciant principes viri, plurimum incrementi afferent publicæ utilitati.

IV. Quo efficitur, eos male agere cum humana ſocietate, qui propter deſidiam in otio vivunt, & turpi inertia delectantur, aut patrimonio a majoribus accepto utuntur ad luxum & ad inſanas cupiditates, & nullo modo ad beneficentiam, aut ad levandam inopiam ne affinium quidem & cognatorum. Locum eſſe definitum in Tartaro his, qui

. . . . . . Divitiis ſoli incubuere repertis,
Nec partem poſuere ſuis (quæ maxima turba eſt)

ſcribit Virgilius (*Æneid. 6. v. 610.*) Qui profecto porcorum inſtar nemini aut hilaritati ſunt, aut emolumento, niſi cum occidunt.

V. Quid vero dicam de lividis illis hominibus, qui aliorum adverſis rebus lætantur, ſecundis mœrent? vel qui, cum ipſi ignavi ſint, & nemini prodeſſe aut ſciant, aut velint, inique ferunt, ſi quos videant, qui patriæ & reipublicæ utilitati aut pecunia, aut auctoritate, aut conſilio, aut literis & doctrinis conſulant? Quorum etiam nomini & dignitati detrahere conantur, ut ſuam occultent ignaviam, turpitudinemque quodammodo? Hanc naturæ humanæ corruptelam, non naturam ſpectavit Hobbius, ut puto, cum omnem ſuſtulit naturalem hominum inter homines benevolentiam, & ſolum introduxit metum (*de Cive cap.* 1. §. 2. *& in annot. ad verba* A mutuo metu) fecit igitur ſocietatem non homi-

 num,

num, ſed ferarum belluarum, quæ in mutuam perniciem dentes non acuant, quia deterrentur metu, quo ſublato, natura ſua omnium ad ſe raperent aliorum commoda. Quo quid dici poſſit abſurdius, & minus decorum generi humano, ac magis philoſophiæ contrarium, non video. *Illa vox inhumana*, ait Tullius (*lib.3. de Fin.*) *& ſcelerata ducitur eorum, qui negant, ſe recuſare, quominus ipſis mortuis terrarum omnium deflagratio conſequatur: quod vulgari quodam verſu græce pronunciari ſolet. Certe verum eſt, etiam iis, qui aliquando futuri ſunt, eſſe propter ipſos conſulendum. Ex hac animorum affectione teſtamenta, commendationeſque morientium natæ ſunt; quodque nemo in ſolitudine vitam agere velit, ne cum infinita quidem voluptatum abundantia, facile intelligitur, nos ad conjunctionem, congregationeſque hominum, & ad naturalem communitatem eſſe natos*. Et paullo poſt (*cit. loc.*) *Ut tauris natura datum eſt, ut pro vitulis contra leonem ſumma vi, impetuque contendant: ſic ii, qui valent opibus, atque id facere poſſunt, ut de Hercule, ac de Libero accepimus, ad ſervandum genus humanum natura incitantur*. Tum pergit non multo poſt: *quemadmodum igitur membris utimur prius, quam didicimus, cujus ea utilitatis cauſa habeamus: ſic inter nos natura ad civilem communitatem conjuncti & conſociati ſumus. Quod ni ita ſe haberet, nec juſtitiæ ullus eſſet, nec bonitati locus*. Et hæc quidem ſunt a nobis univerſe dicta.

VI. Sed quod ad ſingulos ſpectat, ſecundum humanitatem eſt, cuique, quod tibi non nocet, ei prodeſt, id dare; ut monſtrare erranti viam, dubium juvare conſilio, prolapſum erigere, ſinere, ut, quod nolis ipſe, id alter accipiat, ut pretio, opere ſuo, commutatione, aliove honeſto contrahendi genere ea ſibi comparet, quæ ſunt ad vitæ uſum, commoditatemque neceſſaria. Huc pertinet modica pecunia, aut facili opera ſubvenire egentium neceſſitati, aut hoſpitalitate quadam uti cum iis, quibus alia interdum domus non patet vel ad cibum, vel ad ſomnum capiendum: nam leve incommodum pro nullo ducitur. Hæc quidem negare, & alia generis ejuſdem, inhumani animi eſt, illiberalis, malevoli.

VII. Verum his finibus concludere humanitatem non decet. Qui ſcit, non ſibi tantum eſſe natum, at etiam ſocieta-

tati, debet alios ſibi devincire benevolentia & liberalitate, impenſis etiam ſi poſſit, & laborioſis operibus, quibus aliena calamitas ſublevetur, aut magna quædam utilitas afferatur hominibus. Hæc ſeges quædam uberrima eſt commendationis & laudis ſempiternæ. Sed de benevolentia & liberalitate dixi aliis in locis, ut & de beneficentia & miſericordia [*lib.3. part.3. cap.18. 19. 20. 23.*

CAPUT IV.

De Officiis eorum, qui paciſcuntur & contrahant.

I. P*Actum eſt*, ait Tullius (*lib.2. de Invent.*) *quod inter aliquos convenit;* vel, ut juriſperitis placet, duorum, aut plurium in eamdem rem conſenſio. Late autem patet, & ad omnia pertinet, de quibus negocii contrahendi, tranſigendique cauſa conſentiunt ii, qui inter ſe agunt aliquid. Itaque nihil contrahitur ſine pacto. Verum pactum in re contracta actionem parit; ipſum vero per ſe exceptionem, ut ſcribunt jureconſulti, quorum eſt in hoc quæſtionum genere verſari. Hæc quidem pacta & conventa introducta ſunt jure gentium ad commercium & ſocietatem, ut quod ab hominibus ſæpe non elicit benevolentia & humanitas, id eliciat conſenſio, qua ad mutua officia præſtanda homo homini ſe devincit lege juſtitiæ, quæ magnam vim habet ad obligandum.

II. Noſtrum non eſt hoc loco diſputare de pactis, ſed tantum ſtatuere, ea ſancte & religioſe ſervanda eſſe, quod & fides poſtulat, & bonum ac tranquillitas reipublicæ; ſecus humana ſocietas tollitur, & amicitia, & violatur illud commune præceptum: *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Ex quo & odia, & pugnæ, & contentiones, & jurgia, & lites oriuntur. Videmus ſæpe quammultos, qui cum aliquid velint conſequi, ut munus, ut gradum, ut dignitatem, officioſiſſimis verbis, ſummaque comitate facturos ſe

o-

nis innocentiſſimi caput cervicibus abſcindere; quo immani facto & juſtitiam graviſſime violavit, & jurisjurandi religionem, quaſi tam ſancto vinculo obſcœni hominis improbitas & turpitudo obſtringi poſſet: cum nihil ſit unquam, quo obligemur ad committenda maleficia: immo quod non licet, id ponitur etiam jure civili in numero earum rerum, quæ fieri nullo modo poſſunt (*L.* 15. *ff. de condit. Juſtit.*) *quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & (ut generaliter dixerim) quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt.* Quod & in familiari ſermone poſitum eſt: etenim vir honeſtus, ſi quicquam ex eo petas turpe, minimeque laudabile, ſolet dicere: *non poſſum; hoc fieri non poteſt.*

V. Nec vero tantum pacta voluntaria & honeſta ſervanda ſunt, quæ aperte ſunt inita, ſed etiam quæ obſcure & tacite. Ex quo genere multa ſunt: principes enim, judices, magiſtratus, cæterique, qui publicis funguntur muneribus, ſaltem tacite contrahunt cum republica, ac recipiunt, ſe fide & diligentia, qua oportet, provinciam adminiſtraturos ſuam. Omnes item alii eodem modo, qui præſunt officio, ut curator, ut tutor, ut præceptor, ut adminiſter; qui ſi delinquunt in proprio munere, præterquamquod a fide diſcedunt, rei etiam ſunt violatæ juſtitiæ. Huc revocatur conventum inter homines, ut quiſque conſueto ſermone utatur ad explicandas animi cogitationes, iiſdemque nominibus res eaſdem ſubiiciat: verba enim ſigna ſunt ab hominibus inſtituta certæ definitæque rei ſignificandæ gratia. Itaque qui velit mentem ſuam cum aliis communicare, non debet alio ſigno uti, quam eo, de quo ſaltem tacite pactum eſt propter commercium & ſocietatem; ſi ſecus facit, is diſcindit pactionem cum ſingulis vehementer utilem, tum reipublicæ, & in vitio eſt.

VI. Incidunt tamen cauſæ, cur pactis non tenearis, ut ſi turpe evadat id, de quo convenit, aut inutile, aut pernicioſum ei, cui promiſeris, aut fieri omnino non poſſit. Verum multa, quæ huc pertinent, dixi alio in loco (*de Fide lib.* 3. *part.* 3. *cap.* 14.) & alia præterea, quæ ſubtiliorem diſputationem poſtulant, arbitror relinquenda theologis & juriſperitis, & iis, qui de jure naturæ, & Gentium uberius ſcribunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

De Officio Viri in Uxorem; & viciſſim.

I. NON reprehendar, ut puto, ſi rem velim ab altiore principio ducere, & paucis explicare, quid oporteat ante connubium facere: eſt enim hoc vitæ genus, ſi quod aliud, & moleſtum, & multis legibus obligatum, & cauſas affert innumeras pœnitendi.

II. Quapropter qui accepto deliberandi ſpatio, & re tanta mature, prudenterque conſiderata, conſtituit hunc potiſſimum vitæ curſum ſequi, quippequem ad bene, honeſte, beateque vivendum opportuniorem eſſe judicarit (*vid. quæ ſupra dixi lib.3. part.2. cap.4.*) is in uxoris delectu omnem diligentiam adhibeat, neceſſe eſt: ſi enim vel in deligendis amicis, quos liceat dimittere, cum libuerit [modo nihil facias imprudenter ac temere] animadverſione, magnoque judicio opus eſt [*vid. cap.17. part.3. lib.3.*] quanto magis in conjungenda amicitia, ineundaque ſocietate, quæ rata & firma futura eſt in omne poſterum tempus, & nulla alia re, niſi morte diſſolvi poteſt? quæque rerum omnium communione continetur, & calamitatum, & fortunarum, & menſæ, & domicilii? Quapropter maxime videndum eſt, ut, quod connubia conciliat, non quicquam ſit, quod cito elabatur & diffluat, ſed id, quod conſiſtat, & non labefactetur ætate.

III. Eſt autem unum conſtans ac ſempiternum, hoc eſt, virtus, morum probitas & innocentia, fides, verecundia, prudentia, pietas, religio, obſervantia, diligentia, cura rei familiaris, benevolentia, aliæque animi dotes, quibus ſi uxor prædita eſt, id habet, quo, ut nihil firmius, ita nihil poteſt eſſe præſtantius, nihil item pulchrius, amabilius, ut dixi (*lib.3. cap.9., & 11.*) Qui uxorem nanciſcitur ſic affectam, hæc recondentem inſignia atque ornamenta virtutum, is habet domi theſaurum, quo, ſi ſapiat, beatus eſſe poſſit: hinc enim conſequitur fida cuſtodia rei familiaris, & cum ejus

Digitized by Google

ejus retinendæ cura, tum induſtria ſingularis augendæ, & in domeſticis negociis labor utilis & quotidianus: hinc, quod maximum eſt, optima ſobolis inſtitutio, & totius familiæ ſedula gubernatio: hinc conſpiratio & concordia animorum: hinc in rebus adverſis ſolatium, in ſecundis communicatio voluptatis: hinc decus & gloria: nihil enim magis confert ad familiæ dignitatem, quam virtus conjugum, & mutua conſenſio: hinc denique beata vita in ævum omne ſempiternum. Itaque in conjungendo connubio intelligendum eſt, de fortunis, de dignitate, de commodis familiæ ac liberorum, de pace decerni, ac tandem de ſumma rerum; ac duplicem eſſe propoſitam viam, unam miſeriæ, alteram felicitatis, ac datum deliberandi locum, utram ingredi melius ſit.

IV. Non ſunt autem advocandi ſenſus ad deliberationem omnium difficillimam, non aures, non oculi, nec cupiditas & animi perturbatio, ſed mens & conſilium. Quamobrem vehementer errat, qui vocis ſuavitate & ſpecie tantum mulieris ac forma moveatur, aut divitiis & ampla dote, aut genere, & amplitudine affinitatum: nam venuſtas & pulchritudo aut fortuito caſu, aut infirmitate & morbo abſumitur, aut certe evaneſcit vetuſtate, nec quicquam ſolatii afferre poteſt provectiori ætati, vel ultimæ ſenectuti; alia vero, de quibus mox dixi, non conferunt ad beate vivendum, quo niſi referantur omnia, nec bona, nec appetenda ſunt. Accedit, quod ſæpe femina, quæ his aut corporis, aut fortunæ bonis multum viro antecellit, ſolet efferri ſuperbia, & nobilis & amplæ domus & locupletis, in qua nata eſt, commoda prædicare, & durum putat ſubeſſe tenuiori: ex quo exiſtunt diſſenſiones & rixæ, & cum eorum, quibuſcum ſanguine conjuncta eſt, præſidio ac potentia confidat, viri aſpernatur auctoritatem & adhortationes & monita; objurgationem vero, minaſque ferre nullo modo poteſt. Volet item in ornatu & cultu, in famulis, in ſupellectili, in menſa lautitiam magno cum ſumptu, & fortaſſe majore, quam opes & facultates ferant. Tum vero in domo ſunt omnia pleniſſima diſſidiorum; & virum muliebris formæ & reliquorum ornamentorum, quæ tanti empta ſunt, at ſero, incipit pœnitere; dum pulchram quidem extrinſecus, & ornatam domum a ſe comparatam videt, at ma-

le materiatam intrinſecus, & ruinoſam. Quapropter optimum eſt Pittaci conſilium, qui unus fuit e ſeptem ſapientibus: hic rogatus a quodam adoleſcente, utram duceret, opibus ſe, & genere potiorem, an parem, reſpondit: *tu tibi ſume parem* (*vid. Ludov. Vivis de Chriſtiana fem. lib.*1. §. *de quærendo ſponſo.*) ex quo extat tritum illud: *ſi vis nubere, nube pari.*

V. Multo magis errat is, qui in uxoris delectu inſanum quemdam amorem ſequitur ut conſiliarium & ducem, eoque prius tenetur adſtrictus, quam potuit, quid bonum eſſet, judicare. Tum vero, amore & libidine dominante, nullus eſt rationi locus, nec amici audiuntur, nec domeſtici, nec parentes, nec alii, fiuntque connubia plena calamitatum plerumque in omne poſterum tempus.

VI. Quoniam ducenda eſt mulier, ut hactenus dixi, quæ virtute prædita ſit, liquet, inſipientis eſſe ei nubere, quæ ſit improba, ſuperba, arrogans, iracunda, invida, litigioſa, levis, aſpera, contumax, obſtinata, moleſta, nimium loquax, multarum rerum cupida, mollior item, & delicatior: etenim, quæ ejuſmodi eſt, nec incommodum ullum pati poteſt, nec laborem, & niſi eadem, qua apud ſuos, uti poſſit apud virum, teneritate ac mollitie, delabitur ad querimonias, & illacrymatur & luget, ac delicatam prolem educat ſimilem ſui, iccircoque ineptam ad præclara, quæ fere cum incommodo & labore conjuncta ſunt.

VII. Similiter cum ad amicitiam, quæ ſumma debet eſſe inter conjuges, multum conferat indolis & naturæ ſimilitudo, male imprudens mulier cum prudente conveniet, loquax cum taciturno, geſtiens lætitia cum melancholico, timida cum forti, lenta cum eo, qui velox ſit, & expeditus in gerendis negociis. Si tamen imprudens cum imprudente, ſtolida cum ſtolido copuletur, non deerit fortaſſe concordia; ſed nihilominus peſſima futura eſt conſociatio, & cum rei familiari perniicioſa, tum ſoboli, quæ aut ſimilis erit parentum, aut eorum educatione obſtupeſcet, & prolabetur in vitia.

VIII. Sed quis inferre oculos poſſit, & introſpicere penitus in mentem feminæ, quæ ſæpe flexuoſa eſt, ſinuoſa, vafra; iccircoque tegit caute vitioſitatem, & manſueta & lenis

nis

Digitized by Google

nis videtur, cum eſt aſpera; religioſa, cum improba; modeſta, cum plena ſuperbiæ? Hoc quidem difficile eſt; ſed tamen qui prudens ſit, ex iis, quæ apparent, cognoſcere poteſt, quid lateat, ut ex oculis, ex fronte, ex greſſu, ex verbis, ex factis; ex rebus præſertim, quibus videt, eam feminam delectari, ut ex familiaritatibus & amicitiis, ex veſtitu, ex ancillis ac famulis, qui heræ ingenium declarant, ex anteacta vita, quæ qualis fuerit, expedit honeſte quidem, at ſolerter inveſtigare: ex ea enim conjectura fere certa ducitur de conſequente. Nec vero fictio ſolet eſſe diuturna. Inquirendum eſt item, non modo quæ ſit uxor, ſed etiam qui affines, an audaces, temerarii, elati, minus ſtudioſi dignitatis ac famæ, pauperes, imprudentes: poſſunt enim eſſe moleſtiæ, & perturbare vitæ tranquillitatem, & turbas interdum, & diſſidia inter virum & conjugem concitare.

IX. Illa etiam neceſſaria cautio eſt, atque proviſio, ut ne mulier male valeat, & morbis obnoxia ſit; quoniam, præter alia incommoda, quæ hinc exiſtunt, ut animi vitia, ita corporis a parentibus cum prole communicantur. Verum cum adoleſcentes & juvenes fere non ſint ea prudentia præditi, quam res tanta, ac tam gravis poſtulat, conſilio opus eſt hominum ſapientium; parentum vero præſertim: ſed hi videant, ne moveantur opinione populari, aut gloriam ſpectent, aut nobilitatem, aut opes & facultates, quibus ſenilis ætas vehementer capitur, ſed quietam & jucundam vitam liberorum.

X. In primis autem oportet magno quodam ſtudio precari Deum, atque ejus opem vitæ integritate, cultu & religione promereri quodammodo. Qua in re male ſibi conſulunt ii, qui non recte factis animum præparant ſuum ad tam periculoſum vitæ genus deligendum, ſed, cum ſeſe peccatis inquinent, maximeque incontinentia ac ſuperbia, digni ſunt, qui a Deo deſerantur omnino. Ex quo calamitoſi & fœdi exitus conſequuntur, diſſenſiones, odia, liberi flagitioſi, atque infeſti ipſis parentibus, diſſipatio rei familiaris, morbi, interitus, aliæque calamitates, quæ plerumque ita diuturnæ ſunt, ut affligant vel remotam poſteritatem; quoniam ex flagitioſis parentibus fere nequiores filii naſcuntur, & his im-

Digitized by Google

probiores nepotes, tum alii progrediente ætate pejores, ut ſcribit Horatius (*lib.3. Od.6.*)

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Quam ob cauſam mihi hac de re cogitanti ſæpe venit in mentem, non minus patrifamilias, aut matri neceſſariam eſſe virtutem, morumque innocentiam ac probitatem, quam ſacerdoti; immo illis fortaſſe magis: nam ſacerdotis virtus, aut vitium frequenter cum eo moritur; patrisfamilias autem non ita, ſed in multas ætates quaſi hæreditaria ſucceſſione funditur & propagatur. Quo fit, ut familias videamus, alias quidem optime inſtitutas, alias peſſime temporum ſpatio diuturno.

XI. His conſideratis, quæ ad morum honeſtatem pertinent, & illud cave, ne nimium blandiaris ei, quam velis ducere, neve aut Deam, aut heram tuam, aut vitam nomines, teque ipſi ſubmittas, & amatoriis inanitatibus, & aſſentationibus implíceris: neque enim ſubeſſe ſe facile patietur, quam tu extuleris, atque in jurgio ſe illecebris captam queretur, & contemptam modo, quam olim obſervaris, & dominæ loco habere viſus ſis.

XII. Multo minus femina fallaciis, fraude ac dolo malo capienda eſt, ut ſimulatione nobilitatis, opum, divitiarum, commoditatum, quibus careas, & fictis pollicitationibus earum rerum, quas præſtare non poſſis, aut non velis: quæ enim cum malitioſo, infido, fallaci amicitia eſſe poteſt?

XIII. Hæc cum feceris, atque alia generis ejuſdem, quæ prudentia præſcribit (neque enim enumerari omnia poſſunt hoc loco) non tamen putandum eſt fore, ut eam habeas uxorem, quæ omni vitio careat, ne deinde moleſte feras, te deceptum; ſatis eſt ſi abeſt a gravioribus; præſertim cum mulieris natura imbecilla fere ſit ex ſeſe, timida, ſuſpicioſa, minuta, proclivior ad querimonias, variis cogitationibus perturbata, glorioſa propter res etiam, quæ non magni æſtimantur a ſapientibus, propter genus, formam, opes, ne-

Digitized by Google

neceſſarios. Sed hoc ingenium ad ſexum accommodatur, & quamquam minus perfectum, plures tamen habet opportunitates: confert enim ad obedientiam, ad cuſtodiam rerum minimarum, ad cautionem, ad diligentiam, ad retinendum decus, ad alia hujus generis, ut ſcribit Ludovicus Vivis (*de Offic. Mariti* §. *de elig. uxore*) Aut igitur ea vitia toleranda ſunt, & muliebres affectiones regendæ prudentia, aut repudiandum omne connubium. Sunt tamen feminæ, at raræ, quæ viriles animos gerunt, atque ita affectiones regunt & continent, ut tueantur modum, nec ſibi id ſumant, quod a femina liberaliter inſtituta alienum eſſe videatur. Sed oportet jam de viri officio in uxorem dicere.

XIV. Hoc fere in una benevolentia poſitum eſt: ſocietas enim, & amicitia, quæ inter conjuges debet eſſe perfecta, ut dixi, ſine benevolentia & caritate eſſe non poteſt. Charitas autem præſcribit primum, ut vir fauſta omnia velit & cupiat uxori, atque hanc optimam animi affectionem oſtendat ac proferat & dictis & factis. Dictis quidem, hoc eſt, lenitate & ſuavitate verborum, in quibus nihil ſit fictum, nihil ſimulatum, nihil callidum, nihil duplex; at nihil etiam molle & tenerum, quod gravem virum non deceat: ſimulatio enim veræ amicitiæ maxime inimica eſt; teneritas autem gravitati & auctoritati, quæ viri eſt propria. Expedit tamen interdum benevolentiæ, & animi gratia quoſdam adhibere liberales jocos & ſales; atque id hanc etiam ob cauſam, ut uxor lætitiam habeat, & jucunditatem domi, non quærat foris (*vid. Plutarchum, Conjug. præcep.*)

XV. Quod ſi quando mulier aliqua in re peccaſſe, iccircoque reprehendenda videatur, admonitione potius uti conſentaneum eſt, quæ plena ſit amoris & lenitatis, & opportuno tempore, & nunquam aliis audientibus (*vid. Plutarcum cit. loc.*) præſertim filiis, & famulis, & domeſticis, apud quos neceſſaria eſt uxoris exiſtimatio, & fama prudentiæ ac probitatis; ſecus illa contemnitur & ridetur, quaſi expers judicii & virtutis.

XVI. Præſtat item vitia diſſimulare leviora, quam arguere, ne frequentiora monita accidant moleſta, & efficacitate ac vi careant; præſertim cum proprium ſit hominis errare & labi; feminæ autem multo magis. Interdum tamen

gra-

Digitized by Google

gravior animadverſio, caſtigatioque adhibenda eſt, cum delicti ratio, & inſolens contumacia poſtulat, & uxoris proterva natura. Cavendum tamen eſt, ne venias ad verbera: cum enim huc veniendum eſt, væ familiæ, ac domeſticæ paci & tranquillitati. Vix unquam, quod adeo diſtractum eſt, id copulari poteſt, & novo amicitiæ fœdere connecti. Semper vero in animadverſione, objurgatione ac monitis mulieris indolem, mores, familiam, affines, locum, tempus, modum, aliaque adjuncta habet ob oculos is, qui velit prudenter facere, & minime in eas anguſtias ſeſe conjicere, quibus diu teneatur. Interdum ſatis futura eſt ejus, quæ ex conjugis malefactis capitur, moleſtiæ ſignificatio aut vultu, aut geſtu aliquo, aut gravitate, aut exemplo contrario.

XVII. Quo efficitur, viro temperandum eſſe a contumeliis & jurgiis adverſus uxorem, atque eo magis, quo illa honeſtiori eſt loco nata. Non ut nonnulli faciunt, qui nobiles & locupletes feminas impudenter & dure deprimunt, ut imperent humilioribus [*vid. Plutarchum, Conjug. præcept.*] Potius vir uxori præeat exemplo, manſuetudine, temperantia, modeſtia, patientia: ſolent enim feminæ virum ſequi. Reges, ut ſcribit Plutarchus (*cit. loc.*) ſi muſicam amant, multos efficiunt muſicos, ſi literas, literatos, ſi athletas, corporis exercitationibus deditos; ita ſi vir honeſtatem, & præclaras res ſectatur, uxorem modeſtam ac temperantem facit.

XVIII. Factis etiam vir ſeſe amicum & benevolum præbeat uxori ſuæ; hoc eſt, communione rei familiaris, non ut quidam faciunt, qui non pecuniam modo omnem apud ſe volunt eſſe, ſed claves etiam & frumenti, & olei, & cellæ vinariæ, & rerum aliarum, quas libentius videntur extraneo credere, quam uxori: neque hanc admittunt ad ſocietatem adminiſtrationis & curæ vel in negociis domeſticis, vel in educanda prole, regendave familia; quare habent ut infidelem, aut iniquam, aut ineptam.

XIX. Ad amorem, qui in facto conſiſtit, ſpectat ſimiliter communicatio utriuſque fortunæ, adverſæ & ſecundæ, utilitatum & incommodorum, triſtitiæ & voluptatis; quod quidem argumentum eſt maximæ, ſuaviſſimæque conjunctionis & amicitiæ: nam cum ſummopere diligi neceſſe eſt,

quem

Digitized by Google

quem participem velis eſſe lætitiæ tuæ, & putes fore, ut tua calamitate, & contrario caſu moveatur, & tibi opem ferat, ſi poſſit. Mala tamen interdum expedit diſſimulare, ne uxor nimium concidat propter prementem ægritudinem.

XX. Deinde benevoli viri eſt curare, ne quid uxori deſit, quod ad vitæ uſum, decus & dignitatem, ut vires ferunt, neceſſarium eſt, atque etiam ad oblectamenta quædam honeſta, & ſolatia laborum & moleſtiarum. Non tamen indulgeat uxori id petenti, quod modum ſuperat in victu, in cultu, in veſtitu. Simplex cultus, & moderatus commendationem quamdam habet & prudentiæ, & modeſtiæ, & pudicitiæ, & domeſticæ diſciplinæ; nimis lautus profert inanitatem, arrogantiam, ſuperbiam, vacuitatemque virtutum, quibus qui ſciat feminam eſſe præditam, is magni eam facit, ſi ſapiat. Non aurum, aut gemmæ mulierem ornant, ut ſcriptum eſt a Plutarcho (*Conjugal. præcept.*) ſed gravitas, prudentia, modeſtia, verecundia. Lyſander pretioſas veſtes, quibus filias ornaret ſuas, a Siciliæ tyranno miſſas repudiavit, quod diceret, his filias non ornari, ſed deformari (*Plutarchus ib.*)

XXI. Multo minus vir ſinat, ab uxore novum aliquod ornatus ac veſtimenti genus invehi in civitatem, præſertim ſi hoc ſumptuoſum eſt: hæc enim inventa ſunt pernicioſa reipublicæ. Nec vero videndum eſt, quid faciant vicini, ſed quid lex & ratio præſcribat; & quamquam opponere ſeſe multitudini grave eſt; tamen idem præclarum ac generoſum, in quo iccirco virtus præſertim cernitur, quam qui rident, eos contemnere ſapientis eſt.

XXII. Tum amor in uxorem poſtulat, ut vir eam ab injuriis defendat & tueatur; ut tamen hominem chriſtianum decet, eique præſto ſit ac ſubveniat, ſi qui caſus incidant; at non iis in rebus, quibus femineus animus ſine cauſa permovetur & dolet, ut ſi mulier a quopiam in ſe prætermiſſa queritur urbanitatis officia, & honoris ſignificationem, aut aliquid aſpere, durius, minus honorifice eſſe dictum. Hæc enim, aliaque generis ejuſdem potius vir irridebit, uxoremque excitabit & eriget ad curanda graviora: ſunt enim muliebri ingenio ii, qui his nugis, ineptiis & inanitatibus implicantur.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII. Præterea charitas & benevolentia in uxorem requirit omnino, ut vir eam removeat a vitiis, & a qualibet turpitudinis & dedecoris ſuſpicione, & ad morum honeſtatem, virrutemque traducat adhortationibus & exemplo; atque huc referenda ſunt familiaria colloquia, quæ ſæpe in commendatione verſari æquum eſt juſtitiæ, patientiæ, temperantiæ, modeſtiæ, frugalitatis, concordiæ, charitatis, in quibus ineſt quies & vita beata, & contra in vituperatione eorum, quæ ſunt his contraria. Quo ſpectat ea elevare opportune ac ſolerter, quibus feminam attolli & inflari ſentias, qualis ſolet eſſe forma, opulentia, facundia, generis amplitudo, ut poſſit intelligi, tibi in primis placere virtutem.

XXIV. Hæc vero eo minus prætermittenda ſunt, quod ad virum pertinet, feminam, cujus eſt is quaſi caput, & mens, docere, atque in iis inſtituere, quæ utilia ſunt, & neceſſaria ad bene vivendum, ut in officiis in Deum, in ſeipſam, in familiam, in alios, & curare, ne in errores ac vitia falſis opinionibus impellatur. Quod ſi uxor aliquantum literis exculta ſit, quæ quidem non modo eam non dedecent, ſed valde ornant ac juvant, poteſt vir ei ſe adiutorem præbere ſtudiorum, atque ita ipſam ab rerum inanitate & ineptiis abducere (*vid. Plutarchum Conjug. præcept.*) & ab otio revocare. Quod faciet etiam, ſi curet, ut in utili, honeſtaque arte ſeſe exerceat, & impigre in negociis domeſticis occupetur; non ita tamen, ut frangatur laboribus, noceatque corporis ſanitati.

XXV. Quo efficitur, viri eſſe, omnem a conjuge propulſare opportunitatem peccandi, & ignominiæ notam. Quo in genere ſunt familiaritates illæ, quæ licet a multis vituperatæ ſint, graviſſimeque impugnatæ editis ea de re libris, & vehementer improbentur ab omnibus bonis & ſapientibus; tamen a parvis initiis hac ætate adeo invaluerunt, ut jam confirmatæ videantur in civitatibus magno cum dedecore & pernicie rerum publicarum, & chriſtianæ religionis, & animorum: vix enim dici poteſt, quot ex ea perverſæ conſuetudinis corruptela incommoda conſequantur, cum adoleſcentes ac juvenes a nuptæ mulieris latere vix unquam diſcedunt, inſpectantibus liberis, & famulis, & domeſticis, qui,
tan-

Digitized by Google

tanta exempli pravitate propoſita, excitantur ad vitia, in quæ vel ipſa per ſe propendet, inclinatque natura. Tum vero longe, lateque ſerpit impura lues, & diſſeminatur in dies, nec literis ullus relinquitur, aut religioni & pietati locus. Hanc quidem turpem, maximeque pernicioſam conſuetudinem, & cum dignitati ſuæ, tum honeſtati contrariam, maritus ferre ullo modo aut poteſt, aut debet; ſed extirpet radicitus, & omnes fibras evellat, neceſſe eſt, & cum lenis quædam medicina non prodeſt, adhibeat acerbiorem: nam extremo morbo, ſi opus ſit, extrema eſt adhibenda curatio. Is autem vir fortis, qui ne quam moleſtiam pariat uxori, diſſimulat, & in hac rei indignitate connivet? Quamobrem in vitio eſt, cum non obſtat, quominus illa peccet, & peccati labes manet in alios, jaceatque domeſtica diſciplina: tunc enim maxime uti debet auctoritate & imperio, cum videt, uxorem, & familiam animi ſalute periclitari, & in vitia prolabi; cum auctoritas non ſit in levioribus conſumenda, uſuque minuenda. Oportet item ab uxoris oculis, conſpectuque removere obſcenas picturas, turpia ſimulacra, libros, quibus infici mores poſſunt, nec eos domi admittere, qui ſint improbi, aut dictis, aut factis faciunt periculum innocentiæ.

XXVI. Cæterum omnibus in rebus cum virili gravitate, juſſis etiam ac præceptis ita ſit conjuncta benevolentia, ut primum locum tenere videatur: vir enim intelligat, neceſſe eſt, uxorem non ancillam eſſe, ſed ſociam, & regendam illam quidem, & in officio continendam, quippe quæ viro inferior ſit, ſed ita, ut liberaliter & honorifice tractetur, habita ratione communionis & ſocietatis.

XXVII. Quamobrem & in adminiſtratione rei familiaris, & in gerendis negociis, & in liberis educandis cum eo ſunt communicanda conſilia, exquirendumque, quid ſentiat: eſt enim ſecundum rationem, ut quorum communis eſt vitæ ratio, & fortuna cum adverſa, tum proſpera, communis item ſit de rebus, ac, quoad fieri poteſt, una ſententia & deliberatio, ut, ſi forte res male cadant, non ſit querimoniæ locus; ſi autem bene, utriuſque ſit par voluptas; præſertim cum audire conſilium ſapientis ſit: poteſt enim eſſe utile; & certe id benevolentiæ argumentum eſt; ſequi au-

tem non ſemper expedit; & tunc præſtat, cur non fiat, ut feminæ videtur, cauſam probabilem reddere, quam aſpere repudiare ſententiam. Qua tamen in re oportet videre, quæ ſit uxoris prudentia, quod ingenium, quæ indoles, loquax ne, an taciturna, flexibilis ac rigidior, quæque flecti vix poſſit. Certe feminæ committenda non ſunt arcana reipublicæ; quippequæ ad familiæ gubernationem non pertinent, nec ad eam ſocietatem, quæ inter conjuges intercedit, ſed ad aliam, qua civis cum republica copulatur. Dixi hactenus, quid præſcribat viri in uxorem benevolentia.

XXVIII. Hæc autem firma ſit, ac ſempiterna neceſſe eſt, quale eſt conjugium; itaque habeat cauſam, quæ conſiſtat in omne poſterum tempus; hoc eſt, ametur animus, qui ſemper idem eſt, & immortalis, & ad vitam beatam natus. Igitur vel minutæ offenſiones vitandæ ſunt, & præſertim initio; quippequæ interdum ita inhæreſcunt in mente, ut ex ea non facile delabantur. Cavendum eſt etiam a zelotypia, quæ peſtis eſt amicitiæ, ut dixi alio in loco (*lib.4. part.2. cap.9.*) & a ſuſpicione qualibet temeraria, a dictis item, & factis, quæ uxori ingrata ſint, & omitti facile poſſint. Nec vero audiendi ſunt malitioſi quidam, invidi, veteratores, ſæpe etiam domeſtici & familiares, qui rumoribus & ſuſurrationibus delectantur, nec ceſſant, dum non vident inter uxorem & virum factum eſſe diſſidium: Dico autem, has diſſenſiones ſæpe a domeſticis exoriri: nam experientia ipſa comperi, eos non raro eſſe in primos infeſtos; quippequi etſi vident, ab alio quopiam multa tolerari ad familiæ, aut communitatis utilitatem, hæc quidem omnia ipſi diſſimulant, nec laudant unquam; carpunt autem quædam minuta, aut amplificant, aut etiam id fingunt ut verum, quod falſum eſt: quoniam ea eſt corruptela naturæ, ut odioſum ſit, & plenum invidiæ aliquantum eminere præ reliquis. Nunquam ſimiliter vir uxori exprobret eorum vitia, aut infamiam, qui ei ſanguine, aut affinitatibus conjuncti ſunt, nunquam generis obſcuritatem, aliave horum ſimilia: immo præſeferat benevolentiam & charitatem adverſus eos, quos uxori charos ſciat eſſe; hoc enim ad ejus animum ſibi arctius deviciendum valet plurimum.

XXIX.

Digitized by Google

XXIX. Hujus, de quo dixi, amoris & benevolentiæ uberrimi ſunt fructus, iidemque jucundiſſimi: nam primum viri amorem fere neceſſario conſequitur uxoris amor in virum: ex quo firma & concors exardeſcit inter conjuges amicitia. Unde fit, ut prompte & alacriter conjux ipſa operam ſuam conferat, diligentiam, induſtriam, etiam viro abſente, (*vid. Ariſtotel. Oecon. lib.2. cap.2.*) *uxorem ſibi conciliet, ac fidelem, probamque efficiat, ut ſive præſens ſit vir, ſive abſens, non minus utilis ſit, quam ſi ſemper adeſſet*) & ſine præceptis ad communem familiæ utilitatem.

XXX. Deinde in hac ſancta amicitia, ſummaque conſenſione animorum quæ ſit, & quanta, & quam ſolida delectatio, ſciunt ii, quibus id experiri datum eſt Dei beneficio ſingulari. Domus, in qua charitas dominatur, felix eſt, & ad ſimilitudinem accedit cæleſtis domicilii, ubi tranquilla omnia & pacata ſunt: nihil enim eſt amore ſuavius, eoque convictu, cujus eſt perpetua comes benevolentia; quamquam interdum deſit rerum copia: nam conſentientibus animis parum ſatis eſt, diſcordantibus nihil. Hæc autem voluptas in totam familiam influit uberius; quod vehementer confert & ad quietam vitam, & ad ſedulitatem in curanda re familiari, & munere, quod cujuſque eſt proprium, ſtudioſe obeundo; præſertim cum etiam domeſtici & ament & obſervent eos, qui, cum præſint familiæ, exempla præbent amicitiæ, qua inter ſe copulati ſunt, & probitatis. Amor autem domeſticorum in patremfamilias eſt diligens ac diuturnus cuſtos officii, non ſpes, non metus.

XXXI. Tum ea conjugum conſentiens, conſpirans, & firma conjunctio non modo intra domeſticos parietes commendatur, ſed etiam in civitate: fama enim non continet ſeſe domi, ſed percrebeſcit, & late funditur. Quocirca vir gloriam ſibi comparat apud omnes, & ad adminiſtrandam rempublicam, & ad munera magiſtratuum judicatur aptiſſimus: qui enim bene & laudabiliter præeſt familiæ ſuæ, idem & prudentia, & tolerantia, & manſuetudine, & temperantia, & juſtitia præditus debet eſſe, quarum virtutum præſidio regitur ac ſuſtinetur reſpublica. Contra diſcordia conjugum vituperatur ab omnibus, & magnæ infamiæ eſt; & qui neſcit domi ſuæ pacate vivere, quis credat, cum aptum

Digitized by Google

eſſe, qui civibus pariat tranquillitatem, & turbas comprimat, ſi cui forte publico muneri præficiatur? Leontinus Gorgias, qui primus magnam eſt dicendi laudem in Græcia conſecutus, cum multis Græcos ad concordiam hortaretur, fertur exclamaſſe quoſdam: in concordiam prius & ſe, & uxorem redigat, & ancillam, tum demum iſta nobis perſuaſum huc veniat (*Ludovicus Vivis de Offic. Mariti* §. *Quas utilitates affert amor conjugum mutuus*.)

XXXII. Mox ex parentum placabilitate, facilique natura filii naſcuntur mites, moderati, ſuaves: nam fere a parentibus mores ac propenſiones cum filiis communicantur, ut plantæ humor cum fructu [*vid. Ariſtotelem Oecon. lib.2. cap.2. tom.5.*] Tum vero cum nati adoleverint, eamdem manſuetudinem retinent & tuentur propter exempla domeſtica; diſcunt item cum exteris adhibere lenitatem, quam cum lacte ſuxerunt; iccircoque quammultis perturbationibus vacant, quæ ex iracundia, ſimultatibus, rixis, atque animi elatione naſcuntur, & adſueſcunt ad patientiam, qua nihil eſt in omni vita homini magis neceſſarium, qui velit in aliorum ſocietate vivere.

XXXIII. Poſtremo, quod maximum eſt, ex ea ſingulari concordia, mutuaque benevolentia fit, ut animi paratiores atque alacriores ſint ad Dei cultum, ad pietatem, ad religionem, cæteraſque virtutes, quæ perturbationibus ſuffocantur. Oportet autem cum virum, tum uxorem præſtare virtutibus, quæ perſpicuæ ſint familiæ ad imitandum; & utrique concilient non amorem modo, ſed & reverentiam, & majeſtatem, quæ ex virtutum opinione, ac præſtantiæ pariuntur. Quæ viri ſunt in uxorem, ea & late, & docte, & eleganter ſcribit Ludovicus Vivis (*De Officio Mariti*) ex quo hæc multa translata ſunt. Nunc dicam de officio uxoris in virum.

XXXIV. Ac primum in viri delectu ea cautio adhibenda eſt, quam vir adhibeat neceſſe eſt in uxore deligenda, ut paullo ante dixi. Debet ergo femina magni æſtimare non tam viri nobilitatem & formam, & opes, & facultates, quam probitatem & prudentiam in rebus gerendis, in conſervando ſtudium, parandaque re familiari ſolertiam: nam præſtat in mediocri fortuna tranquillam vitam, & pacatam vi-

ve-

vere, quam in ſublimi & florente miſeram & luctuoſam. Nec vero ullus poteſt eſſe quieti locus, ſi perpetuo verſari oporteat cum viro improbo, elato, imprudente, ſtolido, litigioſo, & pravis motibus perturbato. Contra ſuaviſſima eſt ejus conſuetudo, qui & morum innocentia, & prudentia, & conſilio valet, & in rebus adverſis fortitudinem præſefert animique conſtantiam, & modum tenet in proſperis; quare & uxorem jacentem erigit, & continet exultantem, & familiæ præeſt ſumma cum laude.

XXXV. Videndum etiam, ut vir bona utatur virium & corporis valetudine; & qui domi vivunt, quam mulier ingredi velit, ii & honeſti, & probi ſint, & amica in alios, & benevola voluntate, & non vir modo, ſed & ipſi libenter conſentiant conjugio, ne qua exoriantur diſſidia, & pax domeſtica perturbetur.

XXXVI. Nec vero unquam mulier aut blanditiis, aut fraude, aut calliditate quadam viam ſibi aperiat ad nuptias, neque amatoria familiaritate: quod enim his artibus copulatum eſt, id cito diſſociatur, & inſanum amorem conſequi ſolet dolor, mœrorque diuturnus. Quocirca virtutem, qua nihil eſt amabilius, nihil firmius, ut dixi, afferat ad conjugium; atque ipſo nuptiarum die, curet, quoad fieri poteſt, ne pro more, & recepta apud multos conſuetudine detur opera ſaltationibus, choreis, compotationibus, immoderatiſque conviviis, atque aliis generis ejuſdem, in quibus nec rectus pecuniarum uſus cernitur, nec quicquam chriſtiano homine, & rei gravitate dignum.

XXXVII. Poſt connubium verò ſumma officiorum omnium, quæ propria ſunt uxoris in virum, eſt amor & caſtus, & religioſus, & ſanctus, ex quo reliqua proficiſcuntur, ut ſupra dixi de viro. Ea vero debet eſſe vis amoris & charitatis, ut voluntas utriuſque copuletur omnino, & ex duabus una effecta videatur: ſi enim id facit amicitia, quanto magis conjugium, quo nulla unquam amicitia & ſocietas poteſt eſſe conjunctior? Quapropter amandus eſt vir ipſe per ſe, non propter formam, aut robur, aut bona fortunæ: his enim ſi amor nititur, nec verus eſt, nec ſempiternus: quoniam, ſublatis iis, ex quibus naſcitur, amor etiam tollatur, neceſſe eſt. At uxoris in virum benevolentia & charitas

tan-

Digitized by Google

tanta debet eſſe, tam firma, tam conſtans, ut nullo ictu fortunæ, nullo caſu, nulla temporis diuturnitate concuti, aut labefactari poſſit; immo tunc, ſi vera & germana eſt, apparet illuſtrior, cum vir procellis jactatur, & adverſo flatu fortunæ, ut cum laborat inopia rei familiaris, morbis, dolore, aut alia quavis acerbitate cruciatur. Sulpitiam nec Julia mater, nec affines, nec domus, nec patria retinere potuit, ne Lentulum virum ſuum a Triumviris proſcriptum in Siciliam ſequeretur (*Valerius Max. lib.6. cap.7. num.3.*) Exemplum ſummi amoris in virum ſuum Leopoldum imperatorem in quavis fortuna & adverſa, & proſpera, ac præſertim in eo morbo, quo ille conſumptus eſt, poſteritati reliquit Eleonora uxor ſanctiſſima femina (*in ejus vita*) Plura alia illuſtria & præclara extant apud Ludovicum Vivis (*de Chriſtiana femina* §. *Quomodo ſe erga amicum habebit.*)

XXXVIII. Hic amor procreator eſt ſummæ concordiæ, cujus ſuavitate non tantum res bonæ evadunt multo gratiores, ſed & triſtes mirum in modum condiuntur atque dulceſcunt. Quo fit, ut uxor ad viri voluntatem ac mores omnino ſe accommodet, cum poteſt honeſte, & dictis, & factis, & ſtudiorum ſimilitudine, immo & affectionum; atque alacritatem, feſtivitatem, gravitatemque præſeferat pro affectionis, quæ in viro cernitur, varietate: *vitioſum eſt ſpeculum*, ait Plutarchus (*Conjugal. præcept.*) *& pravum, quod læti imaginem triſtem, triſtis ac tetrici lætam præbet: ita & uxor inutilis & intempeſtiva eſt, quæ luſum quærente, oblectationemque viro, torvum tuetur; ſerias res agente, ludit ac ridet: quorum alterum inſuavis eſt, alterum contemnentis virum.* Triſtem tamen ſolari debet, & ſaucium animum ſanare morum concinnitate, & ſermonis lepore, fabulis etiam, & hiſtoriis, ſi quid hac in re valet, & præceptis aliquando ſapientum. Poteſt etiam monere benevole, & tempeſtive, ſed maxime probitate & exemplo, & ſimiliter pro oblata opportunitate juvare conſilio, quod facile libenter excipiet vir ab uxore, quam & probam ſciat eſſe, & amantem ſui.

XXXIX. Eam vero in virum benevolentiam oſtendet magis, ſi cum eo omnia communicet, modo non inania & futilia, aut ejus generis, quæ virum adducant ad ſuſcipiendas inimicitias & ſimultates (quod ſæpe faciunt impruden-

tes

tes feminæ) ſi diligentem procurationem habeat rei familiaris, & quæ parta ſunt, & in domum importata, ea ſedulo, accurateque cuſtodiat & tueatur, atque ita locet ſingula, ut paratiora ad uſum, & promptiora ſint, & reperiri facile poſſint; & operam omnem, atque induſtriam ſuam conferat in utilitatem, decus, atque ornamentum familiæ; præeatque aliis honeſta quadam parſimonia & frugalitate, victu moderato, atque cultu, aliena a ludis, familiaritatibus, & hominum frequentia, appetens domeſticæ quietis & ſolitudinis, abſente præſertim viro, atque adſit operibus familiarium.

XL. Eſt autem amori uxoris in virum maxime inimica non modo rixa & diſſenſio, ſed etiam zelotypia, de qua ſupra dixi (*lib.4. part.2. cap.9.*) & ſuperbia, elatiove, qua uxor ſe viro præferat aut propter formam, aut dotem, aut genus, quæ vel commemorare odioſum eſt, & invidiæ plenum; quemadmodum & verba hæc uſurpare: *meum, & tuum*, quæ tollenda omnino eſſe e conjugio, in quo ſunt omnia communia, jubet Plutarchus (*Conjugal. præcept.*) Probitas tantum, & virtus, pudicitia, fides, prudentia ſunt, quibus uxor ſeſe & viro & familiæ ſummopere commendat & probat. Huc ſpectat, quod ſcribit Juvenalis (*Satyr.6.*)

Malo Venuſinam, quam te, Cornelia, mater
Gracchorum, ſi cum magnis virtutibus affers
Grande ſupercilium, & numeras in dote triumphos.
Tolle tuum, precor, Hannibalem, victumque Syphacem
In caſtris, & cum tota Carthagine migra.

XLI. Aliud officium uxoris in virum, quod ex amore naſcitur, eſt obſervantia ac veneratio: eſt enim vir princeps & caput: quo autem magis eum mulier colet, curabitque, ut apud alios ſit honoratior, eo exiſtimet ipſam ſe honoratiorem fore; cum certum ſit, ex nulla alia re magis reliquum corpus ornari, quam ex capitis dignitate, ut ſcribit Ludovicus Vivis (*de Chriſtiana femina* §. *Quomodo ſe erga maritum habebit*) Contra ſi maritus in contemptum incidat, in eumdem fere incurret & femina, etſi rebus aliis affluat. Eſt ergo honos habendus viro, quicumque is ſit; ſi vitioſus,

ejus

ejus peccata occultanda ſunt, aut minuenda, quoad fieri poteſt; interim vero eniti oportet diligenter, ut ab inſipientia & improbitate revocetur; quod multo facilius licet obſervantia & cultu conſequi, quam contemptione. Quo efficitur, ab omni omnino contumelia in virum, & jurgio temperandum eſſe, quamquam forte ſit mariti aſperior natura, iracunda, moroſa, difficilis, aut tardum ingenium: tunc enim arte ac ſolertia opus eſt, non acerbitate verborum.

XLII. Tertium officium uxoris in virum, quod item ab amore pendet, eſt obedientia: ut enim viri eſt tamquam capitis præeſſe familiæ, & curare, ut domeſtici omnes bonis moribus præditi ſint; ita ei oportet ſubeſſe mulierem, atque in iis, quæ ad domus adminiſtrationem, & mores pertinent, obtemperare; quod & præſcribit ipſa natura, quæ iccirco & viro mentem dedit aptiorem ad gubernandum, & robur & inſtrumenta, quibus ſe & ſuos tueri poſſit; cum femina, ut judicio fere imbecillior eſt, ita viribus minus valeat, & animi firmitate atque conſtantia. Quod ſi mulier præeſſe velit, & ordinem perturbare a natura conſtitutum, cum in vitio erit, tum ſibi ipſa inuret infamiæ notam, vel propter ſuperbiam & contumaciam, vel quod habeat nullius pretii virum: quis enim magni faciat hominem, cui videat feminam præeſſe & imperare? hæc autem viri turpitudo in uxorem redundat, ut paullo ante dixi.

XLIII. Immo debet mulier, ſi velit officio plane ſatiſfacere, vel ea præſtare, quæ etſi a viro præcepta non ſunt, tamen ei grata ſciat eſſe, & probari. Quod ut perficiat, ſunt ei mariti mores penitus pernoſcendi: alii enim aliis rebus delectantur, neque omnes iiſdem. Debet vero femina eos mores imitari & ſequi modo non vitioſos; quod maxime ad concordiam, ad quietem, ad tranquillitatem valet; & quamquam res interdum minimæ atque exiguæ videantur, non iccirco negligendæ ſunt: neque enim parva res eſt inter coniuges conſenſio voluntatis, animique placatio. Quapropter non paretur cœna V. C. alio modo ac tempore, quam maritus velit, nec jus detur frigidum, ſi calidius placet. Quod exemplum in his poſitum valet in omnia. Sæpe ex parvis initiis magnæ contentiones, diuturnæque naſcuntur.

XLIV.

XLIV. Obedientia, & pax domeſtica pietati etiam, & religioni præferenda eſt; cum opera in Dei cultum prætermitti poſſunt ſine peccato. Qua in re quammultæ feminæ vehementer errant, quippequæ familiam perturbant ſpecie religionis: negligunt enim munus ſuum, cum in templis verſari malunt, quam domi; Deo autem placere arbitrantur ea, quæ ſunt cum obedientiæ, tum charitati contraria. Quid quod quæ pietatem hanc profitentur fictam & ſimulatam, ſolent eſſe iracundæ, difficiles, aſperæ, ſuperbæ, arrogantes, & vel uno verbo audito minus grato, erumpunt in querimonias, & iratum animum præſeferunt dictis & factis? Nec vero intelligunt, virtutem, quæ Deo & hominibus grata eſt, poſitam eſſe in continendis cupiditatibus, quæ maxime refrenantur patientia, charitate, obedientia, frugalitate, pudicitia, aliiſque, in quibus licet exercere ſeſe etiam domi, immo melius, & vel tunc cum res familiares adminiſtrantur, & præſtantur officia, quæ ſunt feminarum propria (*vid. Ludovicus Vivis, qui de Officio feminæ chriſtianæ multa ſcribit nitide & erudite; & Plutarchus in Opuſc. Conjugalia præcepta*)

CAPUT VI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

De Officio Parentum in Liberos, & viciſſim.

I. PArentum eſt recte liberos educare. Eſt autem educatio ars quædam, & diſciplina ad animos pertractandos, atque inſtruendos accommodata. Eaque difficillima eſt: videmus enim animantibus imperare, quam hominibus, eſſe multo facilius, atque illos quidem duci, quo libuerit; hos autem non ita (*vid. Xenophont. inst. Cyroped.*) *natura contumax eſt*, ait Seneca (*lib. 1. de Clem. cap. 24.*) *& in contrarium, atque arduum nitens, ſequiturque facilius, quam ducitur*. Ac in ipſis certe pueris ſtatim amor apparet quidam in-

ſitæ libertatis ac ſtudium faciendi, quod libet, & cum non poſſint imperio ac vi, nituntur lacrymis & fletu alios impellere ad parendum, & ſubeſſe ægre ferunt. Quamobrem ſcribit Plato (*Dialog. 7. de Leg.*) *Eſt autem puer omni beſtia intractabilior. Nam cum prudentiæ fontem nondum perfectum habeat, inſidioſiſſimus eſt, acerrimuſque, & petulantiſſimus omnium beſtiarum. Ideo multis quaſi frenis vinciendus eſt.*

II. Verum quod tam ardua res ſit aut adulta, aut tenera adhuc ætate homines gubernare, non tam culpa eorum eſt, qui parere debent, quam eorum, qui præſunt; quippe hi non ſatis regendorum animorum artem tenent. Hoc quidem ex Cyro Perſarum rege poteſt intelligi, cui non ſui modo, ſed & remotiſſimæ gentes ingenio, locisque diſiunctæ haud invitæ, immo libenter ac ſponte paruerunt (*apud Xenophon. Cyroped. lib. 1.*) Nihil vero magis neceſſarium eſt, quam recta, de qua quærimus, inſtitutio: hac enim nititur quies, incolumitas, ſalus & puerorum in omni vita, & parentum, & familiæ, & civitatis, & reipublicæ. Puerorum primum in omne etiam poſterum tempus: qui enim non bonus puer ſit, nec bonus eſſe adoleſcens poteſt; qui non adoleſcens bonus, nec bonus vir; qui vir non bonus, idem nec bonus ſenex: forma enim animo adhæret, & conſtanter retinetur, quam quiſque ab ineunte ætate ſuſceperit, & infantiam ac pueritiam conſequentes ætates imitantur, quæ ſic in primis illis initiis quodammodo continetur, ut arbor in ſemine ex ſententia Phyſicorum (*vid. Quintil. Inſt. Orat. lib. 1. cap. 1. & Juven. Satyr. 14.*)

III. Quamquam vero magna inſtitutionis, & moris vis eſt in utramque partem; tamen quæ vitioſa ſunt, ea cum facilius mentibus imbibuntur, tum firmioribus fibris, & radicibus inhæreſcunt. *Hæc ipſa*, ait Quintilianus (*cit. loc.*) *magis pertinaciter hærent, quæ deteriora ſunt. Nam bona facile mutantur in pejus: nunc quando in bonum verteris vitia?* Bonos vero, maloſve mores filiorum conſequitur etiam lætitia & quies, aut dolor & moleſtia parentum: ſi enim boni ſint filii, & morum honeſtate & ſuavitate præditi, & recte inſtituti, non eſt dubitandum quin parentes ſuos obſervent & vereantur, eorumque voluntati & juſſis pareant, & ſeneſcenti ætati futuri ſint ſolatio & præſidio: ſecus abjicient

o be-

Digitized by Google

obedientiam, cum primum per ætatem licebit, atque eam ſequentur vitæ rationem, qua parentum animos in ſummam ægritudinem, & fere deſperationem adducant, & patrimonium aliquando, & rem familiarem evertant funditus. Ex quo naſcitur etiam totius familiæ perturbatio, & ſæpe pernicies, dedecus & infamia, & forte etiam calamitas ſempiterna non filiorum modo, ſed & domeſticorum & familiarium propter odia, diſſenſiones, contumelias, injuſtitias, aliaque flagitia, quorum quaſi ſemen & radix male inſtitutæ vitæ primordiis continetur, atque educatoris inſcitia, & negligentia.

IV. Quibus efficitur, rectam liberorum educationem vehementer etiam intereſſe reipublicæ: nam ſuccedunt paulatim minores natu majoribus, & ex numero juniorum ſumendi ſunt olim & patresfamilias, & præſides, & alii, qui fungantur muneribus magiſtratuum, & rempublicam adminiſtrent; & cum hi, tum qui nati ſunt ad parendum, niſi ſtudioſi ſint legum, quas majores ſapientiſſime conſtituerunt quaſi præſidia & munimenta civitatis, communis tranquillitas ruat neceſſe eſt: leges autem vi carent, niſi bonorum civium uſu & moribus ſtabiliantur.

Quid leges ſine moribus
Vanæ proficiunt? . . . .

(*Horatius lib.* 3. *Od.* 24.) Quamobrem puerorum & juvenum inſtitutionem ad rempublicam maxime pertinere, præclariſſimi philoſophi judicarunt, ut Plato (*Dialog.* 7. *de Rep.*) ut Ariſtoteles (*lib.* 8. *Polītic. cap.* 1.) qui ſentiunt iccirco, hanc præcipuam legumlatorum curam eſſe oportere: *nemini quidem dubium eſt*, ait Ariſtoteles (*cit. loc.*) *quin is, qui leges ſcribit, adoleſcentum diſciplinæ, atque educationi in primis conſulere debeat; quandoquidem quibus in civitatibus rei hujus cura prætermittitur, aut negligitur, magnum ex eo reſpublica detrimentum capit*. Ita enim pueri ſunt inſtituendi, ut eorum ſtudia ad communem præſertim ſalutem, utilitatemque referantur: *quoniam finis unus*, pergit Ariſtoteles (*cit. loc.*) *civitatibus omnibus propoſitus eſt, profecto una etiam, eademque omnium diſciplina ſit, cujus cura & diligentia ſit publica*, ne-

neceſſe eſt, non privata, quemadmodum hoc tempore ſui cuique cura ſunt liberi, privatimque propriam artem, quam cuique videatur, doceat. At rerum communium communis etiam cura eſſe debet: nec quiſquam civis ſuum ſe, ſuique juris eſſe, ſed reipublicæ omnes exiſtimare debent: quippe cum omnes in civitatis parte numerentur, & cuique parti a natura tributum ſit, ut univerſo conſulat. Tum prudentiam laudat, atque inſtitutum Lacedæmoniorum (*ib.*) qui de puerorum virtute, idque publice, vehementiſſime laborarunt. Erant etiam quamplures, eædemque optimæ de pueris inſtituendis leges Perſarum, apud quos cum cives eſſent in claſſes quatuor tributi, quarum prima erat puerorum, altera puberum, tertia virorum, quarta eorum, qui emeriti dicerentur, ſingulis harum partium duodecim principes viri præerant electi e numero ſeniorum, qui ſibi creditos perquam optimos effecturi, & acceptam provinciam præclare adminiſtraturi viderentur (*apud Xenophont. Cyroped. lib.* 1.) Nunc quidem hac de re, qua cæteroquin nititur ſalus civitatum, nullæ fere ſunt leges latæ, ſed cura omnis liberorum parentibus relicta eſt. Videmus itaque eos de republica benemereri, qui operam ſuam conferunt ad pueritiam, ad adoleſcentiam, ad juventutem diſciplinis & bonis moribus imbuendam: *quod enim munus*, ſcribit Tullius (*lib.* 2. *de Divinat.*) *reipublicæ afferre majus, meliuſve poſſumus, quam ſi docemus, atque erudimus juventutem? his præſertim moribus, atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrenanda ac coercenda ſit.*

V. Quoniam igitur tanti momenti eſt recta puerorum inſtitutio, efficitur, nihil in ea induſtriæ, nihil vigilantiæ prætermittendum eſſe a parentibus. Hæc vero inſtitutio omnis in duobus poſita eſt, in literis, ac moribus; at potior morum ratio habenda cum ſit, quam literarum, eos præſertim ut teneris puerorum mentibus inſtillent, eniti quam vigilantiſſime parentes debent.

VI. Verum cum pueri conſtent animo & corpore, hoc quoque curandum eſt. Ac primum ratio poſtulat, ut mater prolem nutriat ipſa per ſe: iccirco enim lac ei datum eſt a natura, quæ nihil facit, quod inane ſit, ac redundet: quam ob cauſam nulla eſt belluarum, quæ per ſeſe ſobolem non alat ſuam. Fieri etiam poteſt, ut infans una cum lacte pro-

cli-

Digitized by Google

divitatem, ſi qua ſit in nutrice, fugat ad vitia. Tum quæ benevolentia eſt procreatricis, vitandæ moleſtiæ cauſa, rei cariſſimæ curam committere mercenariæ, & fere illiberali, abjectæque feminæ, quæ non amore infantis ducitur ad nutriendum, ſed quæſtus cupiditate? Deinde ipſi filii, qui ſciant ſe parentis lacte nutritos incredibili cum incommodo & labore, majori in eam charitate exardeſcent. Itaque mos, qui fere inveteravit, infantes nutriendi per extraneas feminas non probatur a ſapientibus, a Plutarcho (*de Liber. educand.*) a Sadoleto (*de Liber. recta educat.*) ab Jo. Corderio (*de Sancta Familia part.* 2. *cap.* 4. §. 2.) a Purchotio (*part.* 4. *Ethic. ſect.* 2. *cap.* 2.) præſertim vero Favorinus philoſophus (*apud A.Gellium Noct. Attic. lib.*12.*cap.*1.) morem illum gravi, & eleganti oratione vituperat ac reprehendit (*vid. & Decretum Gratiani part.* 1. *diſt.* 5. *can.* 3.) Quod ſi cauſæ incidant, cur non poſſit parens infantem ſuum alere, certe quærenda eſt nutrix optima, & honeſtate morum, & ſuavitate probatiſſima, cui & oratio ſit non inelegans & impolita. *Ne ſit vitioſus ſermo nutricibus*, ait Quintilianus (*Inſt. Orator. lib.*1.*cap.* 1.) *quas, ſi fieri poſſet, ſapientes Chryſippus optavit .... Et morum quidem in his haud dubie prior ratio eſt, recte tamen etiam loquantur*. Nam nutricis cum mores, tum oratio communicantur cum pueris, & illis inhærent. Sed jam de puerorum ſanitate primum dicam, tum de moribus, de literis poſtremo, vel artibus, quibus parentes curent, neceſſe eſt, ut filii erudiantur.

VII. Equidem induci vix poſſum, ut credam, non eſſe inimicum naturæ, & valetudini pernicioſum infantes arcte faſciis concludere ac devincire, ut in Italia, & aliis quibuſdam Europæ locis fieri ſolet; nam ea partium compreſſio violenta obſtat, quominus ſórdes ac feces commode emittantur e corpore, & membra dilatentur congruenter naturæ: ex quo dolores exiſtunt, quibus ſæpe conflictari infantes ſolent, iidemque interdum diſtorti ſunt, aut alia parte deformes; præterquamquod cum illis vinculis alligantur, videtur cum iis agi inhumanius: qua enim moleſtia afficiantur, ſatis indicant fletu & lacrymis, & ejulatu; contra vero cum liberi ſunt & ſoluti, exultant & geſtiunt propter voluptatem. Quapropter qui ſunt ad orientem ſolem, atque alii

Digitized by Google

alii in aliis locis eam duram conſuetudinem ignorant omnino; filios vero ita commodis integumentis involvunt, ut nihil premant, ſed ab injuriis anni temporum tueantur (*vid. Anton. Jandolinum in Hiſt. critic. vitæ civilis cap.5.*)

VIII. Nec vero mollis debet eſſe, & delicata puerorum educatio; quippequæ cum virtuti nocet, tum corporis ſanitati: qui enim molliter, effeminateque alti ſint, ii neque ad præclara, & egregia gerenda efficiuntur idonei, neque ad tolerationem incommodorum, & ex quavis aeris viciſſitudine detrimentum capiunt. Bion delicatum adoleſcentem noluit in ſuam ſcholam admittere erudiendum: *non enim*, inquit (*apud Laertium lib. 4. cap. 7. num. 3.*) *poſſibile eſt mollem caſeum hamo attrahere*. Quapropter ſinantur pueri morari in aperto cælo, frigus, atque æſtum pati, igne vix uti etiam hyeme, dormire non tecto capite; ſecus delicatuli futuri ſunt, iccircoque nullius pretii. Eam ob cauſam hujuſmodi ſit eorum veſtis, quæ frigoris quidem vim depellat quodammodo, ſed certe non efficiat calorem: *proderit etiam*, ait Ariſtoteles (*lib. 7. Politic. cap. 17.*) *eos jam tum, cum admodum pueri erunt, perferendis frigoribus aſſuefacere: hoc enim & ad valetudinem, & ad bellica officia valet plurimum. Itaque apud pleroſque mos eſt partim procreata in gelidum flumen immergere: partim, ut apud Gallos, brevi ac tenui veſte induere: omnium enim rerum, quæcumque poſſunt, jam inde ab initio ætatis melius eſt adhibere conſuetudinem, ſed ſenſim, atque pedetentim. Puerorum autem conſtitutio apta eſt calore ad frigoris tolerantiam*. Nec vero veſtimentum nimis arcte partes corporis complectatur, ut ſanguis fluat, remeetque liberior, nec impediatur natura, quæ in conformandis membris qualibet arte præſtantior eſt. Cibus etiam cum parcus ſit, tum vulgaris, atque expers varii & multiplicis condimenti. Extra prandium ac cœnam panis tantum fere dandus: ſi enim pueri cibo egent, erit ſuave obſonium fames; ſi vero non egent, præſtat a dape continere, quam ſecus. Hæc temperantia confert item ad ſtudia literarum, quibus operam date pleno ſtomacho nec ad progreſſionem diſcendi utile eſt, nec ad ſanitatem. Vinum vero pueris nocere dixi alio in loco (*lib. 3. part. 5. cap. 8.*) quibus & interdicendus eſt uſus cupediorum, quæ & bellaria dicta ſunt ab A. Gel-

Digitized by Google

Gellio (*Noct. Attic. lib.13. cap. 11.*) & ab aliis, & res bellæ a Terentio (*in Adelphis actu 4. Scen. 2.*)

Nam jam adibo, atque unum, quicquid erit belliſſimum,
Carpam, & cyathos ſorbillans paulatim hunc producam diem;

& vulgo ſecundæ menſæ nominantur, cibi conditi ad irritandam gulam, qui placent quidem propter ſuavitatem, ſed vehementer noxii ſunt valetudini. Equidem multos vidi pueros, quibus hoc ciborum genus vel dolores importarent, vel etiam ægrotationem & morbum.

IX. Hæc autem educationis ratio non modo tenenda eſt in vulgari, & mediocri familia, ſed etiam in nobili & opulentia; nec dura videatur: nam confert plurimum ad corporis & animi firmitatem atque conſtantiam, & more uſuque miteſcit, fitque facillima, & puer multis moleſtiis caret in poſterum. Iccirco & lectus ſit paullo durior, ut artus roborentur, non flacceſcant, ac plumarum mollitie debilitentur. Ex quo & illud conſequetur commodi, ut ſomnus, qui ad vitam eſt maxime neceſſarius, ſi caſus ferat, etiam inconcinno in loco capiatur; cum nonnulli ſint, qui non niſi in ſuo lectulo dormire poſſint; quod eſt hominis muliebris & delicati. Curandum item, ut pueri mature eant cubitum, tum mature ſurgant e lecto: ſi enim ita aſſueſcant, & conſulent ſanitati, nec deinde, ut fieri ſolet, multam noctem, aut interdum integram inſument in ludis, in epulis, in familiaritatibus, quæ & corpori nocent & moribus, nec dormient die, quem ad gerenda negocia natura deſtinavit.

X. Nec vero adhibenda unquam pueris medicina eſt, qua morbi præcaveantur, qui ſolent eſſe illi ætati familiares; immo nec ad levem depellendam infirmitatem; quippe quæ fere temperantia a cibo & a vino tolli poteſt ſine ope medicorum: facile enim teneri ac pueriliscorporis conſtitutio perturbatur, ac tutiora ſunt medicamenta naturæ, quam artis, ac multo faciliora, & ſine impenſis ac ſumptibus parantur, immo fere cuique præſto ſunt. At quammulti parentes reperiuntur, qui ſi filios ſentiant levi quodam dolore

re affici aut ſtomachi, aut capitis, aut febricula conflictati, ſtatim medicos adſciſcunt, qui venam incidi jubent, alvum purgari; præſertim purgationem præſcribunt autumno ac vere diuturnam; & morbus, qui brevi ſanari poterat, protrahitur in dies, & aliquando in multam ætatem, & ingraveſcit. Nec parentum refert, ſi puer, atque adoleſcens reliquis anni temporibus ventrem compleat abundatiori cibo, & ſæpe noxio, ac vino delectetur. Itaque ea medicina corpori adhibetur, quæ nihil prodeſt, nocet ſæpiſſime; ea vero non adhibetur, quæ certe prodeſt, hoc eſt, temperantia. Quo fit, ut non pauci, dum puerorum valetudini ſe conſulere arbitrantur, detrimentum inferant propter inſcitiam.

XI. Sed multo major fere eſt incuria de moribus. Parentes ſæpenumero hoc errore ducuntur, ut putent, infantes & pueros ad honeſtam conſuetudinem, ac bonos mores cito inſtituere non oportere, ſed expectandum, dum ratione præditi ſint, & quadam judicii maturitate: tunc enim ſapientiæ, officiorumque præcepta capere atque obſervare poſſunt, ac, ſi violent, jure puniuntur; cæterum ſi mores ad virtutis normam conformati requirantur a pueris, plus exigi, quam ætas ferat.

XII. Verum in ſummo errore, ut dixi, & maximæ rei ignoratione verſantur. Profecto nemo eſt ſapientum, qui non ſentiat, eam ætatem eſſe honeſtis moribus imbuendam, quæ adhuc tenera eſt, & mollis, & ceræ perſimilis, icircoque ad optimam formam fingi facile poteſt: etenim cum obduruit, ars inutilis eſt, & irritus in ea perpolienda labor;

Inſtituenda bonis eſt ipſa pueritia rebus.

(*Phocilides apud Plutarch. de Liber. educand.*) Nec arbor flecti poteſt, cum adoleverit, nec equus, nec canis a more diſcedit, qui certe a primis annis ita inveteraſcit, ut actum omnino ſit. Lycurgus, cum frequentes ad concionem conveniſſent Lacedæmonii, catulos produxit duos iiſdem quidem patentibus generatos, ſed quorum alter ad venationem inſtitutus eſſet, alter domi educatus ad gulam, ac poſita in medio lepore, ac patera plena ciborum, ille leporem inſe-

ce-

Digitized by Google

ctus eſt; hic cibos arripuit ad vorandum: quo facto oſtendit Lycurgus, quam vim habeat educatio (*Plutarchus de Liber. educand. & in Laconic. Inſtit. v. Lycurgus.*) Itaque etſi pueri ſint quaſi beſtiolæ; tamen quam primum aſſueſcant ad ea neceſſe eſt, quæ decent.

XIII. Sed ne illud quidem verum eſt, pueros expertes eſſe omnino rationis: nam fere in ipſo vitæ veſtibulo unum, duoſve annos nati, & multo magis tres, aut quatuor multa faciunt, in quibus apparent rudimenta & incunabula rationis, ac lineamenta judicii; delectantur laudibus, moventur vituperatione, utuntur calliditate ac ſolertia, alia occultant, alia negant, ſæpe mentiuntur, excuſant malefacta, culpam in alios conferunt, reſpondent, interrogant, amant, oderunt; quæ profecto ſine aliqua ratione fieri non poſſunt: hæc ratio non quidem perfecta eſt; ſed inchoata tamen, & quaſi adumbrata. Cum vero ſint item in puero ſemina innata, ut virtutum, ita vitiorum, hæc ab ineunte ætate ſenſim excitantur & creſcunt; at vitiorum ſemina multo facilius propter corruptelam naturæ, quæ & honeſtatis ſcintillas cito reſtinguunt ac ſuffocant omnino. Quod ne accidat, ſummo ſtudio cavendum eſt.

XIV. Videmus ergo parentes errare plurimum, qui putant, vitia puerorum, proptereaquod levia ſint, & fere innocentis ætatis propria, eſſe toleranda, ut mendacia, ut contumelias, ut jurgia vel in pares, vel in majores aliquando, ut liguritionem, ut contentionem, ut pervicaciam, & alia generis ejuſdem, neque committendum judicant, ut filii ea de cauſa aliquid moleſtiæ patiantur, cum futurum ſit, ut deinde prudentia & ratio id corrigat, quod in infantia & pueritia minus rectum eſſe videatur. Verum huc ſpectat, quod eſt apud Laertium (*lib.3. num.26.*) cum enim quidam quereretur, ſe in re levi reprehenſum eſſe a Platone, is reſpondit: *at eſt conſuetudo non parva res*. Quod dictum alii tribuunt Soloni. Hoc autem ita eſſe, parentes tunc intelligent, cum puer adoleverit, atque ita altas radices egerint vitia, ut evelli amplius nullo modo poſſint. Tum vero dolor, tum querimoniæ, tum anguſtiæ, tum etiam admiratio & ſtupor propter liberorum improbitatem & contumaciam. Sed equidem mirarer potius, ſi ex vitioſo ſemine lætæ

Digitized by Google

ac jucundæ ſegetes efflorescerent. Mature elidere oportebat fibras vitiorum, non indulgentia fovere.

XV. Quo fit, præcipuum eſſe munus parentum, idemque graviſſimum a teneris unguiculis, ut ita dicam, quavis innaſcente vitioſitate puerorum animos repurgare, & pravarum affectionum cauſas & initia tollere, ut ſuperbiæ, ut crudelitatis, ut iracundiæ, ut invidentiæ, ut avaritiæ, ut odii. Rident plerumque, ac plaudunt parentes, cum puerulum vident efferri inſolentius, ac cum aliis, præſertim miſeris, qui etiam veſte præſeferunt egeſtatem, durius agere; aut inhumane & inclementer cum ave, aliave innoxia beſtiola, invidere æqualibus, nolle unquam rem partiri cum fratribus, ne alia perſequar; immo connivent fere in omnibus: poſcit aliquid puer? dandum eſt: recuſat? non dandum: vocat? veniendum: quamobrem vel ipſis imperare parentibus aſſueſcit. Puer eſt; profecto; ſed paullo poſt erit adoleſcens, tum juvenis, ac ſibi quaſi jure ſuo eam vindicabit libertatem, qua ab ineunte ætate ſine controverſia potitus eſt, pro eaque, quaſi pro regno, dimicabit; nec quicquam valebit auctoritas cum adoleſcente, quem adhuc infantem & puerum blanditiæ mollierint, & depravarit nimium dulcis & facilis educatio, ac domeſtica corruptela.

XVI. Itaque ut perturbationum, vitiorumque initia tollantur, nihil dandum eſt puero, quia placet & gratum eſt, ſed tantum quia utile, & nihil, quod antea negatum ſit, quamquam lacrymetur ac lugeat, & videndum, ne id, quod a patre non poteſt, ab alio impetret: ſi enim fletu nihil proficit, nunquam flebit in poſterum ad impetrandum. Immo ne ſine cauſa aſſueſcat ad lacrymas, expediet quadam caſtigatione uti aliquando: oportet enim cohibere pro viribus libertatis & dominii cupiditatem, quæ ineſt in pueris natura: qui iccirco ita etiam inſtituendi ſunt, ut ne proferant quidem deſideria, niſi duce ratione, quam conſulant.

XVII. Similiter quicquid inhoneſtum eſt, & innocentiæ periculoſum removendum eſt, & amandandum a ſenſibus puerorum. Verba omnia coram pueris oportet eſſe honeſtiſſima, atque ea fere, in quibus vis quædam inſit ad gignendam augendamque virtutem, affectiones refrenandas, ac repellendam improbitatem. *Conſentaneum eſt*, ait Ariſtoteles (*lib.*7.

Po-

Politic. cap.17.) hanc etiam teneram ætatem a rerum illiberalium auditione, atque aſpectu abducere. Cum omnino ex civitate, ei, qui ſcribit leges, ut ſi quid aliud, verborum exterminanda eſt obſcenitas (qui enim facile obſcenum quid commemorat, is haud procul ab eo abeſt, ut faciat) tum ex pueris maxime, ut nihil tale nec dicant, nec audiant. Quamobrem præſcribit Ariſtoteles (*cit. loc.*) videndum eſſe, ne pueri cum ſervis vivant: ſolent enim ſervi, & famuli, & ancillæ, aliique viles homines parum prudenter loqui; & pueris in omnibus connivere. Et Plutarchus (*de Liber. educand.*) jubet, juniores cum ab improbo quoque, tum maxime ab adulatore, quo nulla eſt capitalior peſtis, eſſe omnino removendos: parentes enim liberis ſobrietatem commendant, adulatores ebrietatem; illi continentiam, hi libidinem; illi parſimoniam, hi pecuniarum profuſionem; quo pacto perdunt miſeram juventutem. Iccirco Auguſtus filiam ſuam, & neptes omni extraneorum cœtu interdixit, juſſitque nihil loqui unquam, aut facere, niſi palam, quodque in diurnos commentarios referretur (*Suetonius in Auguſto num.94.*)

XVIII. Præcipiunt etiam ſapientes, eſſe adhibendam curam, ne qua pictura ſit uſquam turpium rerum imitatrix, quæ cerni poſſit a pueris, quos a ſpectaculis etiam abeſſe, omnino volunt, quippequæ labem facile aſpergunt morum vitæque caſtimoniæ, atque ea relinquunt in animo, ex quibus peccata naſcuntur. *Et quoniam*, ſcribit Ariſtoteles (*lib. 7. Politic. cap. 17.*) *verborum obſcenitatem expulimus, certe ſpectacula etiam picturarum, aut librorum obſcenorum exterminamus. Quapropter adhibenda erit diligentia magiſtratibus, ne quod ſignum, neve pictura ſit harum rerum imitatrix . . . . . At vero adoleſcentes* (*cit. loc.*) *nec jamborum, nec comœdiæ ſpectatores eſſe lex ſinere debet.* Plato item (*Dial.3. de Rep.*) vult a magiſtratu vetandum eſſe, ne quod opus illiberale & turpe artifices faciant; ac tum pergit: *illi inquirendi ſunt artifices, qui naturali quadam induſtria poſſint tamquam per veſtigia exprimere pulchri ipſius, decorique naturam, ut tamquam in loco ſalubri habitantes juniores undique adjuventur: quandoquidem a pulchris, honeſtiſque operibus ſive ad oculos, ſive ad aures eorum honeſti aliquid pervenit, veluti ſuavis aura quædam a locis ſalubribus afferens ſanitatem: quæ*

Digitized by Google

quidem ſtatim afflare a primis annis incipiens ſenſim animos hominum in ſimilitudinem, amicitiam, & concordiam honeſtæ orationi, rationique conciliet.

XIX. Nec vero ſatis eſt curare, ne ager ſilveſcere incipiat, & male fruticari; at neceſſe eſt perquam bonum in eo ſemen ſpargere, quod afferat terræ fœcunditatem. Idem & in pueros valet: hi ſcilicet mature & diligenter inſtituendi ſunt ad religionem, ad pietatem, ad obedientiam, ad humanitatem etiam in famulos & tenuiores, ad lenitatem, ad patientiam, & fortitudinem præſertim in rebus adverſis, quæ ſunt in vita familiares, cæteraſque virtutes; atque in eorum animis injicienda in primis eſt cognitio Dei O. Max. quem intelligant ubique adeſſe præſentem, omnium conditorem ac rectorem providentiſſimum, a quo ſit quicquid uſquam eſt boni, honeſti, præclari, ab eodemque, ut benefacta præmiis donantur ampliſſimis, ita malefacta graviſſime puniuntur. Quocirca parentum eſt, ut diligant & vereantur Deum, liberos adhortari, atque, ut ætas fert, aliis ſacræ religionis myſteriis imbuere, ac legibus erudire, etiam prius, quam ſint perfectæ rationis compotes. Hæc, cum teneris mentibus cœperint adhærere, vim habent tantam, ut, ſi præſertim inciderint in concipientem, comprehendentemque naturam, fructus uberrimos ferant. Pro oblata autem opportunitate, & pueri intelligentia nunc laudanda caſtitas eſt, nunc temperantia, nunc prudentia, nunc patientia, & eorum afferendum exemplum, qui aliquo virtutum genere floruerunt, & ſi qui noti ſunt, ii commemorentur & proponantur ad imitandum, & contra qui labuntur in dedecus & turpitudinem ad execrationem & fugam vitiorum. Studioſe autem erudiendi ſunt pueri in cultu & honore majorum & ſenum, in obſervantia & obedientia: ex quo exiſtat pudor & verecundia (hæc enim ornamentum eſt ejus ætatis eximium & ſingulare) ſublata impudenti negligentia, qua ſit, ut nullam aliorum rationem habere videantur, & ſint inurbani. Hæc, quæ filius adhuc tener hauſit a patre, deinde ætas illuſtrat, & ratio confirmat & perpolit.

XX. Debent autem parentes filios docere præſertim factis & exemplo virtutum; nam in quotidiana conſuetudine

ma-

major vis ineſt, quam in præceptis, quæ data opera & conſilio tradantur: immo hæc vi omni carent, niſi opere confirmentur. At cum domi, maximeque in parentibus, quorum ſumma eſt apud filios auctoritas, lucet ſplendetque ſemper patientia, manſuetudo, benignitas, morum elegantia, hoſpitalitatis ſtudium, frugalitas, miſericordia, beneficentia, animi magnitudo quædam, atque conſtantia, vix fieri poteſt, quin ſenſim incipiant & filii iiſdem virtutibus delectari, quas in parentibus, velut in ſpeculo ſemper ante oculos poſitas intuentur (*vid. Plutarch. de Liber. educand.*) Exemplo in primis pueros erudiendos Perſæ judicarunt. *Docent etiam*, ſcribit Xenophon (*Cyroped. lib.1.*) *pueros temperantiam, ad quam diſcendam eis plurimum conducit, quod vident ſenes ipſos quotidie temperanter vitam agere. Tradunt præterea iis præcepta parendi magiſtratibus. Multum quoque huic rei conducit, quod ſeniores intuentur parere magiſtratibus magno ſtudio. Eoſdem inſuper docent, ut & cibi, & potus continentiam ſervent. Ad quod illos admodum adiuvat, quod ante oculos habent, ſeniores non prius abire ventris implendi gratia, quam principes permiſerint*. Ut filii parentes imitantur in greſſu, in geſtu, in ſermone, ita in moribus. Sed hujuſmodi omnium etiam domeſticorum vitam, & conſuetudinem oportet eſſe, ut ex ea nihil pueri poſſint diſcere, niſi quod honeſtum eſt, quod urbanum, quod decet.

XXI. Quid vero quod parentes ipſi ſæpe filios perdunt, & depravant exemplo & morum perverſitate? Patrem iracundum, ſuperbum, invidum, contumelioſum, immitem, nebulonem quo pacto filii non imitentur? Præclare Juvenalis (*Satyr.14.*)

Si damnoſa ſenem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
Nec melius de ſe cuiquam ſperare propinqua
Concedit juvenis, qui radere tubera terræ,
Boletum condire, & eodem jure natantes
Mergere ficedulas didicit nebulone parente,
Et cana monſtrante gula . . . . . .

Cum vero puer ita inſtitutus eſt, nihil prodeſt pædagogi, &

bris circumſepti: *noſtras amicas . . . . vident*, ait Quintilianus (*Inſtit. orat. lib. 1. cap. 3.*) *omne convivium obſcenis canticis ſtrepit, pudenda dictu ſpectantur. Fit ex his conſuetudo, deinde natura: diſcunt hæc miſeri, antequam ſciant vitia eſſe*. Nec quicquam valent aut præcepta, aut adhortationes, aut minæ parentum, ſi exempla & facta perverſa ſunt. Bene Juvenalis (*Satyr. 14.*)

Corripies nimirum, & caſtigabis acerbo
Clamore, & poſt hæc tabulas mutare parabis?
Unde tibi frontem, libertatemque parentis,
Cum facias pejora ſenex? vacuumque cerebro
Jampridem caput hoc ventoſa cucurbita quærat?

XXIII. Sunt etiam parentes, qui inſcitia doctrinarum in filiis inſtituendis ſæpe falluntur: putant enim eſſe virtutes, quæ reipſa non ſunt. Sic in urbanitate errant plurimum, ac faciunt filios non urbanos illos quidem, non politos, non elegantes, ſed muliebres, molles & effeminatos quodammodo, quos conſtat in verbis & factis, in greſſu, in geſtu, in riſu non natura duci, ſed artificio ingrato & ridiculo, & nugas ſectari & inanitates, quæ ad populares cœtus, & vulgi plauſum ſunt comparatæ: ab his autem potius filii abducantur neceſſe eſt: *vulgo enim placere*, ait Plutarchus (*de Liber. educandis*) *ſapientibus eſt diſplicere*. In quam rem affert verſus Euripidis (*in Hippolyto Coron.*)

Ad turbam ego verba facere, ſum imperitior;
Inter ſed æquales, paucoſque doctior.
Habet hoc locum: nam qui inter doctos nil valent,
Gratior apud vulgus eſt eorum oratio.

Equidem animadverti, pergit Plutarchus (*cit. loc.*) *qui in eo ſtudium ſuum ponunt, ut dicendo placere promiſcuis turbis hominum, eorumque reportare poſſunt gratiam, eorum vitam fere intemperantem, voluptatibuſque deditam exiſtere*. Errant parentes ſimiliter in frugalitate, quæ virtus eſt maxima, & in ſordes incidunt. Alii honoris & decori ſpecie (neque enim quid honor ſit, quid decorum ſciunt) filios erudiunt

Digitized by Google

ad contemptionem aliorum, ad arrogantiam, ad ſupercilium. Hæc, quæ hactenus dixi, non modo ad patrem pertinent, ſed etiam ad matrem, quæ certe magnam partem habet in liberis educandis.

XXIV. Quamquam vero utriuſque ſit prolem optimis moribus informare; tamen teneræ ætatis procuratio videtur potius matris eſſe, quæ & in puellarum recta inſtitutione debet eſſe perquam diligens & attenta, atque eas a luxu, nimioque ornatu removere, & curare, ut diſcant & ſuere, & nere, & alia facere, quæ ſunt feminarum propria (Auguſtus filiam, & neptes etiam lanificio aſſuefecit, ut Suetonius ſcribit *in Auguſto num.* 64.) ut contineant ſe domi; ne verſentur cum famulis, nec cum exteris hominibus, ſi qui forte negociorum cauſa veniant domum, ſed tum remoto in loco ſe abdant, nec accedant unquam ad feneſtram, aut fores; nec choreis interſint; ſi quando in publicum prodire neceſſe ſit, ſemper matris lateri adhæreſcant, & ſuſpectæ, aut non probatæ feminæ arceantur. Utile eſt honeſtas puellas grammatica arte erudiri ad ſacros libros intelligendos latine ſcriptos, ac leges ſcire, conſuetudineſque civitatis ſuæ: accedit enim non raro, ut, viro mortuo, filii in matris tutelam veniant, quæ vix recte rem familiarem adminiſtrabit, ſi juris patrii penitus ignara ſit.

XXV. Quamquam vero matris curæ quædam relinquenda videantur; tamen meminerit pater, ſe totius familiæ, & rerum omnium domeſticarum eſſe moderatorem ac præſidem; cum & caput ſit uxoris, & rector, ut ſupra dixi; præſertim cum matres nimia fere dulcitudine & indulgentia utantur in filios, quæ viri quadam ſeveritate refrenanda eſt.

XXVI. In id etiam parentes ſummopere incumbant, neceſſe eſt, ut filii optimum ſibi genus ætatis degendæ conſtituant, de qua te dixi alio in loco (*lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 4.) ineunte enim adoleſcentia, cui ineſt maxima imbecillitas conſilii, in ſummo negocio facile errare poſſunt, & labi, & moleſtiam ſuſcipere ſempiternam. Quo in genere nihil eſt iniquius, quam in certum aliquod inſtitutum invitos filios compellere aut vi, aut minis, aut dolo, aut precibus. Quod ſæpe contingit, cum id familiæ commoditati expedire videa-

Digitized by Google

ſeatur: qui enim domeſticis negociis gerendis inepti ſunt; qui deformes, qui tardi ecquid faciant domi? Detrudantur alio; contra retineantur ii etiam inviti, ex quibus emolumentum, aut decus in familiam redundare poſſit.

XXVII. Illa vero magna corruptela eſt, immo dementia, puellas, quæ dicare ſe velint Deo intra ſacrum conclave in omne poſterum tempus, priuſquam illuc ſubeant, ornare leviſſime, circumducere in omnem partem, ut videant quicquid uſquam eſt inanitatis, theatra, ſpectacula, choreas, ſaltationes; quibus rebus earum animus prius oblectetur, quam ſolitariæ vitæ inſtitutum ſuſceperint. O inſaniam ſingularem! Eæ ſcilicet cupiditates ſunt excitandæ, quibus illæ miſere perturbentur in omni vita? in ea ſunt pericula conjiciendæ, e quibus vix evadat unquam ſalva & incolumis innocentia? Et hæc quidem ad filiorum mores attinent, atque utinam ſatis ſint ad confirmandum filium, & roborandum contra corruptelam malæ conſuetudinis, cujus vis eſt tanta, ut ea plerique præcipites rapiàntur. Nunc dicam de literis.

XXVIII. Itaque parentum eſt curare, ut liberi in ſcientiis & diſciplinis erudiantur, e quibus ubertimi, jucundiſſimique fructus exiſtunt: *doctrina*, ſcribit Plutarchus (*de Liber. educand.*) *omnium, quæ nobis adſunt, bonorum ſola immortalis eſt, & divina . . . . Sola enim mens ſeneſcens juveneſcit, & tempus, cum adimat alia, ſenectuti apponit ſcientiam.* Quare Socrates interrogatus, an magnus Perſarum rex eſſet felix, reſpondit; ignoro, an eruditione, vel juſtitia præditus ſit (*apud Platonem in Gorgia*) in his enim, non in copia divitiarum, aut imperio locabat felicitatem. Cum doctrina jure merito æſtimetur tanti, Auguſtus nepotes ſuos & literas, & alia rudimenta docuit plerumque ipſe per ſe (*Suetonius in Auguſto num.64.*) Magna igitur cura adhibenda eſt, ut puer proficiat in literis, & ut primum fieri poteſt, a quarto, aut quinto anno diſcat legere, tum doceatur latinam linguam, & græcam, & geometriam, & philoſophiam, artemque rhetoricam, aliaſque ſcientias, ut fert & conditio, & tempus, & propoſitus cuique finis; quibus de rebus plura dicam, cum, quod ſit præceptoris officium, explicandum erit.

Digitized by Google

XXIX. Generatim vero pueri, qui cupidi ſunt ſciendi, juventur, nec ulla quæſtio ab eis propoſita contemnatur, ſed reſponſio ſit ſeria, atque ad eorum ætatem, & mentis aciem accommodata, nec unquam ficta & ſimulata; immo laudatione excitentur ad quærendum de rebus, ut ſenſim erudiantur; cum enim ratio in homine præſtantiſſima ſit, danda opera eſt, ut incipiat mature perfici, quoad fieri poteſt. Nec vero parentes admodum fidant alacri quodam, erectoque ingenio puerorum, quippequod ſæpe, ne progrediente quidem ætate, comitem habet perfectionem, maturitatemque judicii, & aptum quidem eſt ad ineptias, & ad ea intelligenda, quæ ſunt in aperto, & quaſi patenti loco, at non ad perſcrutandam, percipiendamque penitus veritatem. Profecto multi, dum pueri ſunt, videntur ingenioſi, quos deinde ætas oſtendit leves eſſe, & expertes judicii. Hos igitur in primis oportet perpolire cultura.

XXX. Sed quæſtio eſt, an privata ſchola ſit publicæ præferenda, an ſecus; in quo eſt magna diſſenſio. Quintilianus quidem (*Inſtit. Orator. lib.*1. *cap.* 3) putat, pueros & adoleſcentes utilius in publicis ſcholis erudiri, quam domi. Primum quod præceptor vix inveniri poſſit optimus, qui velit operam ſuam in unius inſtitutione ponere: nam optimus quiſque gaudet frequentia. Deinde eſto pecunia, ac magno ſumptu doctiſſimus, honeſtiſſimuſque reperiatur; num in uno totum conſumet diem? dum puer ſcribit, legit, ediſcit, interim ſileat præceptor neceſſe eſt. Plura etiam ſunt, quæ tot ſimul diſcant, quot audiunt, quale eſt libros explicare, præcepta tradere, hiſtorias exponere; & certe compertum eſt hoc eſſe veriſſimum, cum opera danda eſt philoſophiæ, theologiæ, juri aut civili, aut pontificio, medicinæ, aliiſque ſcientiis generis ejuſdem, in quibus prodeſt multitudo audientium, non nocet. Tum in conventus & frequentiæ lumine mens attollitur, excitatur, quæ intra domeſticos parietes aut languet, aut inani ſcientiæ opinione turgeſcit. *Adde*, pergit Quintilianus (*cit. loc.*) *quod domi ea ſola diſcere poteſt* (puer) *quæ ipſi præcipientur, in ſcholis etiam quæ aliis. Audiet multa quotidie probari, multa corrigi: proderit alicujus objurgata deſidia: proderit laudata induſtria: excitabitur laude æmulatio: turpe ducet cedere pari:*

pul-

pulchrum ſuperaſſe majores. Accendunt omnia hæc animum: & licet ipſa vitium ſit ambitio; frequenter tamen cauſa virtutum eſt. Valent item ad animum incendendum literariæ contentiones, propoſito præmio vincentibus. Quid quod præceptor non adhibet vim in dicendo, ſublata frequentia? Hæc profecto magni momenti ſunt. Hanc partem ſequitur, & graviter, ornate, copioſeque defendit Lagomarſinus (*in duplici oratione, altera pro lingua latina, altera pro publicis ſcholis apud Caloger. tom. 16.*)

XXXI. Sed aliis ſecus videtur: nam præceptor uni melius vacat, quam multis: tum ejus mores, quem ſemper præſentem habet, obſervat, & naſcenti vitio, & cupiditati quaſi morbo adhuc levi opportunam facit medicinam: mox cuſtos ei adeſt cum domi, tum foris. Præterea puer in ſchola verſatur cum nemine, cujus garrulitate a ſtudio avocetur & abſtrahatur. Deinde pater, quid agatur, intuetur oculis ſuis, & præceptoris interdum excitare poteſt induſtriam, & quid filio magis expediat una cum illo deliberare. Accedit, quod in adoleſcentum & puerorum cœtu difficile eſt, non eſſe aliquem vitiis inquinatum, inurbanum, rudem, iracundum, litigioſum, intemperantem, a quo ſæpe multi contaminentur: eſt enim vitiorum faciliima propagatio. Neque huic incommodo in tanta turba occurrere poteſt is, qui pueris præeſt. Quod vero ad eruditionem pertinet, & ſtudium literarum; quomodo unus ſingulos excutiat, cum ſint tam multi? ea perlegat, quæ a ſingulis ſcripta ſunt, iiſque præſentibus, id corrigat, in quo erratum fit? ſe ad ingenium accommodet, & indolem ſingulorum? alii enim citius præceptiones arripiunt, alii tardius. Contingit etiam, ut cum pueri e ſchola egreſſi ſint, inita cum aliis ſocietate, morum innocentia periclitetur: ſolet enim maxima eſſe corruptela adoleſcentum & puerorum.

XXXII. Equidem domeſticam ſcholam publicæ arbitror præferendam, ſi fieri poſſit, maxime propter mores, quibus ſi publica ſchola noceat, ipſe idem Quintilianus ei præfert privatam. *Si ſtudiis quidem*, ait (*Inſtit. Orat. lib. 1. cap. 3.*) *ſcholas prodeſſe, moribus autem nocere conſtaret, potior mihi ratio vivendi honeſte, quam vel optime dicendi videretur.* Nec vero timendum eſt, ne domi concluſus puer dejecto ani-

nimo ſit, non audaci, non erecto, non alacri: eſt enim potior modeſtia, quam audacia. Sit virtute præditus, erit idem & urbanus, & comis, & ſibi ad ſecundam fortunam aperiet viam. In puero laudatur potius taciturnitas quædam cum verecundia, quam audax & inſulſa loquacitas; qualis ſolet eſſe puerorum, in quorum ſocietate nihil diſcitur, quod nobile & decorum ſit. Deinde vero cum ætas feret, ut puer in civili cœtu verſetur, facile ac brevi officiis, quæ civilis vitæ propria ſunt, eruditur conſuetudine, & experientia; contra vitium, ſi quod innaſci cœpit in animo, non tollit civilis conſuetudo, ſed auget & confirmat propter morum corruptelam, quæ juventutem fere occupat univerſam. Itaque inſtitutio in virtute acrem, & primam curam, diligentiamque deſiderat.

XXXIII. Sed curandum omnino eſt, ut præceptor eligatur optimus; hoc eſt, qui & doctrina præditus ſit, & ad docendum idoneus, idemque honeſtus, ac probus, & ætate provectus ac gravis, qui modum teneat ſeveritatis ac lenitatis, utaturque incredibili patientia in tradenda doctrina, nec quicquam ſupra ætatem ac vim ingenii ab alumno ſuo poſtulet, cujus etiam mores & indolem perſcrutetur diligentiſſime, & corrigat, cum oportet, inſeratque in mollem animum ſemina virtutum. Sed hæc fuſius, cum de præceptoris officio dicam.

XXXIV. Quanta res ſit filium optimo præceptori tradere, cum apertum eſt per ſeſe, tum ſapientes viri confirmant non verbis modo, ſed facto. Philippus Macedo, nato Alexandro, epiſtolam dedit ad Ariſtotelem, in qua ſcribit, non tam gaudere ſe, quod natus ſit filius, quam quod eo tempore natus ſit, quo magiſtrum habere eum poſſet, qui tanta philoſophiæ, omniſque doctrinæ laude præſtaret (*Epiſtola extat apud A. Gellium Noct. Attic. lib.9. cap.* .) Theodoſius imperator is, qui cum imperii majeſtate eximiam probitatem conjunxit, cum Arcadium filium ſex annos natum renunciaſſet Auguſtum, ac de optima ejus inſtitutione vehementer laboraret, ad Gratianum imperatorem ſcripſit, ab eo etiam, atque etiam flagitans, ut virum aliquem præſtantiſſimum, atque ſanctiſſimum, a quo Arcadius filius erudiretur, quæreret, & Conſtantinopolim mitteret. Gratianus,

re

ſe per literas communicata cum Damaſo Romano pontifice, is Arſenium diaconum cum pietate, tum doctrina probatiſſimum ad eum miſit. Conſtantinopolim cum veniſſet Arſenius, Theodoſius ei filios ſuos tradidit erudiendos, atque ait: in poſterum tu magis eorum pater, quam ego. Cum vero ſcholam ingreſſus Arſenium ſtantem vidiſſet, Arcadium vero auditorem ſedentem, reprehendit Arſenium, quod magiſterii gradum non ſuſtineret cum dignitate; cumque is minus decere reſpondiſſet, ſi ſedens doceret imperatorem, ille ſubiratus imperatoris inſignia filio abſtulir, & Arſenium ſedere juſſit in altiori loco, filium vero audire detecto capite [*Baronius ad an.* 383. *num.* 22.] Ex quo parentes intelligent tum quæ cura in præceptoris delectu adhibenda ſit, tum quo ſtudio curandum, ut filii eum obſervent & colant. Præeant autem & paterfamilias exemplo, & ejus juſſu domeſtici omnes, neceſſe eſt.

XXXV. Quod ſi qua academia erudiendis liberis aptior videatur, ejus eſt habendus delectus, in qua ſalva ſit, quoad fieri poteſt, morum probitas, quæ magni momenti eſt etiam ad ſcientiam: hanc enim experientia compertum eſt vix cum improbitate, ac turbidis animi motibus poſſe conſiſtere.

XXXVI. Nec vero cum liberi pædagogis, aut magiſtris traditi ſunt, eorum cura negligenda eſt a parentibus; quippequi tum etiam quantum in literis ac virtute proficiant, inveſtigare debent, & ſcrutari diligenter ac ſæpe, & videre, an magiſter munere fungatur ſuo, ut oportet: ſic enim & præceptoris induſtria excitatur, & liberorum, quorum inertia & contumacia monitis, ac reprehenſione corrigi poteſt. Seleucus quidem rex Syriæ ad filium ſuum Antiochum probitate & literis imbuendum præceptores delegit duos, alterum latinum, alterum græcum, omnium, quos ſciret, optimos (*apud Petrum Juſſanum in Inſtit. Patrisfam. cap.* 24. *qui citat Sextum Cheronenſem*) Tum ſecreto juſſit Parthenium familiarem ſuum perſpectæ fidei virum huic tantum rei operam dare, ut, quid a præceptoribus ageretur, videret. Illi poſt duos menſes, re cognita, convenere Seleucum, & graviter conqueſti ſunt, quod, quaſi homines ſuſpectæ fidei, Parthenium haberent exploratorem ſuis actioni-

Digitized by Google

nibus conſtitutum, hominem expertem doctrinarum, qui ic. circo errare plurimum poſſet in judicando: rogabant autem, ſi Parthenius melior & aptior haberetur, ut hunc rex filio ſuo educatorem daret. Hac expoſtulatione & querimonia rex nihil permotus, reſpondit, ſe de illis egregie ſentire; nec quicquam, inquit, meo facto veſtræ auctoritati, aut fidei detractum eſt; immo, quod cepi, conſilium & vobis utile eſt, & mihi honeſtum: ſi enim boni viri eſtis, pergratum vobis futurum eſt, me ſcire quotidie, quid agatis: quoniam tunc ex memoria, quæ confirmatur in dies, officiorum veſtrorum regiam in vos tum benevolentiam, tum liberalitatem excitari neceſſe eſt. Si quid vero vos peccare contigerit, conſentaneum eſt, me hac de re certiorem fieri: nam in filii inſtitutione non ejus tantum felicitas, ſed & regni ſalus poſita eſt, & ratio omnis dignitatis meæ. De re tanta me vehementer eſſe ſollicitum & decet, ut videtis, & maxime neceſſarium eſt. De Parthenio autem nihil eſt dubitandum, cujus fides ſancta atque incorrupta multis rebus ac magnis, & diuturno tempore mihi probata eſt, ut & cognita communi fama, & experientiæ teſtimonio veſtra integritas ac ſapientia. Itaque bono animo eſtote, &, ut cœpiſtis, pergite. His dictis, & regis comitate præceptorum perturbatio omnino ſedata eſt. Neque hac diligentia contentus Seleucus bis in ſingulas hebdomadas a magiſtris accurate ſciſcitabatur de filii moribus ac diſciplina, & ſi quid ab eo peccatum eſſet, ipſum accerſitum ad ſe, præſentibus magiſtris, ut diceret, ſi quid haberet excuſationis, modo lenius, modo paullo aſperius increpabat, monebatque emendandi gratia. Atque, ut magiſtris conciliaret auctoritatem, in eos benignitate utebatur coram adoleſcente, & laudabat abſentes, quos ut ille cultu & honore proſequeretur, cum exemplo, tum adhortatione efficere ſtudebat. Hujus regis curam ac ſolertiam parentes in filiorum inſtitutione ſibi proponant ad imitandum: ſic enim futurum eſt, ut præceptor, & alumnus ſit in ſuo fungendo munere diligentior. Mercedem pariter non modo perſolvant doctoris incommodo ac labori debitam, ſed redundantem.

XXXVII. Verum non pauci ſunt parentum, qui de liberorum progreſſu ac moribus magiſtrum nunquam interrogant,

gant, ne inviſunt quidem, nec ei referunt gratiam, nec habent. Hoc vero præſertim accidit, cum adoleſcentes gravioribus diſciplinis dant operam, ut philoſophiæ, ut theologiæ, ut juriſprudentiæ, aliiſque generis ejuſdem; & illud præterea accedit incommodi, quod cum domeſtici, tum ipſi eidem, qui eruditi ſunt, alienati in poſterum videantur a præceptore: eſt enim in more poſitum, ut, qui debent, ii non libenter ejus ferre poſſint aſpectum, cui debeant: quamobrem præceptores & carent mercede, nec beneficio ſibi benevolentiam conciliant. Hi quidem parentes, præterquamquod liberorum inſtitutionem flagitioſe negligunt, nullam omnino nec urbanitatem norunt, nec humanitatem, nec gratiam.

XXXVIII. Nec vero rari ſunt, qui ineptos magiſtros, aut pædagogos eligunt propter avaritiam. Ariſtippus interrogatus a quopiam [*apud Plutarchum de Liber. educand.*] quantum mercedis pro filii ſui inſtitutione poſceret, mille denarios, reſpondit, eoque exclamante: hercules quam valde nimium exigis! poſſum enim mille denariis ſervum emere. Eme, inquit; tum mancipia habebis duo, filium tuum, atque id, quod emeris.

XXXIX. At enim impediunt occupationes, quominus in filii ſtudia & mores inquiram. Ecquænam? poteſt igitur gravior quædam eſſe occupatio, quam filii optima diſciplina? *non enim video*, ait Plato (*in Thearge*) *ubi majore diligentia opus ſit, ſi quis mentem modo habet, quam ut filium optimum reddat.* Equidem nihil arbitror eſſe dementius, quam tantam operam in prædiis, in gregibus, in armentis ponere, amplificandaque re familiari; filios autem, quibus hæc omnia paranda ſunt, educare negligentius. *Nonne conſentaneum eſt*, ait Plutarchus [*de Liber. educand.*] *quod antiquus ille Crates dixit? ſe, ſi fieri poſſet, altiſſimo urbis loco conſcenſo, proclamaturum: quo tenditis, homines? qui rei faciundæ omne impenditis ſtudium; filiis, quibus opes veſtras relinquetis, curam perparvam?* *Quibus ego adderem*, ait Plutarchus, *tales patres perinde agere, ac ſi quis de calceo ſit ſollicitus, pedem nihil curet.* Hanc ob cauſam qui in tanta re negligentes ſunt, quamquam in aliis præſtent, vituperantur a ſapientibus, ut a Platone Pericles [*in Alcibiade*] *habes*, in-

Digitized by Google

inquit Plato, *quem dicere poſſis a Pericle ſapientem factum à filiis incipiens?* cum tamen is propter animi fortitudinem in adverſis & arduis, propter eloquentiam, propter frugalitatem, & res præclare geſtas belli ac domi maxime celebraretur [*ejus vita deſcripta eſt a Plutarcho ib.*] Cyri etiam, qui tantus rex extitit, ut ex Xenophontis Cyropedia intelligi poteſt, exiſtimationi ac famæ detraxit neglecta liberorum educatio: cum enim eſſet maximorum bellorum expeditionibus occupatus, filios ſuos inſtituendos reliquit feminis, & præſertim uxori, quæ cum eſſet Meda, non Perſarum, quæ ſevera eſt, ſed Medorum delicatam ac mollem diſciplinam ſecuta eſt. Ex quo poſt Cyri mortem duo filii ſuperſtites cum rerum potiti eſſent, & neuter ferre poſſet in imperio parem, alter, hoc eſt, Cambyſes alterum interfecit; tum vero & ipſe intemperantia ac mollitie, & inſcitia evertit funditus principatum (*Plato Dial.3. de Legib.*) Contra Cornelia mater Gracchorum & generis claritate; & probitate, & doctrina celeberrima mirifice commendatur propter ſolertem curam, quam in filiis inſtituendis collocavit; cujus & extat epiſtola ad eos data, cum eſſent belli, ut auctor eſt Sextus Cherſonenſis (*de laudibus feminarum apud Petrum Juſſanum Inſtit. Patrisfam.cap.*21.) in qua ſcribit, eos ſpe inani duci, ſi a ſe expectent divitiarum hæreditatem; malle ſe ipſis morum honeſtatem relinquere, qua vivant, quam triſtes facultates, quibus pereant; nec comparandis copiis laborare ſe propter eam cauſam, quod multi Romanorum in vitia prolabantur, dum animum ad paternas opes intendunt; ſe autem optare potius, ut ipſi pauperes ſint, ac boni, quam divites ac flagitioſi. Hæc profecto ſunt dicta ſapienter, cum nulla ſit hæreditas, quam parentes filiis relinquant, virtute præſtantior.

XL. Quibus vero propter rei familiaris anguſtias, tenuemque fortunam non licet puerorum animos ad literas applicare, ii certe curare debent, ut ſaltem artem aliquam addiſcant minime periculoſam, qua & otium fugiant, & vitam alant honeſte: nemo tamen ſit, qui neſciat ſaltem legere & ſcribere: hoc enim fere poſſunt omnes.

XLI. Illud non eſt prætermittendum, pleroſque in eo errare plurimum, quod permittunt adoleſcenti ac juveni poteſtatem id faciendi, quod lubet, & cum pueritiam gubernarint aut per ſe, aut opera pedagogi ac magiſtri, eam ætatem deſerunt, quæ gravioribus periculis circumſepta eſt, & perturbationum impetu jactata in perniciem ruit (*vid. Plutarchum de Liber. educand.*) Tunc igitur parentis eſt curare multo diligentius, ut filii cujuſpiam boni viri familiaritate utantur, vitentque conſuetudinem improborum, ad divina myſteria, ex quibus omnis bonorum copia ad nos permanat, libenter accedant, & ſæpe; libros legant, quibus animus excitetur ad honeſtatem, caveant a periculoſis, & ne in eam opinionem incidant, mentis excelſitati officere religionem; neve unquam otioſi ſint, ſed ita vivant, ac præclaris ſtudiis occupentur, ut & ſibi utiles eſſe poſſint, & familiæ, & reipublicæ.

XLII. Quo efficitur, adoleſcentiam non eſſe aptam peregrinationi: nam hæc ætas prudentia, uſuque rerum non valet ad vitanda pericula, quæ ubique ſunt, & fere nihil poteſt ex locorum & gentium varietate fructus & emolumenti capere, at detrimenti plurimum. Nec propulſantur incommoda, ſi adoleſcens ſecum habeat educatorem, & viæ ducem: huic enim etſi gravi & bono viro non obediet is, qui jam ætate ſit grandior, & verſari cœperit cum hominibus, quorum ſe putet perquam ſimillimum. Itaque cujus cum ætas, tum virtus confirmata ſit, ei proderit peregrinatio, ſi & literarum amor acceſſerit. Tunc boni mores ab improbis ſecerni poſſunt; tunc quæ bona ſunt, eligi, declinari contraria; tunc licet illuſtres & literatos viros convenire, a quibus præcepta hauriantur civilis conſuetudinis, & officiorum, qui eſt fructus peregrinationis maximus (*vid. Lokium de educatione Filiorum cap. 27.*)

XLIII. Illud ſimiliter reprehenſione dignum eſt, quod parentes ſæpe incultos eos patiuntur eſſe, qui ſint ingenio tardiores. Quo fit, ut quemadmodum agri, qui nulla agricolæ cura exercentur, non modo nullos fructus ferunt, ſed etiam urtica & vepribus inhorreſcunt, ita filii nihil faciant, quod honeſtum ſit, immo ignorantia & vitiis turpiter in-

Digitized by Google

inquinentur; cum nullus contra ager fere ſit, qui aliquem fructum non gignat, ſi accedat induſtria.

XLIV. Sed quæſtio eſt, quæ ſit in liberorum educatione adhibenda ratio, ſeverior ne, an mitior? Generatim nulli dubium debet eſſe, quin conſentaneum omnino ſit potius uti lenitate; & adhortatione, laude, propoſitis exemplis, virtutis commendatione, & vituperatione vitiorum, teneris puerorum & adoleſcentum animis ſtimulos admovere honoris & gloriæ. *Accendunt omnia hæc animos*, ait Quintilianus (*Inſtit. Orat. lib.*1. *cap.*3.) *& licet ipſa vitium ſit ambitio, frequenter tamen cauſa virtutum eſt:* facit enim, ut honeſte vivatur, & præclara facinora gerantur: quamobrem gloriæ ſtudium in pueris ferendum eſt, & inflammandum aliquando; modo, quis verus honor ſit, doceantur, is ſcilicet, qui benefactis comparatur. At prudenter & caute laudetur puer, ne inflctur ac turgeat propter ſuperbiam (*vid. Plutarc. de Liber. educand.*) Quod ſi qua in re peccent, ſæpenumero admiratione peccati induci poſſunt ad pœnitendum. Proderit etiam, ſi pater ſe a filio propter culpam oſtendat abalienatum quodammodo. Tum vero non tam cito ad conſueta redeat ſigna & officia benevolentiæ; ſecus puer eam nubem contemnit & ridet, quæ celerrime diſſipatur ac pellitur, adducta cœli ſerenitate.

XLV. In primis vero prudentia, gravitate, aliiſque virtutibus, & amoris ſignificatione, cum tempus poſtulat, non tamen levi blanditia præſertim propter ineptias & ſcurrilitates [ut quidam faciunt, qui pueris utuntur ut mimis] curent parentes, ut magna ſint apud filios auctoritate, hoc eſt, & amentur, & timeantur; atque id a prima ſtatim ætate: inhæreſcunt enim in animo ea, *quæ rudibus annis percepimus*, ut ſcriptum eſt a Quintiliano [*Inſtit. Orat. lib.*1. *cap.*1.] Qui artem novit conciliandæ ſibi charitatis & reverentiæ, & filios continendi in officio ratione & morum ſuavitate, is ſane optimæ inſtitutionis & diſciplinæ formam ac rationem tenet. Icciro non ſunt laudandi, qui fere nunquam liberos alloquuntur, nec cum iis domeſtica negocia communicant quamquam natu grandioribus, nec eorum conſilium (quod interdum vel petere prudentis & benevoli eſt, & multo magis petenti amice dare) ſequuntur

etſi

etſi rectum, congruenſque rationi. Hæc ſi ad metum valent, profecto ad amorem non valent. Male autem futurum eſt parentibus, quos filii timent tantum, non amant: etenim quæ metu fiunt, ea nec diuturna ſunt, nec officia virtutis, qua ſublata, nihil poteſt eſſe firmum, nihil omnino laudabile. Hanc ob cauſam raro proderit caſtigatio, & fortaſſe nunquam futura eſt neceſſaria, ſi puer ſtatim ab ineunte ætate bene & liberaliter inſtitutus eſt, & aſſuetus ad parendum: nimia enim in filios adhuc teneros indulgentia cauſa eſt, cur eorum vitia non poſſint corrigi propter inveterationem, atque extremo quodam remedio opus ſit.

XLVI. Sed ut ut eſt, certe quædam puerorum peccata virgis ac moderata caſtigatione coercenda ſunt. Hæc tamen ad unum, ut arbitror, revocantur, hoc eſt, ad contumaciam, quæ voluntaria ſit, atque eadem aperta: eſt enim pueri, qui renuat obtemperare majoribus, qui indocilis ſit, pervicax, obſtinatior, audacia & temeritas comprimenda: quamobrem non multa præcipienda ſunt liberis, nec unquam temere, ſed contendendum omnino id fieri, quod præceptum eſt.

XLVII. Hæc autem pervicacia poteſt eſſe cum in iis, quæ ad morum innocentiam & honeſtatem pertinent, tum in ſtudiis literarum; & certe, quæ prioris generis eſt, eam oportet cohibere vehementius. Quo refertur mendacium omnino voluntarium & impudens, pro quo puer magna cum confidentia ſtet contra veritatem. Si autem mentitus ſit metu quodam violento, reprehenſione quidem dignus eſt, ſed non expedit gravior animadverſio; & ne tum quidem, cum ſemel tantum peccat impudenter, obſtinateque mentiendo, cum ſpes eſt fore, ut alia mitiori via emendari poſſit. Puniendus eſt etiam ſi peccat præſertim non ſemel in violanda juſtitia etſi in ludis, & re levi: nam doli mali, & fallaciæ turpitudo in ſeſe, non ex rebus æſtimanda eſt, in quibus cernitur. Res levis eſt, quia non ſuppetit magna: cæterum pecuniam ſurripiet is olim, qui nunc acum, aut nucem ſurripit. Quod & cadit in peccata, quæ ſint caſtitati contraria: his enim nullam eſſe peſtem capitaliorem dixi alio in loco (*lib.3. part.5. cap.3.*) quamobrem omnino curan-

dum eſſe, monent ſapientes, ut ſinguli filii lectulum habeant peculiarem & ſuum.

XLVIII. Ad ſtudia vero literarum quod ſpectat, ſi puer pigritia, atque inertia obduruerit ad alia omnia, tunc venire licet ad verbera; at non ſæpe: nam ea contemnuntur, quæ uſu evaſerint familiaria. Cum vero huc veniendum eſt ſive propter ignaviam, ſive propter improbitatem, acrior ſit animadverſio: nam mitior graviori morbo nihil fere profutura eſt. Incutiendus igitur puero eſt is metus, quo arrogans permoveatur & dura ac ferrea natura, ſi fieri poteſt, emolliaturque quodammodo. Semper tamen ita tenere oportet modum, ut pueri valetudo ac membra corporis nihil detrimenti capiant. In quam rem aptum eſt inſtrumentum aliquod, quod dolorem efficiat quidem, cutemque perſtringat, ſed nullo modo obterat & contundat.

XLIX. Quædam vero in hac animadverſione vitiorum cautiones ſunt adhibendæ, ne noceat potius temere & inconſulto facta medicina, quam proſit. Primum itaque cavendum eſt, ne puer tunc temporis puniatur, cum errat, & animum habet motu aliquo perturbatum, ſed expectetur, dum redeat ad mentem, & intelligat, ſe peccaſſe, nec conſentaneum eſſe, ſibi peccati impunitatem dari. Tum abſit iracundia in puniendo: *prohibenda autem maxime eſt ira in puniendo*, ait Tullius (*lib. 1. Offic.*) . . . . *optandumque, ut ii, qui præſunt reipublicæ, legum ſimiles ſint, quæ ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur*: ſi enim puer ſentiat, pœnam non a ratione, ſed a perturbationis impetu proficiſci (facile autem id cognoſcit ex vultu ac voce) non poteſt eſſe utilis caſtigatio. Quamobrem abſtinendum eſt a pugnis & alapis, quibus nemo utitur niſi ſubita animi perturbatione commotus.

L. Ex quo poteſt intelligi, quam imprudenter faciant ii, qui in puniendis liberis nullam rationem habent nec loci, nec temporis, nec malefacti; nec ea ſecernunt quæ fiunt inconſiderate & puerili quadam levitate, ac quæ cogitato & animi pervicacia, & quæ levia ſunt, ac quæ gravia. Quapropter ſæpe fracto poculo, aut alio vaſe, clamant, vociferantur, puerum cædunt; interim vero majora delicta nec curant, nec caſtigant, qualia ſunt ea, quibus violatur

in

in Deum pietas & religio, aut juſtitia & fides in homines, aut caſtitas & temperantia.

LI. Præterea ætatis habenda ratio eſt in puniendo: cum enim filius jam pubes eſt & natu grandior, vix cum eo verbera utiliter adhibentur, niſi magna flagitante neceſſitate. Tunc igitur remiſſio quædam debet eſſe ſeveritatis, & major indulgentia cum victu, tum veſtitu, atque cultu; qui tamen decorus quidem ſit, at non ſumptuoſus: hic enim & in feminis vituperandus cum ſit, quanto magis in maribus? cum præſtet ornatum quærere animorum, quam corporum. Quædam etiam pecunia adoleſcenti dari poteſt, ſed caute; interim vero in quam rem conſumatur, diligenter videndum eſt.

LII. Multa, quæ de caſtigatione dixi, in reprehenſiones etiam cadunt. Expedit quidem ſæpe pueros admonere; quamquam & id opportune, & cum modo: at reprehenſio, quippequæ animum pungit, & ſevera eſt, rarius eſt adhibenda, & non niſi propter errata graviora; nec tunc, cum aut puer excandeſcit, aut is, qui reprehendit. Similiter increpandi ratio debet eſſe ſine contumelia, & pueri ingenio ac moribus accommodata. Itaque ejus indoles ac natura penitus introſpicienda eſt, & attentius conſideranda: ſunt enim nonnulli, qui propoſita rei turpitudine facile moventur ad pœnitendum: alii multo difficilius. Sed quam regulam ſequi oporteat in admonendo, exprobrandoque, ſupra dixi (*lib.3. part.3. cap.17.*) tametſi quæ eo loco tradita eſt, eam a parente in filium non omni ex parte ſervari, neceſſe ſit. Caveant autem parentes ſummopere, ne unum filium puniant, aut reprehendant in pari cauſa, aut etiam ament præ alio; ſecus hinc invidentia naſcitur, & maxima perturbatio; nec admonitio, exprobratiove fructuoſa eſt; immo nocet plurimum: tantum enim ad animum exulcerandum valet.

LIII. Cæterum & pueris probabilis ratio reddenda eſt, cur ita facias: nam & illi mente præditi ſunt, qua rationes percipere poſſint, quæ afferantur; & gaudent, tractari ſe ut intelligentiæ & rationis compotes. Equidem ſæpe animadverti, pleroſque puerorum eſſe ita comparatos, ut diligenter animadvertant eorum vitia, cum quibus verſantur, & naturam, & mores, & ſe ratione duci ſinant.

LIV.

Digitized by Google

LIV. Quod ſi qui ſunt ea indolis perverſitate, ut vix corrigi poſſe videantur; nihilominus non ſunt a parentibus deſerendi: immo ut boni evadant, eniti oportet multo vigilantius doctrina & induſtria: nam, ut Plutarchus ſcribit, (*de Liber. educand.*) exercitationis & laboris magna vis eſt: ager quamquam ſterilis ac deſertus cum multa cultura ac magno labore fit fructuoſus: ferrum vel molli manu ſenſim atteritur: quot ſunt immites belluæ edomitæ & condocefactæ? Itaque neceſſaria eſt in recta educatione conſtantia; cum præſertim non raro contingat, ut quæ accepta ſunt a pueris ſalutaria documenta, & quaſi ſemina virtutum nontum quidem fructum ferant, ſed in adoleſcentia, aut juventute, & quandoque ingraveſcente ætate. In quam rem joco dictum eſt ab Antiphone (*apud Plutarchum Opuſc. Quomodo quis ſuos in virtute ſentire poſſit profectus*) in urbe quadam voces vi frigoris congelare, glacie calore liquefacta ac dilapſa, quæ hyeme dicta erant, ea tum demum audiri.

LV. Sed de educatione præcepta latiſſime patent, & multa traduntur a Plutarcho (*de Liberis educandis*.) ab Ariſtotele (*Politic. lib.8.*) a Platone (*multis in locis*, *& præſertim Dial.7. de Leg.*) ab Jo. Cordierio (*de Familia ſancta lib.1. part. 1.*) a Petro Juſſano (*in Inſtit. Parentum ad gubernandam familiam cap.17.*, *& ſeqq.*) ab Jo. Leonardo (*in Inſtit. Fam. Chriſtianæ part.1. & part.2. cap.4.*, *& 5.*) a Rollino (*de docendi*, *ſtudendique ratione tom.1. part.1.*, *& tom. 4. part.1. de gubernat. Collegior.*) ab Hieronymo [*in Epiſt. ad Celantiam tom.4. part. 2.*] Hæc tamen epiſtola etſi S. Hieronymo a quibuſdam attributa, eſt S. Paulini Nolani antiſtitis (*ad Latam 57. ad Gaudentium 98. ad Demetriadem 97*) a Lekio [*de Filiorum educatione.*] qui tamen nonnulla tradit, quæ minus probanda videantur. An is eſſet græca lingua, & humanioribus literis eruditus, non ſatis ſcio; certe non videtur hæc ſtudia magni facere. De liberis recte inſtituendis latina, eademque ornata oratione ſcripſit etiam Sadoletus (p. 499.) Sed nemo uberius ac fructuoſius, ut mihi videtur, quam Sylvius Antonianus tribus libris de chriſtiana educatione filiorum. Ii terantur velim omnium parentum manibus.

LVI.

LVI. Ex his autem, quæ hactenus dixi, efficitur, parentes, a quibus optime, atque ut oportet, liberi inſtituantur, eſſe perpaucos. Alii, & multi quidem, ea in re peccant propter inſcitiam, alii propter inertiam, alii propter improbitatem. Quidam boni ſunt, at ſibi, non apti regendæ familiæ, homines non ſolertes, non cauti, non fortes ac generoſi, nimium ſimplices, dulces, teneri, pleni timiditatis: quidam aſperi, immites, acerbi. Quo fit, ut filii, cum ſe de diſciplinæ ſeveritate ſubduxerint, omnem, quam diu celarint, & magna vi continuerint, expromant improbitatem. Sunt, qui variis occupationibus impediti filiorum curam negligunt. Magna eſt etiam eorum multitudo, qui filios intemperanter diligunt præſertim forma & venuſtate, vel alio naturæ munere præſtantes quodammodo, eorumque corpus magis curant, quam animum. Immo vitia liberorum vix cernunt. Certe prompta ſemper eſt excuſatio ætatis, ignorantiæ, indolis; ſaltem ſi hæc vitia cum virtutibus ac dotibus comparentur, nulla ſunt, aut in pravum exemplum, aut in magiſtrorum, præfectorumve negligentiam, aſperitatem, imprudentiamve referenda. Periclitatur fama totius communitatis, in qua improbi hi pueri & adoleſcentes forte vivunt: majorem enim eorum mendaciis & querimoniis fidem parentes habent, quam viris probitatis, gravitatis, ac prudentiæ ſingularis. Quæ quidem injuria eſt vix ferenda. Eccur ipſi per ſe, qui tanta prudentia valent, & domi ſuæ filios non educant, non docent, non erudiunt? Sed hoc tandem conſequuntur, ut qui vitia foveant liberorum, tum pœnam luant in omne poſterum tempus. Sæpenumero rectam filiorum inſtitutionem impediunt etiam domeſtici; quippequi pueris blandiuntur, quos parentes reprehendant, aut puniant: hac re cum nihil magis ſit diſciplinæ contrarium, vetandum eſt a patrefamilias, ne quiſquam quid tale audeat. Quapropter, circumſpectis rebus omnibus, in eam veni mentem, ut crederem filiorum vitioſitatem & inſolentiam, quamquam boni parentes videantur eſſe, fere ſemper ex eo naſci, quod aut hac, aut illa de cauſa perverſa ſit, ac minus diligens educatio: quotus enim quiſque eſt, qui omni ſeduli parentis munere accurate fungatur? cum præſertim qui rectæ velit liberorum inſtitutioni operam dare, is virtutes omnes

Digitized by Google

omnes habeat neceſſe ſit, & prudentiam in primis, qua pueri naturam, ingenium, rationis vim, affectiones penitus ſcrutetur, cum quibus congruat educatio, & ſciat, quæ diſſimulanda ſint, quæ ſecus; quæ ſemina eſſe poſſint corruptelæ, pravæque conſuetudinis, iccircoque extirpanda.

LVII. Cæterum non interdicantur pueri & nugis, & ludis, & oblectationibus, quæ tamen vulgares ſint, non exquiſitæ, atque in harum delectu liberi ſint: neque enim quod ſponte non ſit, id valet ad oblectandum (modo nihil inurbanum faciant, quod præſentes poſſit offendere, maxime graves viros) Hæc puerorum animos erigunt & attollunt, & proſunt valetudini, deinde ab ipſa progrediente ætate corriguntur: quare eam alacritatem, quippequæ utilis eſt, excitare præſtat, quam reſtinguere: quoniam non debet quidem animus elatior eſſe, & audacior, quam oporteat, ſed nec demiſſus, atque fractus: illud enim impudens eſt, hoc ſervile, ut ſcriptum eſt a Plutarcho (*de Liber. educand.*) Eam ob cauſam non ſunt pueri immodicis laboribus opprimendi: in quo peccant ii, qui cum velint, filios ſuos in doctrina, aut aliis dotibus eminere præ reliquis, & uno die præſtantes ac ſummos effici, eos reſpirare non ſinunt. Neceſſaria eſt quædam remiſſio, & laboris ac quietis viciſſitudo, ut eſt dierum & noctium, pacis ac belli, ſerenitatis & pluviæ (*vid. Plutarchum de Liber. educand.*) Danda tamen opera eſt, ut pueri ſolerter, leniterque ad ea oblectamenta traducantur, ex quibus liceat aliquid utilitatis capere; qualis eſſet ars quædam, in qua ſe exerceant animi gratia, & illa præſertim qua continetur ratio dati & accepti ad humanos uſus, & rem familiarem maxime neceſſaria. De his ſatis. Nunc ad officia liberorum in parentes veniendum eſt.

LVIII. Eſt autem filiorum parentes colere & venerari, quaſi immortalis Dei ſimulacra: *quapropter exiſtimandum eſt . . . . . nullum apud Deos*, ait Plato (*dial. 11. de Leg.*) *magis honorandum ſimulacrum habere nos poſſe, quam parentes, & avos ſenio confectos, matreſque ſimiliter*: quod enim Dei proprium eſt, id parenti debemus acceptum: quoniam is nos procreavit, is erudivit, is ad religionem, atque humanum cultum, & civilem, morumque integritatem inſtituit: quod & in matrem cadit.

LIX.

LIX. Hic autem honos & cultus, qui parentibus tribuendus eſt, non fictus ac ſimulatus debet eſſe, ſed verus atque intimus, & infixus penitus in viſceribus; ac tres habet partes, obſervantiam, benevolentiam, obedientiam. Obſervantia eo pertinet, ut apud filios magnum parentes teneant auctoritatis ac dignitatis gradum, & poſtponantur nemini. Ex quo & ea extent officia, quæ ipſis tamquam præcellentibus debeantur; quale eſt coram iis ſtare, caput aperire, aſſurgere venientibus, famulari, cum res & tempus poſtulat, honorifice reſpondere, eoſdemque modeſte alloqui, & verecunde. Alphonſus Celtiberorum rex [vulgo *d' Aragona*] Ferdinando patri ſuo obviam progreſſus, cum eum vidiſſet lectica vehi male valetudine affectum, ſtatim ex equo deſiluit, ut pedes comitaretur. Cum vero is filium ſæpe adhortaretur, ut exemplo aliorum procerum equum conſcenderet; alii, inquit, o Pater, quid ſuum ſit, viderint: ego quidem adduci non poſſum, ut ne & regem, & patrem, & eumdem ægrotum ſequar (*Antonius Panormit. de dictis, & factis Alphonſi lib.2. num.28.*) Cleobes & Biton fratres Argivi, cum boves præſto non eſſent ad plauſtrum trahendum, quo mater veheretur, ipſi bovum officio functi viam confecerunt quadraginta quinque ſtadiorum (*Herodotus hiſt. lib.1. num.6.*)

LX. Sunt autem diligentiſſime fugienda, quæ obſervantiæ repugnant; qualia ſunt parentum famæ detrahere, eos laceſſere contumeliis, ad iracundiam concitare aut dictis aut factis, irato vultu & minantis ſimili atque acerbo intueri, contemnere etſi vitioſos atque imperitos diſciplinarum: hæc enim, aliaque generis ejuſdem flagitioſa & nefaria ſunt: quamquam enim parentes ſint mali; tamen parentes ſunt, quos iccirco non colere, multo autem magis violare magnum eſt nefas. *Officia*, ſcribit Epictetus [*in Manual. cap. 27.*] *in univerſum relationibus menſurantur. Pater eſt? dictatur, curam ipſius eſſe agendam, cedendum eſſe in omnibus, ferendum eſſe, ſi convicietur, aut verberet. Sed pater malus eſt. Numquid igitur bonum patrem natura tibi proprium dicavit? non, ſed patrem.* Contingit autem, ut ii præ reliquis obſervantiæ officia deferant, qui majora acceperint a parentibus beneficia, quorum ſcilicet induſtria & labore ex tenui ad

ampliorem quamdam fortunam evecti ſunt: hos enim parentum ſuorum pudet: quamobrem & familiæ nomen mutant aliquando, ut obſcuri generis memoria, quoad fieri poteſt, oblivione deleatur; ſecus ac factum eſt a quibuſdam viris ſapientibus, qui hanc etiam ob cauſam plurimum laudis & gloriæ conſecuti ſunt apud poſteritatem. Præclarum eſt, quod de Benedicto XI. Pontifice Maximo, qui eſſet humili loco natus, certiſſimis literarum monumentis memoriæ proditum eſt. Venerat ad eum in tanto dignitatis gradu collocatum mater adhuc ſuperſtes inops femina, quam matronæ honorificentius exceptam ornarant ſplendide: at Pontifex, *mihi*, inquit, *illudis, mulier: equidem parentem habeo non nobilem, non locupletem, ſed pauperem: hinc ergo abi*. Diſceſſit illa triſtis ac rubore ſuffuſa; tum mutato conſilio, & poſitis nobilitatis inſignibus, ſumptoque plebejo veſtitu, quo uti ſolebat, rediit ad filium: hic eam benevole complexus eſt, & ſummo in honore habuit, atque hoc habitu, ait, matrem reliqui, & talem libenter agnoſco, & excipio (*Raynaldus ad an.*1304. *num.*35. *tom.*4. *Spondanus ad an.*1303.*n.*18.) Sixtus item V. vir ætatis noſtræ maximus tantum aberat, ut generis ſui occultaret obſcuritatem, ut potius ea gloriari ſolitus eſſet (*Spondan. ad an. Chriſti* 1585. *num.*14. *tom.*3.)

LXI. Similiter filiorum adverſus parentes benevolentia cum in animo ineſſe debet ac voluntate, tum etiam in factis. In animo primum: quid enim magis eſt ſecundum naturam, quod præceptum ex eorum genere, quæ ad homines referuntur, eſt potius ac præſtantius datum, quam amare procreatores, quibus debeamus omnia, actiones etiam, quæ propriæ videntur omnino eſſe ſingulorum? *quemadmodum enim*, ait Hierocles (*in libr. Quomodo erga parentes agendum ſit. apud Stobeum ſerm.*79. *tom.*2.) *Phidiæ, aut aliorum artificum opera, ſi & ipſa rurſus alia quæpiam facerent, ea quoque non dubitaremus opera nominare artificum: eodem modo actiones etiam noſtræ parentum noſtrorum opera eſſe dicentur, per quos & nos nati ſumus*. Quid vero, quod parentes nobis plura deſiderant, quam largiantur? ſervantque in amore conſtantiam ac firmitatem? & noſtris bonis non ſolum gaudent, ut ſuis, ſed multo magis; dolentque eodem modo calamitatibus? Itaque cum ipſa beneficia, quæ a parentibus in nos permanant, per ſe magna

ſunt

ſunt ac tanta, quibus par gratia referri nunquam poſſit; tum ſiunt beneficentiſſima voluntate majora. Cur ergo filii adeo ingrati ſint, ut non velint bene eſſe parentibus, eiſque bonam valetudinem cupiant, vitamque diuturnam, & gloriam, & bona fortunæ, & felicitatem in primis cum animi, tum corporis ſempiternam?

LXII. Sed ad voluntatis ſtudium facta item accedant, neceſſe eſt; ſecus amor, quippequi caret efficacitate, verus eſſe non poteſt. Cum ſit autem duplex eorum genus, in quibus apparet charitas in parentes; hoc eſt, alia ad corpus, alia ad animum referantur, liberi quidem ſummopere curent, neceſſe eſt, ut in utriſque, quam bene in procreatores ſuos affecti ſint, oſtendant, ſi modo, quod jus & ratio præſcribit, id velint facere. Itaque ſummam diligentiam adhibeant, ut iis & victus ſuppetat, qui liberalis ſit, & ad ſenilem ætatem accommodatus, & domus, & veſtis, & medicina, ſi qua opus ſit, atque adiumenta omnia & ornamenta, quæ ad vitæ uſum, cultumque opportuna videantur. Immo grati & benevoli filii eſt divinare quodammodo, quid maxime parentes cupiant, etſi non petant: nam & ipſi, dum nobis minime liceret per ætatem loqui, ex vagitu & lacrymis, quid nobis deeſſet, ſtudebant conjectura aſſequi. *Hoc ſane modo*, ſcribit Hierocles (*in libr. Quomodo erga Parentes agendum ſit. apud Stobeum Serm.79. tom.2.*) *ipſi per illa, quæ olim in nos beneficia contulerunt, quid viciſſim in eos præſtare debeamus, exemplum ac documentum reliquerunt*

LXIII. Quæ vero ſint in nos beneficia parentum, nemo eſt, qui ignoret. Mater in primis cum prius quam in lucem ſuſcepti ſumus, tum poſtea quos labores, quæ incommoda toleravit dies atque noctes, quæ pericula ſubierit, ipſa tantum ſcit, quæ experta eſt. *Mulier vero*, ait Socrates (*apud Xenophont. de factis, & dictis Socratis apud Stobeum cit. loc.*) *concipiens tolerat hoc onus cum gravamine, & periculis vitæ, alimento ſuo nutriens puerum, magno multoque cum labore uſque ad partum perveniens. Poſtea etiam nutrit, atque pro eo procurat, a quo tamen nunquam ante beneficii quicquam acceperat, quique non modo ignorat, qui ei benefacit, ſed neque declarare poteſt, quibus indigeat. Mater vero per conjecturam,*

ram, quæ conducant, quæque grata ſint eis, conatur adimplere, multoque tempore nutrit diu noctuque laboribus affecta, ignorans quam iſtorum omnium mercedem habitura ſit. Pueri vero ætate grandioris inſtitutio & curarum plena eſt, & magnos ſumptus poſtulat. Quapropter quæ poſſunt eſſe filiorum officia, quibus debita gratia parentibus referatur? Vitam ipſam, ſi opus ſit, in diſcrimen adducere pro parentibus, conſentaneum eſt; quod a multis factum accepimus: Olympiade octogeſima prima cum magnum quoddam incendium erupiſſet ex Ætna, Philonomus & Callias Catanæi humeris ſublatos per medias flammas parentes extulerunt ſuos; quod Deo ita probatum eſt, ut ignis ab ea parte recederet, qua ingrederentur (*Ælianus in varia hiſt. apud Stob. Serm. 79.*) Eodem modo Æneæ in parentem pietas ſummopere commendatur.

LXIV. Cæterum parentum animis præſertim providendum eſt, ut beati ſint in omne poſterum tempus. Itaque filii operam ſuam omnem in id conferant, ut parentes honeſte & ſanctè vivant, placeantque cum Deo, tum hominibus, ſciantque omnia, quæ ad Dei cultum & religionem, morumque probitatem conferunt: contingit enim aliquando, ut filii doctrinis eruditi ſint; parentes autem ſecus: tunc igitur rerum, quæ neceſſariæ ſint ſcitu, ita imbuendi ſunt, ut familiari colloquio & ſermone uti velle, non magiſtri & doctoris auctoritate videamur. Quod ſi qua in re parentes peccant, & ab honeſto & decoro diſcedunt, eos increpare nunquam fas eſt, vel aſpere acerbeque tractare aut dictis, aut factis; ſed conſentaneum eſt monere leniter ac verecunde, & excuſare ac tegere malefactum, & culpam in alias cauſas conferre, non vero in improbitatem. *Quod ſi aliquando* (parentes) *peccaverint*, ait Hierocles (*in lib. Quomodo erga parentes agendum ſit. apud Stobeum Serm. 79. tom. 2.*) *ut ſæpe accidat multis, illis præſertim, qui negligentius educati ſunt, emendari quidem debent, non tamen cum reprehenſione, quali apud inferiores, aut æquales uti ſolemus; ſed cum adhortatione tantum, tamquam per inanimadverſionem potius, quam inſcitiam erraverint, & ſi animum advertiſſent, minime erraturi fuiſſent. Secus enim acerbæ ſunt grandævis ſeriæ admonitio-*

ſitiones. Itaque neceſſarium eſt negligentiæ ipſorum blanda adhortatione, & non ſine amoris affectu mederi.

LXV. Cæterum filiorum eſt ea facere omnia, quæ ſint parentum animis voluptati, quale eſt cum iis dies noctesque verſari, ſi nihil impediat & obſtet, ſimul deambulatum ire, ad eamdem menſam accumbere (*quemadmodum enim illis, qui longinquam peregrinationem inſtituunt, familiarium, & amicorum converſationes, quibus aliquantiſper deducantur, jucundiſſimæ ſunt; eodem modo parentibus brevi e vita diſceſſuris liberorum convictus maxime gratus & ſuavis eſt*; (*Hierocles in libr. Quomodo erga parentes agendum ſit. apud Stobeum Serm. 79. tom. 2.*) eis humilia quædam officia præſtare, ut pedes abluere, lectum ſternere: ad hæc eos obſervare & colere, quos parentes diligant & magni faciant. Cum vero nos ipſi ſummopere a parentibus diligamur, ipſis pergratum eſt, ſi curemus, ut incolumes ſimus, & rebus noſtris prudentiſſime conſulamus (*Vid. Hieroclem apud Stob. cit. loc.*) Huc etiam pertinet parentum recte facta imitari: multum enim iis tribuere videmur, quorum eſſe volumus quam ſimillimi: quare jucundiſſimum eſt parentibus, ſi filios vident imitatores ſui. *Perſuaſum habere debes*, ait Iſocrates [*ad Demonicum*] *nulli pugili tam convenire, ut ſe contra ſuos adverſarios exerceat, quam tibi providendum ſit, ut paternis moribus par evadas.*

LXVI. Verum procreatorum animis ſubveniendum eſt multo diligentius, cum periculoſe ægrotant, & tunc curandum, ut aperiant, ſi quo ære alieno teneantur, ut teſtamentum faciant, ut legent aliquid, ex quo utilitatem poſſint capere etiam tunc cum obierint, ut eis præſto ſint omnia adiumenta, quibus animi ſaluti & incolumitati conſulant. Debent autem filii benevolentiam in parentes, ac pietatem ſuam etiam honore funeris declarare; ſed maxime eorum animos expiare ſacrificiis ac precibus, aliiſque officiis juvare: amoris enim ita altæ radices ſint, oportet, ut nunquam intermoriantur: neque enim gratus eſt, qui olim obliviſcitur beneficiorum, quæ acceperit, præſertim ſi ea & multa, & præclara ſint. Ex quo licet cognoſcere, quam ingrati ſint ii, quam impii, quam flagitioſi, qui non modo parentes non amant ſuos, ſed oderunt, & aſpernantur, & parum abeſt, quin

Digitized by Google

quin nolint eos diutius vivere, ut excuſſo quaſi jugo patriæ poteſtatis & obedientiæ, quod libet, id poſſint facere, & potiri hæreditate: quamobrem parentum ſenectæ, quæ ex ſeſe moleſta ſolet eſſe, addunt acerbitatem.

LXVII. Nunc reſtat, ut dicam de obedientia, quam debent filii parentibus: nihil enim magis eſt ſecundum naturam, quam ut, qui procreati ſunt, ab iis, qui procrearunt, ſinant ſe regi, ipſorumque præceptis ac voluntati libenter pareant, immo ſequantur conſilia, auctoritatemque vereantur: ſunt enim parentes quaſi Dii in terris, ut dixi, quibus iccirco repugnare in iis rebus, quæ ad mores & domeſticam diſciplinam pertinent, nefas eſt. Conſentaneum quidem eſt omnia nutu parentum facere, atque ea in primis, quæ gravioris momenti eſſe videantur.

LXVIII. Verum hac noſtra ætate non adoleſcentes modo, ſed & pueri vix e nutricis manibus elapſi omnino abiiciunt obedientiam, multo autem magis cum aliquantum ætate proceſſerint: repugnantibus enim, aut inſciis parentibus amicitias contrahunt, implicantur familiaritatibus, mutuis ſponſionibus ſe obligant ad coniugia, ex quo maxima naſcitur perturbatio, pecuniam prodigunt vel in ludis, vel in epulis, vel in alio turpium oblectationum genere, domo abſunt ad multam noctem, contradicunt, ac ſibi præ parentibus ſuis videntur ſapere; etſi nec uſu, nec prudentia, nec ſcientia cum illis ſint ullo modo comparandi. *Plato cum vidiſſet quemdam erga patrem ſuum faſtuoſius agere: non deſines, inquit, adoleſcens, illum contemnere, cujus gratia altum ſapere vis?* (*apud Stobæum Serm. 79. tom. 2.*)

LXIX. Verum qui cultum non tribuunt parentibus, neque in eos obſervantiam præferunt, & benevolentiam, & obedientiam, quam debent, pœnam luent improbitatis ſuæ. Nam primum qui cum eis velint amicitiam jungere, ſapientum ac bonorum invenient neminem: quis enim putet, qui ſit parentibus inimicus, hunc ſibi amicum fore? eumdemque fidelem ac gratum, qui perfidus ſit, atque in illos etiam ingratus, per quos vivit? *Si enim te arbitrantur*, alloquitur adoleſcentem Socrates (*apud Xenophontem de dictis, & fact. Socrat. lib. 2. tom. 2.*) *erga parentes ingratum eſſe, nullus putabit, te pro ſuſceptis beneficiis fore in referenda gratia memorem?*

LXX.

LXX. Deinde non eſt dubitandum, quin eorum conſilia, qui parentibus repugnarint, infelicem ſint exitum habitura: frangit enim Deus tam impudentem temeritatem, ut tandem ſe deſipuiſſe fateantur. Profecto multos ſcimus eſſe, quos facti pœniteat, cum parentum voluntatem ac juſſa contempſerint.

LXXI. Tum ut quis affectus eſt in parentes; ita erunt, ſi quos habeat, in eum filii, impii, ingrati, impudentes, flagitioſi, ſi & ipſe ejuſmodi ſit: *quæcumque*, ait Thales [*apud Laertium lib.1. cap.1. num.9. tom.1.*] *ſtipendia parentibus intuleris, eadem ipſa a filiis expecta. Ut ille*, ſcribit Ariſtoteles (*lib.7. Ethic. cap.6.*) *qui cur verberaret patrem, rationem, cauſamque attulit. Hic ſuum, inquit, & ille ſuperiorem: & hic etiam* (*producto filio*) *ubi adoleverit, me verberabit: eſt enim hoc nobis proprium & hæreditarium. Et ille, qui cum a filio traheretur, eum juſſit ad fores conſiſtere: a ſe enim ad eum locum patrem eſſe tractum.*

LXXII. Tum ſæpe contingit, ut is intempeſtiva, atque acerba morte præripiatur, qui injurioſus ſit in parentes: qui enim eos contemnit, & afficit dolore & moleſtia, a quibus vitam accepit munus eximium, indignus eſt, qui vivat diu. Adoleſcens quidam in Hiſpania annos natus unde viginti morte damnatus eſt ob malefacta. Imberbis cum eſſet, ſtatim poſt mortem barbatus apparuit cum ſenilibus rugis, omninoque canus. A ſacrorum antiſtite quæſitum eſt, quid hoc portenderet; reſpondit is, re cum Deo communicata, futurum, ut adoleſcens attingeret ultimam ſenectutem, qualis cerneretur in facie, niſi de vita ſeptuaginta anni detracti eſſent propter contemptionem parentum. Rei hujus teſtis eſt locupletiſſimus Bernardinus Senenſis (*tom.2. Dom. in Quadrag. Serm.13. a.3. cap.9.*)

LXXIII. Aliam etiam ob cauſam non expedit in parentum offenſionem incurrere: nam ſi quid filiis precentur mali, ſæpe id ratum eſt. Hujus rei exempla permulta ſunt, & quædam item apud Platonem (*Dial.11. de Legib.*) *Oedipus contemptus a filiis ea illis imprecatus eſt, quæ exaudita, effectaque a Diis apud omnes feruntur. Amyntora quoque Phœnici filio iratum illi maledixiſſe ferunt, & Hippolytho Theſea, plurimoſque alios aliis. Quibus apertiſſimum factum eſt, a Diis pre-*

Digitized by Google

preces parentum adverſus filios exaudiri: nihil enim imprecatione parentum non injuria pernicioſius filio.

LXXIV. Sed timendum eſt, ne has calamitates conſequantur aliæ poſt mortem multo graviores: impietas enim in parentes magnum quoddam flagitium eſt: *contemptus autem parentum* (*in Peryctionibus Pythagoricis ex lib. de mulieris harmonia apud Stob. Serm.* 79. *tom.* 2.) *peccati genus ejuſmodi eſt, quod in vivis, ſimulatque defunctis divinitus damnatur, ab hominibus odio habetur, & ſub terra in loco impiorum una cum reliquis improbis perpetuo punitur a juſtitia, & infernalibus Diis, qui his rebus inſpiciendis deſtinati ſunt. Honeſtiſſima enim eſt, immo divina parentum facies*. Idcirco hoc crimen a magiſtratu acriter puniendum eſſe olim ſapientes voluerunt (*Plato Dial.* 11. *de Legib.*) Qua pœna a Platone mulctetur is, qui parentes verberet, hæc declarant: *quicumque*, ait (*Dial.* 9. *de Legib.*) *pulſaſſe parentes condemnabitur, primum perpetuo exulet: deinde & a ſacris omnibus arceatur: quibus ſi minus abſtineat, a principibus agri verberibus, & omnino utrumque voluerint, plectatur; & ſi ab exilio revertatur, morte peccata luat. Quiſquis vero liber cum hujuſmodi homine comedet & bibet, vel aliquo pacto una quicquam geret, aut tanget, aut ſponte loquetur, is nec in templum ingrediatur, nec in forum, nec omnino in civitatem proficiſcatur, antequam mundetur*.

LXXV. At enim parentes aſperi ſunt, acerbi, moroſi, difficiles. Eſto; ſed parentes tamen, quibus & infantia noſtra, & pueritia, & fortaſſe etiam adulta ætas fuit pleniſſima moleſtiarum (*vid. Xenophontem de factis, & dictis Socratis lib.* 1.) Quid quod fere contingit, ut parentes, qui cæteroquin a natura habent, ut ſint benevoli in ſobolem, faciles, benigni, duros atque agreſtes facit audacia & improbitas filiorum? Vix eſt adeo ferrea natura, quæ obſervantia, obſequio, benevolentia non molliatur. Accedit huc, quod parentum verba & facta, etſi duriora videantur, fere tamen cum exiſtant a benevolentia, modice ferenda ſunt: *tu autem*, ait Socrates (*apud Xenophontem de factis, & dictis Socratis lib.* 2.) *cum haud ignores, quod quicquid mater dicit, non modo non ut malevola tibi dicit, ſed volens tot tibi bona fore, quot nulli alii, ægre feres?* Adoleſcens quidam Eretti-

cus

eus cum diu Zenonem audiſſet, domum reverſus eſt; atque interoganti patri, quid tam diuturno tempore didiciſſet, reſpondit, ſe brevi demonſtraturum. Iratus pater eum affecit verberibus; tum adoleſcens, hoc ipſum, inquit, didici, parentis iram moderate ferre, nec indignari (*Ælianus lib.4. cap.34.*)

LXXVI. Quemadmodum vero improbis & ingratis filiis male eſt, ut dixi; ita probis & gratis bene: nam cultus & obſervantiæ in parentes fructus ampliſſimi ſunt communis benevolentia, gloria apud homines, copia rei familiaris, vita diuturna, aliaque permulta. Preces etiam parentum pro filiis magnam vim habent, & exaudiuntur a Deo: *cum lætiores bona liberis a Diis petunt*, ait Plato (*dial.11. de Legib.*) *exaudiri eos ſimiliter exiſtimare debemus; atque ideo nobis æqua inde diſtribui . . . . . . Quocirca qui erga parentes, & avos, cæteroſque hujuſmodi recte ſe gerit, is ad Deos ſibi conciliandos ſimulacrorum omnium optima poſſidet.* Tum pergit: *omnes igitur non inſani verentur, coluntque parentum orationes, non ignorantes, multis ſæpe profuiſſe, obfuiſſeque. Cum hæc ita natura conſtituta ſint, probis quidem viris ſeniores parentes pro magno quæſtu habentur, ſi ad ſenium uſque pervenerint; ſin vero juniores deceſſerint, valde deſiderantur; improbis autem contra valde terribiles ſunt.* Ipſe idem etiam, qui cultum tribuit parentibus, facile id impetrat, quod petit a Deo, cui nimirum acceptus & charus eſt: *quiſquis*, ait Euripides (*in Heraclid. apud Stobeum Serm.79. tom.2.*) *in vita ſua parentes colit, hic & vivus, & defunctus Diis charus eſt.* Hunc item reſpublica utilem & honeſtum civem eſt habitura, ut a Timocle ſcriptum eſt (*apud Stobeum cit. loc.*) *quicumque*, ait, *patrem timet, ac reveretur, hic in bonum civem evadet procul dubio, & hoſtibus incommodare poterit.* Itaque cum privatorum intereſt, tum reipublicæ & civitatis parentes coli.

LXXVII. Illud vero prætereundum non arbitror, parentum nomen præter eos, a quibus generati ſumus, ad alios etiam pertinere, ut ad ſacrorum antiſtites & ſacerdotes, ad rectores civitatum ac magiſtratus, ad tutores, ad curatores, ad magiſtros, ad pædagogos, ac reliquos, quibus regendi tradimur, item ad ſenes; quibus ſingulis honos debe-

tur ſuos, quaſi parentibus. Conſtat tamen minus honeſta imperanti obediendum eſſe nemini (*vid. A. Gellium Noct. Attic. lib.2. cap.7.*)

CAPUT VII.

De Officio Dominorum in Famulos, & viciſſim.

I. QUoniam ſervorum genus, quibus nimirum libertas vivendi arbitrio ſuo adempta eſt jure belli, apud nos fere obſolevit, de illis nihil dicam hoc loco; ſed pauca tantum de famulis, quorum operas alii conducunt, pacta mercede.

II. Primum vero magna diligentia adhibenda eſt in delectu famulorum; neque ſatis eſt, ſi lacertis valeant, & laterum firmitate, atque ad munera, quibus deſtinantur, apti ſint, aut oris habitu ac venuſtate nobilitentur quodammodo, aut veſtium ornatu, nec in ſuſpicionem inciderint unquam violatæ fidei: quæ quidem ſpectant plerique; quippequi gloria, vel utilitatis ſpecie ducuntur. Sed in primis oportet videre, ut famuli morum honeſtate præditi ſint, & a vitiis alieni; non loquaces; ſecus & imprudentes, & inepti ſunt, & in rebus inveſtigandis curioſi, & faciles in deregendis; non iracundi, ne rixas & domeſticas diſcordias, ac turbas excitent, perturbentque familiæ tranquillitatem; non inſtabiles: ſi enim temere diſcedant a famulatu, facile herus in notam incidet hominis ſeveri, moroſi, difficilis; præterquamquod alium quærere & erudire moleſtum eſt. Accedit, quod inconſtantia non eſt ſine imbecillitate judicii.

III. Expediet autem eum fere adſciſcere ad famulatum, qui nulli alii ſervierit: nam uſuvenit, ut ſuſcepta in alienis domibus vitioſa, aut ingrata conſuetudo retineatur. Contra qui adhuc rudis eſt, ac ſimplex, is facilius ſe accommodat ad domeſticam diſciplinam, nec callide functionem ullam declinat operis ac muneris ſui. Quæ vero in eo inſtituendo adhibetur cura & diligentia, etſi diuturna, fructuoſa eſt, & deinde jucunda.

IV.

IV. Nec vero aut amicorum commendatio, aut aſpectus tantum, aut verborum ſuavitas, a qua ſæpe facta diſcrepant, te moveat ad eligendum. Neceſſe eſt indolem & naturam hominis penitus habere perſpectam, quoad fieri poteſt: famuli enim boni ne ſint, an ſecus, magni intereſt ad rem familiarem, ad gloriam & dignitatem, ad quietem & ſalutem omnium, qui domi ſunt, maxime liberorum: quoniam paterfamilias ut ſuæ, & ſuorum famæ præclare conſulit, & honeſtati, & bonis fortunæ, ſi famulos habet bene inſtitutos; ita vehementer nocet, ſi ſecus. Nec fidendum eſt homini, qui vel uno gravi vitio contaminetur: etenim qui una in re legem violat, honeſtatemque contemnit, ſuſpicari licet futurum, ut idem faciat in reliquis, oblata opportunitate (*vid. quæ dixi lib.3. part.1. cap.9.*) Oportet tamen, herum meminiſſe, famulum hominem fore, qui omni carere vitio non poſſit; quamobrem æquo animo ferenda eſſe præſertim leviora; non ut quidam ſolent, qui ſtatim excandeſcunt, clamant, vociferantur (*vid. Caſum de Off. inter potent., & tenujor. Amicos cap.13. tom.4.*)

V. Videndum ſimiliter, ne famulorum multitudo major ſit, quam oporteat pro dignitate, & gradu, & copia divitiarum: ſunt enim famuli, ut inſtrumenta & adminiſtri, quibus dominus utatur ad neceſſaria. In his igitur tenendus eſt modus, ut in veſte, ut in menſa, ut in aliis; quid enim attinet impenſas, quæ fieri poſſint utilius, augere multitudine famulorum, & graviores in his regendis curas, moleſtiaſque ſuſcipere? vel quamdam ſplendoris & gloriæ inanitatem tanti emere? Adde, quod plures hebeſcent deſidia & otio, ex quo in improbitatem facile delabantur. Quod ſi quorumdam opera utaris, non aliorum, hinc invidentia, diſcordia, malevolentia.

VI. Famulis autem in domum adſcitis, tum conſentaneum eſt ſingulis provinciam dare, quam adminiſtrent, eoſque, ſi opus eſt, benevole & patienter erudire, ut quiſque ſit in fungendo ſuo munere diligentior. Curandum vero, ut in primis intelligant, ſe nunquam domino ſatisfacturos, nec gratos fore, niſi honeſte vivant, & voluntati obſequantur, & præceptis obediant omnia moderantis Dei, fugiantque contraria. Hæc ſi herus graviſſimis verbis famu-

lorum auribus inculcat, & factis etiam oſtendit dictorum firmitatem, atque conſtantiam, nihil erit opportunius ad continendam temeritatem, & aditum intercludendum malefactis. Sed præeat exemplo neceſſe eſt, ſine quo vis ineſt in dictis aut levis, aut plane nulla.

VII. Ut vero id conſequatur, quod velit, famulos inſtruat neceſſe eſt aut ipſe per ſe, aut per alios, qui idonei ſint iis rebus, quæ ſcitu ſunt neceſſariæ ad bene vivendum, curetque diligenter, ut nihil prætermittat eorum, quæ ad Dei cultum & religionem pertinent, modeſtiam ament, verecundiam, continentiam, patientiam, juſtitiam, benevolentiam cum in familiares, tum etiam in exteros, & temperent omnino a conviciis, a jurgiis, a contentione; ſimiliter ne cuipiam injuriam inferant, quæ ſi cui facta ſit, ſatisfaciant; ſi nolint, domo diſcedant: famuli enim ſæpe heri auctoritate & potentiâ freti ab injuriis inferendis non cavent, quod & domino maxime turpe eſt; quippequi fovet, & fulcit, & ſuſtentat improbitatem, quam debet inſequi & profligare. Ne ſinat famulos verſari familiariter cum feminis, quæ domi ſunt, & cum aliis multo minus, cum uxore, cum liberis. Ipſæ feminæ virorum conſuetudinem fugiant, ac veſtium inanitatem. Siquis in famulum adſcitus ſit puer, in ejus inſtitutione multo major ſolertia & cura adhibenda eſt. Tandem herus meminerit, ſe famulis, atque adminiſtris eſſe parentum loco: quamobrem ut parentis, ita domini eſt eorum, quibus præeſt, mores formare & dirigere ad honeſtatem.

VIII. Nec legitima eſt excuſatio, ſi dicat, neſcire ſe, an mores ſint improbi famulorum, nec quicquam ea de re ab aliis accepiſſe: debet enim excubare & vigilare, ſcrutarique, quid quiſque faciat, aut dicat; verum ita caute, ut nemo de ſe herum male ſentire ſuſpicetur; ſecus in eum remittitur benevolentia famulorum, aut plane tollitur. Expediet item ſi habeat fidelem ac probatum virum, accurate, at ſolerter tamen prudenterque alienas actiones circumſpicientem, a quo certior fiat, ſiquid novi. Verum tam conſiderate uti debet accepta rerum notitia, ut unde hæc manarit, minime compertum ſit (quod quidem ſagacis & bonæ mentis proprium eſt) ſecus plus fortaſſe hinc detrimenti, exi-

Digitized by Google

exiſtet, quam utilitatis. Si obſervet ipſe per ſe, quid geratur a ſuis cum domi, tum foris, adhibita circumſpectione, ne ſuſpicioſus videatur, ſed potius accuratus & bonus, & amans domeſticorum, facile videri poterit ea ſcire ex ſeſe, quæ ab aliis acceperit. Nec vero credat cuique, & omnia; & contra non is ſit, qui credat nihil: utrumque enim vitioſum eſt: primum propter periculum, ne fallatur cum incommodo innocentis, & ſuo; alterum, quia nemo erit, qui vel aperiat graviora, ſi ſentiat dictis ſuis nullam haberi fidem. Si quid a famulis peccatum ſit, eos reprehendere oportet quidem, ſed [niſi acerbiore objurgatione opus ſit ob culpæ gravitatem] cum modo, & opportuno tempore, cum deferbuit perturbatio, & fere remotis arbitris, niſi exempli pravitas alios etiam attrahat ad peccandum. Venire autem ad verbera cum fere crudele eſt, ideoque turpe, tum etiam periculoſum & dignitati, & vitæ. Cæterum æquum eſt diſſimulare leviora, & ſæpe veniam iis dare, qui id corrigunt, in quo errarunt. Contumeliæ autem, & jurgia, & maledicta, & verba, in quibus ineſt obſcenitas & turpitudo non boni, & nobilis, & ingenui viri ſunt, ſed improbi, & humilis, & abjecti, quæ potius irritant animos, quam emendent, & plerumque hujuſmodi ſunt, ut graviorem reprehenſionem animadverſionemque mereantur, quam peccata famulorum. Quapropter qui vel levi de cauſa eos inclementer tractant, V. C. quod fracta olla eſt, aut amphora ex vitro, effuſumque olei aut vini parum, vehementer vituperantur: quid enim eſt tam ineptum, tam puerile, tam etiam inſolens & durum, quam levi illa negligentia in re minima, caſuque fortuito tantopere permoveri? aut etiam velle damnum præſtari? Atque hæc quidem ad famulorum mores: alia ad vitæ uſum ſpectant; quæ ut famulis ſuppetant, providendum eſt.

IX. Profecto neceſſaria ſunt alimenta corpori; hæc vero non delicata, quibus famuli effeminentur & inſoleſcant, & ſe dominis æquales putent, efficianturque minus apti ad tolerationem laborum, & gulæ dediti; ſed tamen ea debent eſſe, quæ & famem depellere, & valetudinem tueri poſſint, vireſque corporis confirmare, nec vulgari palato ingrata ſint: magna enim vis ineſt in cibo ad famulorum induſtriam excitan-

Digitized by Google

tidem, ac ſolabitur, cavebitque, ne ad ægrotationem moleſtia ulla accedat extrinſecus. Alexander Severus ægrotantes milites inviſebat ipſe per ſe, & neceſſariis rebus omnibus juvabat (*Elius Lampridius in Severo*).

XII. In primis vero, quæ ad animi ſalutem pertinent, ea ne deſint, paterfamilias curabit attentius, ac ſtatim, priuſquam morbus invaleſcat: etenim quæ ejus vis ſit futura, incertum eſt. Morbi multis partibus ſimilis eſt ſenectus: quamobrem qui jam ſenio confecti ſunt, nec conſuetis laboribus vacare poſſunt, eos domo pellere, nec velle alere in poſterum tempus non honeſti hominis eſt, non benigni, non liberalis, ſed abjecti, duri, ſordidi, cui & alii non diligenter, nec libenti animo ſervient: nam erunt in metu, ne poſt conſumptam, cum bene valerent, ætatem in famulatu, tale quicquam ſibi accidat, & fame atque inedia conficiantur in ſenectute, ac tandem miſere ſupremum diem obire debeant in domo excipiendis ægrotis, quibus aliud ſubſidium nullum eſt, publice conſtituta.

XIII. Illud deinde juſtitia præſcribit, ne perſolvendæ mercedis, de qua conventum eſt, tempus differatur: ea enim non modo ſtatis temporibus reddenda eſt integra, verum etiam liberalis quodammodo; ita quidem ut identidem aliquid plus accipiant famuli, quam iis debeatur ex pacto. Hac illi benignitate permoti, atque incitati præſtabunt ſeſe & benevolos in dominum, & fideles, & promptos ad ſerviendum: ex quo non mediocrem herus ipſe & utilitatem capiet, & voluptatem [*vid. Jo. Caſam de Offic. inter. potent. & tenuiores Amicos cap.14. tom.4.*]

XIV. Atque hæc tandem optima ratio eſt, qua dominus famulorum animos ſibi devinciat, atque ad ea adducat omnia, quæ velit; videlicet non gravitas quædam imperioſa, non ſuperbia, non ſupercilium, non objurgatio, non minæ, non contumeliæ, ſed benevolentia in famulos, quæ cernatur in dictis & factis: nihil enim fortius attrahit animos charitate. Quapropter herus præſeferat in famulos affabilitatem, eoſque defendat, cum ratio poſtulat: nam boni præſertim ſæpe in offenſionem cadunt aut familiarium, aut exterorum: *quicumque ſervi heros ſuos amant, magnam ſibi parant inimicitiam apud alios ſervos*: ait Euripides (*in Ale-*

Alexandro apud Stob. Serm.62. tom.2.): prudenter tamen id faciat, ne efferant ſeſe, & alii excitentur ad invidendum; ſignificet id eſſe gratum ſibi, quod recte geſſerint, ac ſe ad eorum conſulendum utilitati propenſum; ſi quando meliore fortuna utatur, veniant & famuli in partem felicitatis: quærat interdum, an eorum res bene cadant, an aliquid accidat moleſtum domi, an deſit quidpiam, quod ad victum, ad veſtitum, ad lectum neceſſarium ſit; non ſinat, quoſdam ab eis labores ſuſcipi & tolerari, qui duriores videantur; etiamſi ipſi maxime velint; ſi quod officium inconſulto deſerant, & minus cogitato, id modice ferat, elevetque potius moleſtiam, quam & ipſi capiunt, ſi benevoli ac boni ſunt, quam augeat, accipiatque facile excuſationem, præſertim cum quid leve peccatum eſt, eoſque pœnitet imprudentiæ.

XV. Tandem meminerit dici ſe, & eſſe oportere patremfamilias: eſt autem patris maxime propria in omnes filios benevolentia. Quanta hæc fuerit in familiares ſuos ſanctiſſimi viri Caroli Borromæi, memoriæ proditum eſt certiſſimis monumentis literarum [*vid. in ejus vita lib.8. cap.12. ab Juſſano deſcripta*] Rurſus, cum herus caput ſit, ejus eſt non modo imperare, ſed etiam prodeſſe, ut caput prodeſt corpori. Quo fit, ut & membra capitis commoditatem, utilitatemque quærant ſæpe diligentius, quam ſuam, ut contingit in humano corpore. P. Catienus Philotimus patronum ita dilexit ſuum, ut inſtitutus omnium bonorum hæres, in ejus locum ſe injicere, quam ſuperſtes eſſe mallet extincto domino (*Plinius natural. hiſt. lib. 1. cap.36.*) Urbini Panopionis ſervus, cum milites ad eum occidendum in Reatina villa jam adeſſe ſenſiſſet, commutata cum eo veſte, ejus item accepto annulo, clam dominum emiſit domo, tum ſeſe in lectulum, in quo dominus cubare ſolitus eſſet, recepit, & Panopionis loco occidi paſſus eſt (*Valerius Max.lib. 6. cap.8. num.6. vid. in eodem cap. alia exempla de ſervorum fide*) Alius pariter in miſera illa proſcriptione, quæ facta eſt in triumviratu Antonii, Lepidi, & Auguſti, mutatis cum domino veſtibus, in apertam lecticam ingreſſus domino perſuaſit, ut eam deferret: poſt ubi ambo deprehenſi ſunt, ſervus, qui dominus videretur, interfectus eſt, dominus quaſi lecticarius evaſit (*Xiphilinus in Auguſto cap.47.*) Quæ autem

tem

tem tanta potuit eſſe ſervorum fides ſine magna in eos dominorum benevolentia? Eam ob cauſam Cleobolus, qui fuit unus ex ſeptem, cum quæreretur, quæ familia eſſet optima, & alii alia dicerent: ea, inquit, *in qua plures ſunt, qui diligant, quam qui metuant dominum* [*apud Plutarchum in Convivio*] nam cum famuli & familiares a quæſtus, atque emolumenti ſtudio traducuntur ad charitatem, libenter labores ſuſcipiunt, diligentes ſunt in adminiſtratione rerum domeſticarum, & faciunt omnia dominorum cauſa, non ſecus ac ſua, immo ſæpe vigilantius (*vid. Caſam de Offic. inter potent., & tenuior. Amic. cap.16.*)

XVI. At enim famulorum plerique, cum tantum ſua quærant commoda, mercenarii ſint, pervicaces, agreſtes, humiles, inurbani, potius permoventur, continenturque in officio, & ad parendum inducuntur ſeveritate & metu, quam indulgentia & humanitate; quare eſt in proverbio, *totidem eſſe hoſtes, quot ſervos* [*apud Senecam Epiſt.*47.] Verum hos famulos fere habet is, qui ſuperbus ſit, qui arrogans, qui iracundus, qui nimium ſtudioſus & amans ſui, qui eos ne tanti quidem facit, quanti equum & catulum, quaſi non eadem in illis ſit humana natura. *Servi ſunt?* ait Seneca [*cit. loc.*] *immo contubernales.* Et non multo poſt: *vis tu cogitare iſtum, quem ſervum tuum vocas, ex iiſdem ſeminibus ortum, eodem frui cælo, æque ſpir[illegible], æque vivere, æque mori?* Pergit deinde [*cit. loc.*] [illegible]*modum ſtultus eſt, qui equum empturus non ipſum inſpicit, ſed ſtratum ejus, ac frenos; ſic ſtultiſſimus eſt, qui hominem aut ex veſte, aut ex conditione, quæ veſtis modo nobis circumdata eſt, æſtimat. Servus eſt, ſed fortaſſe liber animo.* Hæc vero, quæ dicuntur de ſervo, multo magis in famulum cadunt, qui homo eſt liber, & juris ſui, qui tum tantum ſubeſt domino, cum eſt in famulatu, a quo diſcedere poteſt, ſi velit, niſi pactum obſtet aliquod voluntarium. Cæterum multi famulorum boni, honeſtique ſunt, urbani etiam, & morum ſuavitate præditi, & magis ingenui aliquando, quam domini: neque enim animi dotes evertit, obſcuratque famulatus. *Servus eſt?* rurſus ſcribit Seneca (*cit. loc.*) *hoc illi nocebit? Oſtende, quis non ſit. Alius libidini ſervit, alius avaritiæ, alius ambitioni, omnes timori. Dabo conſularem aniculæ ſervientem; dabo an-*

 cil-

nam famulus herum contemnat tam improbum & turpem, & flagitioſum, neceſſe eſt; nec deinde, quamquam inſolens & importunus ſit, & negligens in cura rerum domeſticarum, repelli domo poteſt ob metum, ne prodat arcana cum labe, quam dominus publice ſuſcipiat, dedecoris & infamiæ. Itaque qui a famulis & fidem, & diligentiam, & obſequium, & cultum requirat, eum curare oportet in primis, ut colant & venerentur Deum, & ſe in ipſos cum benevolum, facilemque præbere, tum laudabilem prudentia & moribus.

XIX. Sed debent etiam qui præſunt familiæ operam dare, ut probe imperandi artem ſciant, quæ difficilis eſt (*vid. Jo. Caſam de Offic. inter potent., & tenujor. Amic. cap. 1. tom.4.*) & paucis cognita: nam præterquamquod nemo recte hominibus imperat, qui ſibi non poteſt & cupiditatibus ſuis imperare, quæ quidem in pleriſque dominantur, fere minus aptus eſt ad imperandum, qui non prius ſervire didicerit. *Qui non ante ſervivere, dominari recte non poſſunt, ut ait Plato* [*Plutarch. in opuſc. Reip. gerendæ præcepta*] aut obedire: nam qui ſervivit nemini, non ſatis ſcit experientia, quæ curæ ſint, moleſtiæque in eo munere perferendæ; quænam placere poſſint ei, qui ſervit, quæ ſecus; nec intelligit, magni intereſſe non minus famulorum perſonas poſſidere, quam animum & voluntatem: quamobrem ſæpe non lenis eſt in famulos, non humanus, non moderatus, immo ſuperbus, inſolens, imperioſus, nec contentus unquam, niſi cum eos videat, præſente ſe, totis, ut ita dicam, artubus contremiſcere; nec ſentit homo acutus idem evenire, præſente vel urſo, vel dracone, vel tygride. Sunt, qui loquantur nutibus, & velint famulos divinare; aut ſi quid iterum dicendum eſt, aut quod non ſatis res explicata ſit, aut quod e famuli memoria exciderit, excandeſcunt, & rogantem excipiunt contumeliis, ineptum vocant, ſtupidum, ſtolidum, & perhumaniter interdum aſinum. Videntur ſibi eſſe in affabilitate nimii, ſi ſingulos appellent proprio cujuſque nomine: heus tu? hoc commune nomen eſt omnium famulorum. Alii & jubent plura, & volunt ſimul effici, aut prius fere, quam imperarint, aut multa negocia committunt uni etiam graviora, aut unum multis: utrumque male:

Digitized by Google

le: nam ſi primum; aliquod eorum ſolet negligi: ſi alterum; res negligitur eodem modo: nam quiſque putat, quod juſſum eſt, id ab alio geſtum, aut geri debuiſſe, aut alius cum alio gloriam communicari ſuam moleſte fert. Iccirco ſcribit Democritus (*apud Stobeum Serm.62.*) *ſervis, ut partibus corporis, alio ad aliud utere*. Plures etiam invenias, qui cum res male cadit eorum aut inſcitia, aut imprudentia, aut feſtinatione, in famulum culpam omnem conferant. Hæc quidem inſolentia eſt vix ferenda. Ex quo illud e vetere comœdia (*apud Caſam de Offic. inter potent., & tenujor. Amic. cap.* 13. *tom.*4.)

Quam arduum, Dii boni, negocium eſt,
Dementi hero cum ſervitutem ſervias.

Quidam nulla re contenti ſunt, icircoque unius loco alium ſuſtituunt, qui & brevi alii locum concedat, neceſſe eſt, quod & turpe eſſe, & pernicioſum ſupra dixi. Illi vero iniquiſſimi, qui delictum comminiſcuntur & fingunt, ut famulos pellendi e domo juſtam habere cauſam videantur, pacta mercede non perſoluta. Hi quidem, aliique generis ejuſdem ignari omnino ſunt ejus artis, quæ præcepta tradit recte imperandi, quorum illud maximum eſt, quod a Seneca eſt datum: *hæc tamen*, inquit, *præcepti mei ſumma eſto* (*Epiſt.* 47.) *ſic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum ſuperiorem velles vivere . . . . vive cum ſervo clementer, comiter quoque, & in ſermonem admitte, & in conſilium*. Hæc qui faciat, is uberem fructum capiet prudentiæ & humanitatis ſuæ: boni enim domini bonus futurus eſt miniſter & famulus.

XX. Debet tamen lenitatis quædam eſſe, & ſeveritatis ſapiens temperatio. Prudentia præſcribet, cum hoc gravitatem, cum illo auctoritatem adhibendam eſſe, cum alio manſuetudinem, cum alio ſeveritatem ſemper tamen conjunctam benevolentiæ pro ratione indolis & ingeniorum. Certe ea ſemper eſt familiaritas & conſuetudo fugienda, quæ poſſit contemptionem parere. Iccirco ſi ludas cum famulis, ſi utaris aut jocis & facete dictis, aut crebris ſermonibus & colloquiis, indecore & imprudenter facis: ſermone opus eſt etſi comi, tamen honeſto & gravi. Generatim vero famulis

Digitized by Google

lis arcana occcultare prudentis eſt, primum ad vitandum periculum, ne forte olim detegantur; deinde ne herus privet ſe poteſtate, ſi cauſa juſta incidat, famuli dimittendi, objurgandique; hæc enim vix poteſt facere, ſi in metu eſt, ne ille iratus, quæ occulta oportet eſſe, ea patefaciat.

XXI. Profecto tunc famulus dimitti poteſt, ſi valde negligens ſit muneris ſui, nec a ſocordia crebris admonitiobus revocetur, ſi parum honeſte vivat. Præſertim vero tunc omnino jubendum, eum a domo abeſſe, cum aliorum mores inficit aut dictis, aut factis, vel ſpargit ſemina diſcordiarum, quæ cæteroquin dominis quibuſdam placent minus bonis & ſapientibus: putant enim fore, ut cum alii aliis diffidant, tollatur periculum, ne res domeſticæ a quopiam auferantur impune. Sed callidum hoc, verſutumque conſilium nec honeſti viri eſt, nec rebus ſuis bene, ſapienterque providentis: neque enim domeſtica negocia utiliter adminiſtrantur in ſimultate & odio inter ſe diſſidentium famulorum (*vid. Jo. Caſam de Offic. inter potent. & tenujor. Amic. cap.*15. *tom.*4.) Etiam aſſentator peſtis quædam eſt exterminanda, ut dixi aliis in locis. De officio dominorum hactenus, jam ad famulos venio.

XXII. Quemadmodum vero domini in famulorum delectu, ita famuli in deligendis dominis diligentiam adhibeant, neceſſe eſt, ſi velint quiete vivere. Nec vero ſibi proponant aut divitias, quibus abundet is, cui ſerviant, aut ſplendorem dignitatis & gloriæ, aut ædium magnificentiam, ſed in primis domini probitatem, atque ornamenta virtutum, religionem, juſtitiam, manſuetudinem, humanitatem, prudentiam, conſtantiam, fidem; ita quidem, ut nihil jubeat unquam, niſi quod honeſtum & decorum eſt, ac nullo concitatiore animi motu perturbetur. Videndum item, quales ſint domeſtici & familiares, ut uxor, ut fratres, ut ſorores, ut filii, ut alii, & an ulla poſſit eſſe opportunitas ad peccandum, ad quam propius accedere animi eſt nimium confidentis ac temerarii. Tum qui velit eſſe in famulatu, ſecum reputet, fore, ut multa etiam dura patiatur, ſciatque dominum ac domeſticos eſſe homines, iccircoque non omni vitio carere, futura multa, quæ non placeant domino, vel etiam reprehendantur injuria, nihil eſſe faciendum pro li-

bi-

Digitized by Google

bito, ſed omnia ad alienam voluntatem referenda, poſſe ſe in ſuſpicionem venire vel inſontem, verbis contumelioſis afſici; atque interim contra hæc, aliaque hujus generis muniat animum ſuum patientia.

XXIII. Sunt tamen multa etiam in famulatu bona: nam parata ſunt alimenta corpori, & veſtis, & domus: quare abeſt moleſtia, qua ſæpe alii afficiuntur propter agrorum ſterilitatem, & rei frumentariæ inopiam; prodeſt valetudini corporis exercitatio; præſertim vero quod maximi æſtimandum eſt, poteſt animus magnam quamdam utilitatem capere; hoc eſt, ſe ornare virtutibus, obedientia, patientia, temperantia, taciturnitate, chriſtiana ac laudabili humilitate, aliiſque generis ejuſdem, quarum frequens eſt uſus in famulatu. Ita fit, ut qui alteri ſervire videatur, ſi virtute præditus eſt, liber ſit maxime, & ſibi paret ad felicitatem viam. Servus fuit Epictetus, ſervus Diogenes, aliique, qui tamen magnam laudem apud homines ſunt conſecuti; famuli autem e noſtris poſſunt etiam apud Deum conſequi. Quapropter qui velit hoc vitæ inſtitutum ſequi, aut debeat neceſſitate compulſus, contentus ſit ſorte ſua, & omnino in voluntate acquieſcat providentis Dei, qui vult in terris alios eſſe, qui imperent, alios, qui obediant, alios inopes, alios locupletes, inter quos ſit officiorum communicatio; eaque ſe in rebus duris ſpe conſoletur, fore, ut paullo poſt, acta fabula, ſi in ea parte, quæ ejus eſt propria, diligenter elaborarit, ſit futurus beatus, loceturque in altiori gradu, quam ii, quibus patet in terris, ſi minus apte rem perfecerint. Hac ſpe fretus referat ad honeſtatem omnia; ex quo, etiam dum vivet, non mediocrem capiet animo voluptatem, qua vitæ labores & curæ molliantur, agatque ætatem pacatius, quam dominus, qui ſæpe tam arduis negociis & occupationibus implicatur, ut quietus eſſe non poſſit. Studeat vero, ubi primum ad heri ſui domum venerit, ejus naturam & ingenium attentius inveſtigare, eique obſecundet, quoad fieri poteſt, at benevole & ſimpliciter, non ficte ac ſimulate, ut vafri & adulatores ſolent, & omni officio plane ſatisfaciat.

XXIV. Porro famulorum officium tribus potiſſimum continetur, benevolentia in dominum, obſervantia & obedien-

dientia, ex quibus reliqua manant & fluunt. Benevolentia facit, ut heri rebus proſperis lætetur, doleat adverſis, ei cupiat bene eſſe, & nihil prætermittat, quod ipſi utile ſit, quod jucundum, quod glorioſum: quamobrem in id diligenter incumbat, ut res familiaris ſalva ſit, immo, quoad fieri poteſt, amplificetur & creſcat. Ex quo exiſtit fides, qua famulus tantopere commendatur. Hæc vero in eo ſita eſt, ut in gerendis negociis, & domeſticarum rerum procuratione gnarus ſit, & perquam diligens & attentus, & plus domini utilitatem ſpectet, quam ſuam; ac non modo nihil ipſe auferat, quod turpiſſimum eſt, & proditoris proprium, ſed etiam videat, ne quid ab aliis auferatur ſeu exteris, ſeu familiaribus, & impediat & obſtet, cum poteſt, depulſo metu, aut pudore; ſin minus dominum certiorem faciat, ut ſibi cavere poſſit, rebuſque ſuis conſulere & providere. Quo ſpectant etiam eſculenta & poculenta ad dominorum uſum deſtinata, quæ vorare aut decerpere ex iis quicquam non modo infidi eſt, ſed etiam intemperantis & helluonis. Fides item in eo cernitur, ut quæ ſecreto a domino dicta ſunt, ea ne pandantur, nec quæ fiunt domi; multo autem minus domeſticorum vitia; ſecus ac plures faciunt, qui aut loquacitate naturæ, & levitate, aut iracundia, ſi qua videantur injuria laceſſiti, domini dicta, vel facta vituperant, & exaggerant improbitatem: iccircoque ejus famæ, & dignitati detrahunt; quod & fidei, & juſtitiæ, & benevolentiæ contrarium eſt. Famulus quidem, qui bonus ac benevolus ſit, dominorum exiſtimationi ac laudi multo magis ſtudere debet, quam ſuæ. Ad eam vero magna fieri poteſt acceſſio, ſi honeſte vivat, ſi juſte, ſi verecunde, ſi temperanter: nihil enim magis ad domini commendationem valet, quam innocentia & probitas famulorum, ex quibus conjectura ducitur ad judicandum, quæ ſit heri virtus, quæ prudentia, quæ domeſtica diſciplina.

XXV. Ex eadem in herum benevolentia conſequitur, ut eo vel præſente, vel abſente famulus ſit idem ſemper, æque diligens, & in rebus agendis alacer, laborioſus, induſtrius, ſervetque in opere & labore conſtantiam; cum eadem perſeveret cauſa, qua movetur, hoc eſt, benevolentia; cum alii, qui metu, vel utilitate tantum incitantur,

cum-

Digitized by Google

cum adeſt dominus, diligentes ſint, negligentes autem, ſi abeſt: aut initio quidem, cum primum domum ingreſſi ſunt, impigre munere fungantur ſuo; tum vero ardor remittatur, & deferveſcat, aut extinguatur omnino. Ad benevolentiam & illud pertinet non diſcedere a famulatu, ſi forte dominus premi cœperit adverſa fortuna, & ei ſe comitem præbere ut in ſecundis rebus, ita in contrariis.

XXVI. Similiter benevolæ mentis eſt ea caute vitare omnia, quibus dominus concitetur ad iracundiam, ad odium, ad triſtitiam, ad aliam animi perturbationem generis ejuſdem; ac tandem admonitionem excipere toleranter, & æquo animo, immo etiam alacri & grato; etſi non opportuna aliquando, nec neceſſaria videatur, ac de re, in qua nihil peccatum ſit. Tum nihilominus licet purgare ſeſe, at modeſte, ut herus intelligat, te officio non defuiſſe, iccircoque ejus animus leniatur. Expediet etiam, dominum, qui delinquat, monere idoneo tempore, & eo, quo decet, modo, ſi ſpes eſt fore, ut proſit admonitio: prodeſſe autem facile poteſt, ſi perſuaſum omnino ſit hero, famulum bonum eſſe, fidelem, diligentem, benevolum, & caritate ac ſtudio dignitatis & gloriæ, qua ornari dominum cupit, moveri ad admonendum.

XXVII. Ad benevolentiam accedat neceſſe eſt in dominum obſervantia, qua illum verearis & colas dictis & factis; ita quidem, ut nihil dicas iracunde, nihil aſpere, nihil contumelioſe, nihil ſuperbe, ſed pacate omnia, ſed leniter, ſed verecunde & demiſſe; & nihil facias, in quo dominus contemptionis quicquam, irriſionis, ſcurrilitatis, & joci minus decori ineſſe jure ſuſpicetur; quale eſt cachinnari, jactare caput, aut manum, ſupercilium contrahere, eo præſente indecore aut ſedere, aut ſtare, aut incedere, aut nugis, ineptiiſque operam dare. Abſit ergo cum arrogantia & ſuperbia, qua nihil magis eſt obſervantiæ contrarium, tum levitas & jocatio, quæ familiaritatis argumentum eſt, non cultus & reverentiæ. At dominorum joci, quamquam aculeum interdum habeant, & contumeliam, lepide excipiantur, compreſſa iracundia: nam eos retorquere, vel ſignificare ſe offenſum, nec ſecundum officium eſt, nec utile. Nec minus obſervantiæ repugnat mendacium, & ſimulatio:

nam

quiſque, præſertim qui altiore ingenio eſt, turpe & indecorum putat, ſe falli & decipi. Præterquamquod id maxime perniciofum eſt famulo, cujus fides periclitatur, ac fere ruit in omne poſterum tempus: quis enim homini credat ſimulato & mendaci? Quapropter famulus nunquam putet, ſibi poſſe herum conciliare ſimulando. Huc etiam pertinet aſſentatio, qua ſe non obſervari & coli, ſed illudi putant ſapientes, taciteque accuſari inſcitiæ, ineptæque levitatis. Præſcribit pariter obſervantia, ne famulus temere loquatur aut ſæpe, aut multa. Debet tamen eſſe ſilentii & taciturnitatis modus, & quædam apparere frontis alacritas & lætitia, ut non ingratum obſequium, ſed jucundum eſſe videatur. (Quæ propria ſunt obſervantiæ ſupra dixi *lib.* 3. *cap.* 11. *part.* 3.)

XXVIII. Ex benevolentia in dominum, & obſervantia facile exiſtit obedientia in eo ſita, ut famulus juſſa faciat prompte, quoad fieri poteſt, & alacriter, & libenter, nec domino contradicat aut facto, aut voluntate: nihil eſt enim, quod ægrius ferat is, qui præeſt, quam ſi ſentiat, inferiores imperio repugnare: quippe putat, præreptum ſibi jus imperandi, cujus quiſque retinentiſſimus eſt, aut negatam injuria laudem judicii & prudentiæ, in qua ſe plurimum amat. Verum licet famulo difficultatem domino minus notam, ſi quam res habet, modeſte aperire; tum vero id faciat lubens, quod herus juſſerit, & det operam, non ut recte, ſi quid mandatum eſt, curet, ſed ad domini voluntatem apte & accommodate, ut monet Caſa [*de Offic. inter potent., & tenuior. Amic. cap.* 9. *tom.* 4.] Tum ſolum domino repugnandum eſt, cum quid forte jubet, quod turpe ſit: quod enim tale eſt, ut id præcipere nefas eſt, ita præcipienti parere. Nec vero poteſt famulus graviori argumento fidem ſuam vel in herum comprobare, quam ſi nec metu, nec reverentia, nec emolumento ullo inducitur ad peccandum. (Qualis debeat eſſe obedientia dixi *lib.* 3. *part.* 3. *cap.* 12.)

XXIX. Præter dotes illas, de quibus dixi, magna etiam famuli laus eſt temperantia in potu & paſtu, qua & corpus valet, & mens erectior ac liberior eſt cum ad cogitandum, tum ad agendum. Is quoque jure laudatur, qui

totus eſt in iis exequendis, quæ ſua intereſunt, nec curioſius inveſtigat aliena, nec inquirit, quid herus, quid alii, aut familiares, aut externi faciant: uſuvenit enim, ut ſua negligat, qui nimium curat aliena, & parum valeat judicio, qui odorari velit omnia, quæ fiunt aut domi, aut in civitate. Id præterea vel inurbanum eſt, vel iniquum, nec bono viro dignum.

XXX. Qui hæc officia, aliaque generis ejuſdem diligenter explet, is primum, etiam in vitæ inſtituto, quod ſequitur, cæteroquin laborioſo & duro, poteſt tranquille vivere: neque enim miſer eſt, qui alteri ſervit, ſed qui ſervit invitus: quoniam qui libenter obedit, is facit, quod vult, & qui bonus eſt, idem eſt liber. Deinde vix accidet, ut ſibi non devinciat domini voluntatem; qui ſi amat ipſe ſe, & eum charum habeat, neceſſe eſt, quem ſuis commodis videt ſtudere diligentiſſime. Ex quo conſequetur, ut illum humaniter, benigneque tractet, & ſinat multa facere arbitratu ſuo, quod multum valet ad vitæ tranquillitatem. Verum ſi, quamquam ut hero omni ex parte ſatisfaciat, enititur vigilantius; tamen ei ſe minus gratum & acceptum eſſe ſentiat, cum bona venia diſcedat a famulatu, ac quærat alium, qui officiis mutuo reſpondeat. Si autem acceptus eſt hero ſuo, ne majoris quidem emolumenti gratia alio migret: ſæpe enim eſt pernicioſa mutatio, & plerumque non ſine inconſtantiæ nota.

XXXI. Cum aliis autem famulis ita verſetur, ut omnibus, quantum poteſt, prodeſſe ſtudeat, & alius alium juvet commutatione officiorum, ſublato diſſidio, quod & familiam perturbat, & domino moleſtiam creat. Nec vero ullus ſit zelotypiæ locus: quamobrem ſi quem videat patriſfamilias eſſe chariorem, temperet a querimonia, invidentiamque contineat; at potius pergat ſemper de domino benemereri opera & diligentia, & ſi quid incidat paullum moleſtum & grave, quo ſibi factam injuriam putet, id perferat toleranter tuendæ pacis cauſa, niſi dominum certiorem fieri neceſſe ſit aut ad familiæ tranquillitatem, aut ad emendationem malefacti; cum is, qui peccavit, privatim admonenti aures præbere nullo modo velit.

CA-

CAPUT VIII.

Fratrum in Fratres Officia.

I. FRatrum officia mutua quæ ſint, natura ſatis aperte admonet: neque enim fratres tantum ſunt humanitate conjuncti, aut civitate, aut quadam amicitiæ voluntariæ neceſſitudine, aut domicilio & convictu, ſed ſanguinis nexu ita conglutinati inter ſe, ut etſi duo, pluresve, unus tamen, idemque eſſe videantur; quippequi ex iiſdem parentibus geniti, quaſi rami ſint unius arboris, & membra corporis ejuſdem: iccircoque frater dicatur multo magis, quam amicus, alter ego: *a Quinto fratre*, inquit Tullius (*ad Fam. lib. 2. Epiſt. 15.*) *impetrari non poterat; quem tamen ſi reliquiſſem, dicerent iniqui, non me plane poſt annum, ut ſenatus voluiſſet, de provincia deceſſiſſe: quoniam alterum me reliquiſſem.* Quod & nomine ipſo ſignificari cuipiam viſum eſt: *fratris autem vocabulum P. Nigidius homo impenſe doctus non minus arguto, ſubtilique ἐτύμῳ interpretabatur: Frater*, inquit, *eſt dictus, quaſi fere alter.* (*A. Gellius Noct. Attic. lib. 13. cap. 10.*) Itaque cum fratres tum multiplici conjunctionis genere copulentur; atque oporteat & homines, & cives, & amicos, & contubernales, & affines ſe mutuo amore complecti; liquet, ſummam inter fratres eſſe debere benevolentiæ charitatem, cujus vim amor in parentes faciat neceſſe eſt multo quidem acriorem: qui enim parentes amat & reveretur, fieri non poteſt, ut eos non diligat, quos ſentit illis eſſe chariſſimos.

II. Non eſt autem dubitandum, quin nihil ſit, quo magis parentes delectentur, quam mutua fratrum benevolentia; nihil, inquam, non opes, non divitiæ, non honoris & dignitatis gradus, non ingenium, non doctrina, non venuſtas ac forma liberorum: hæc enim omnia cum moleſtia, animique angore conjuncta ſunt, ſublata illa, de qua dico, benevolentia, quæ & ſolatium jucundiſſimum eſt parentum ultimæ ſenectuti: hæc eadem ſummæ laudi eſt apud homines:

quorum enim amor in fratres fuit eximius & ſingularis, iſ ab omnibus mirifice commendantur, eorumque manet apud poſteros gloria nominis ſempiterna, ut P. Scipionis, qui Africanus eſt dictus: hic enim victa, & ſubacta Africa, cum L. Scipionem fratrem inglorium videret, impetravit a Senatu, ut is in Aſiam cum imperio mitteretur, cui ſe legatum & ſocium adjunxit, hoc eſt, major natu minori, imbelli fortiſſimus imperator, inglorio militari laude præſtantiſſimus; itaque eum opera & conſilio juvit, ut ſicut ipſe Africanus, frater ſimiliter ob victam Aſiam Aſiaticus diceretur (*Valerius Max. lib.5. cap.5. num.1.*) Marcus item Fabius Conſul, Etruſcis & Vejentibus ſuperatis, triumphi honorem ſumma ſenatus populique conſenſione ſibi delatum repudiavit; quia eo prælio Q. Fabius frater vir conſularis occiderat fortiſſime dimicando (*Valerius Max. cit. loc. num.2. ib. vid. de T. Caſare Auguſto, & Druſo, ac de milite, qui in caſtris Gn. Pompej merebat*) Horum æmulari veram ac ſolidam gloriam boni & honeſti eſt, ac ſapientis viri.

III. At non modo gloriæ eſt mutua inter fratres benevolentia, ſed & maximæ voluptati: *quam ſuavis eſt*, inquit Menander [*apud Stobeum Serm.* 84.] *inter fratres concordes amor*: ſi enim qui fidelem invenit in amicitia, eum beatum judicant ſapientes; quanto beatior, qui eumdem & fratrem & amicum habet? conſcium omnium conſiliorum, & ſocium cum in rebus adverſis, tum proſperis? Cum quo ſint omnia communia, & domus fere, & menſa, & bona fortunæ; quod non contingit in amicitia cum alienis hominibus, quorum præterea frui conſuetudine non ſemper licet?

IV. Nec vero ſcio, quid hac mutua fratrum benevolentia eſſe in vita poſſit utilius ad familiæ decus, ad ornamentum in bonis rebus, ad præſidium in malis: & quamquam expectari aliquando plurimum queat ab amicorum charitate & fide; tamen aſſentior Plutarcho, eum videlicet qui, neglecta fratrum amicitia, ad alios amicos ſe transfert, ſimiliter facere, ac is, qui crus ſibi abſcindit, atque ejus loco adſciſcit ligneum (*Plutarc. de Fraterno Amore*) nam etiamſi & hoc prodeſt ad ambulandum, tamen alterum eſt multo commodius; cum illud naturale ſit, hoc adſcitum

ex-

extrinſecus: eodem modo fratrum amicitia naturalis eſt, alienorum vero potius in ſubſidium advocata, aſſumpta, adventitia. Quo in loco & illud tecum reputa, parari alios poſſe amicos & familiares, amiſſis prioribus; at fratrem, inſtar abſciſſi cruris, recuperari non poſſe. Iccirco in celebri fama verſatur mulier illa Perſica (*apud Plutarc. de Amore Fraterno*) quæ cum fratris ſalutem ſaluti prætuliſſet liberorum, eam attulit cauſam, quod poſſet aliam prolem ſuſcipere; at fratrem nanciſci, mortuis parentibus, plane nullum. Itaque jure ſcriptum eſt a Muſonio (*apud Stobeum Serm.* 84. *tom.* 2.) extremæ inſaniæ argumentum eſſe, fratrum amicitia relicta, aliam ſibi parare. Quod non eo conſilio a me dictum eſt, quaſi alias amicitias exiſtimem negligendas, quas alio in loco (*lib.* 3. *part.* 3. *cap.* 17.) maxime commendavi; ſed quod fratrum amicitia ſit potior, ac reliquis præferenda. Certe præſtat rus ſuum excolere, quam alienum, & præſidio, quod domi eſt, uti, quam externum quærere: *qui relictis fratribus*, ait Sotion (*apud Stobeum Serm.* 84. *tom.* 2.) *alios amicos quærunt, ſimiles illis ſunt, qui ſuum rus incultum ſinunt, & alienum excolunt*. Sed nec video, quo pacto prudens quiſquam ac bonus putet, fieri poſſe, cum ſibi benevolum & amicum fore, qui non ſit fratri: etenim qui amicitiam deſerit, quæ a natura eſt, quomodo eam colet, quæ voluntatis arbitrio conciliatur?

V. Ex ea, de qua dixi, benevolentia reliqua in fratres officia conſequuntur, & in primis concordia & conſpiratio in conſiliis rerum gerendarum, in dictis & factis. Profecto ſi fratres conjunctiſſimi ſint, non modo veterem tutantur familiæ dignitatem; at ſi quid valeant induſtria, atque ſolertia, ornant & amplificant cum morum honeſtate, tum opibus & majori copia divitiarum, atque interdum domum e tenui fortuna ad florentiſſimam efferunt: nam conjunctæ vires ſunt multo validiores, atque onus, cui ſuſtinendo unus impar omnino ſit, fertur a multis facilitate mirabili; & familia, in quam e variis locis aliquid influit, quamquam non amplum & copioſum, ſenſim pinguior & locupletior evadit, ut fluvius, in quem plures illabantur rivuli. Itaque cum alius literis, alius virtute, hic dignitate, ille ſtudio & procuratione rerum domeſticarum quidpiam im-

importat in commune patrimonium, liquet, hoc non ſervari modo, ſed augeri in dies oportere, eoque uberius, quo plures ſunt fratres uno concordiæ & charitatis nexu copulati. Nec vero quis ita prudentia ſua & virtute confidat, ut putet, ſe poſſe unum, quod omnes cum in gerendis rebus, tum in periculis vitandis, & propulſandis injuriis: hoc enim hominis eſt de ſe ſuperbe ſentientis.

VI. Quemadmodum vero fratrum concordia ſtat & floret domus (ut ex humorum temperatione ſtabilis quædam, & firma efficitur in humano corpore valetudo) ita diſcordia labefactatur & ruit: ut enim civili bello evertuntur reſpublicæ, ita familiæ; & cum fortunis una concidunt & vitæ tranquillitas, & ornamenta omnia dignitatis & gloriæ: quandoquidem quid turpius, quid flagitioſius poteſt eſſe, quam eos inter ſe diſſidere, quos tam arcte natura ipſa conjunxit? quid ſi membra corporis, quæ a natura ſunt data, ut mutuo ſe juvent, ſecum ipſa pugnent? V. C. pes unus progredi dextrorſum velit, alter ſiniſtrorſum? quanta in hac re ineſt non modo perturbatio, ſed etiam deformitas & turpitudo? Fratres ſcilicet a natura facti ſunt, ut alter alterum juvet, ut alter alteri proſit, & ſinguli communem familiæ ſpectent utilitatem, quam præferant privatæ & ſuæ, atque in id diligenter incumbant, ut corpus integrum ornatum ſit, ſalvum, incolume, & vitio ac labe careat. Quamobrem ſummo in errore verſantur ii, qui fratres non curant, qui deſerunt, qui jacentes ac proſtratos non erigunt: quoniam fratres omnes, cum membra ſint corporis ejuſdem, in partem venire neceſſe eſt ejus calamitatis, aut turpitudinis & infamiæ, in quam eorum quiſpiam inciderit. Igitur cui fratris honos cordi non eſt, nec ſuus poteſt eſſe ullo modo. Ecquem nam non puderet ornatis quidem humeris ac lacertis in publicum prodire, ſed nudis pedibus, & macie manantibus? Non ſecus deforme atque inconcinnum eſt, hunc quidem in altiori gradu locatum intueri, cujus frater in ſordibus jaceat aut propter inopiam, aut propter aliquam flagitio ſuſceptam infamiam, quæ cæteroquin abſtergi poſſit.

VII. Itaque cum ex fratrum diſſidio exiſtat tum everſio familiæ, & moleſtia, tum dedecus; omnia extingui neceſſe

ceſſe eſt, & funditus tolli ſemina diſcordiarum, quæ inter fratres, qui ſe violatos & contemptos putent, ſolent eſſe acerbiſſimæ: *a quibus enim*, ait Ariſtoteles (*lib.* 7. *Politic. cap.* 7.) *ſibi beneficium deberi putant, ab iis & injuria affici ſe, & gratia debita fraudari vident. Hinc illud: fratrum graves inimicitiæ, & illud: quorum amor ſummus eſt, horum ſumma odia*; quæ & fere ſempiterna ſunt, nec extinguuntur ætate, immo propter recentes offenſiones, aut ſuſpicionem injuriæ, gravior in dies excandeſcit iracundia, concitaturque vehementius, & a parentibus manat in liberos, qui diu paternas aliquando inimicitias perſequuntur: quare videmus, eos ſæpe, qui ſanguine conjunctiores ſunt, disjunctiores eſſe voluntate.

VIII. Ea vero ſemina diſſidiorum ſpargunt aut parentes ipſi, aut fratres, ut ſcribit Stephanus Guatius (*in Opere, quod inſcribitur:* la Civile Converſazione *lib.* 3.) Parentes primum; quia non recte liberos inſtituunt ſuos, non erudiunt ad manſuetudinem, ad patientiam, ad liberalitatem, ad animi magnitudinem, qua pluris benefacta æſtimantur, quam pecunia, ad charitatem, aliaſque virtutes, quibus, qui prædirus eſt, is temperat a diſcordia: ſinunt eos mutuis ſeſe injuriis laceſſere, contendere, litigare de rebus levioribus, inurbane agere, dure, aſpere, ſine ulla obſervantiæ ſignificatione alterius in alterum; quemque id quærere ac velle, quo ſuæ commoditati conſulat, non alienæ, retinentem eſſe rerum ſuarum, quas cum aliis communicari moleſte ferat: nec intelligunt, hæc eſſe initia diſſenſionum graviſſimarum, quæ progrediente ætate conſequentur: manet enim conſuetudo ſemel ſuſcepta, & qui prius ſoleret in parvis diſſidere, tum pro data occaſione diſcordat in maximis: res enim, quæ ante pueriles eſſent, in majores mutantur, ſed eadem eſt animi comparatio.

IX. Similiter parentes cauſa ſunt, cur fratrum diſſidia fiant, cum unum amant præ reliquis, & aut veſte, aut cibo, aut blanditiis & indulgentia aliis præferunt: qui enim ſentiunt, minus diligi ſe, tum in parentes, qui partium ſtudio teneantur, tum in eum, qui plus amatur, quippequem ejus rei cauſam putant eſſe dolo malo, aut obtrectatione, aut blanda quadam ſimulatione, odium concipiunt; ex quo excitantur lites & querimoniæ.

X. Altera cauſa diſcordiæ ad fratres pertinet, atque ea, quæ late patet, eſt propriæ, quam quiſque quærat & appetat, utilitatis ratio; cum nimirum ſinguli non communis diligentes & ſtudioſi ſunt, ſed tantum commoditatis ſuæ. Quo fit, ut unum membrum ab alio divellatur, & ad ſe emolumenta & commoda trahat aliorum, & privatam communi totius familiæ ſaluti præferat, ac ſua tantum curet; domeſtica negocia, quæ omnibus opportuna ſint, negligat quaſi aliena; cum tamen propria ſint: nam totius familiæ utilitate ſingulorum etiam utilitas continetur, ut dixi. Quam ob cauſam, patre mortuo, ſæpe conſilium initur de familia hercifcunda, ſeu dividenda hæreditate; cum quiſque putet, ſibi melius fore, ſi ſolus vivat, & omnia non familiæ ornamento, at ſuis emolumentis metiatur. Tum vero fratres quaſi prædam nacti, & hoſtium ſpolia, patrimonium diripiunt, ac de domus angulo, aut area decertant, aut gleba; qui tamen ſæpe magnam pecuniam in amatorias levitates profundere nec turpe, nec perniciosum putant. Eam ob cauſam honeſtæ, atque amplæ familiæ jacent, & ab inſigni quadam gloria & opulentia in ignominiam, & fere mendicitatem delabuntur: opes enim, & copiæ, quæ conjunctæ valent ad ſplendorem & decus, diviſæ ac disjectæ vix apparent.

XI. Nec vero tantum paternæ res dividuntur multo labore partæ, ac ſumma diligentia majorum, ſed etiam dirimitur, diſtrahiturque benevolentia, cujus loco ſimultates & odia ſuccedunt, & contentiones, & rixæ, & lites interdum diuturnæ; cum tamen ſi qua juſta & gravis cauſa incidat familiæ hercifcundæ, conſentaneum ſit, fratres ſemper conjunctos eſſe caritate ſingulari, & potius aliquid, vel multum etiam de ſuo jure cedere, quam animis abalienari: eſt enim amicitia paternorum bonorum maximum. Præclarum eſt hac in re Athenodori factum. Is fratrem habuit Zenonem natu majorem, qui cum multa prodegiſſet in adminiſtranda tutela, tandem ob raptam feminam damnatus eſt, ejuſque bona in publicum ærarium relata ſunt. Erat tum adoleſcens Athenodorus, cui pars bonorum cum eſſet reddita, rurſus cum fratre omnia partitus eſt; cumque inter dividendum multis a Zenone afficeretur injuriis, hanc inſolentiam

Digitized by Google

tiam manſueto, hilarique animo tulit, nec oſtendit ullo modo ſe facti pœnitere. (*apud Plutarc. de Fraterno Amore*) Illud item fortaſſe præclarius, propterea quod non de agello, aut mancipiis, aut pecore diſceptaretur, ſed de Perſarum imperio: nam mortuo Dario, alii Ariameni, quippequi eſſet filiorum ejus natu maximus, regnum deferebant, alii Xerxi, qui ex Atoſta Cyri filia natus erat, Dario jam imperium gerente. Venit itaque Ariamenes e Media non apparatu militari, ſed placide, pacateque ad judicium Xerxis, qui tum præſens ea gerebat, quæ regis eſſent; venienti fratri, poſito diademate, occurrit, & comiter ac benevole ſalutavit; tum nuncios cum muneribus ad eum miſit, qui dicerent: his te nunc honorat Xerxes frater tuus, qui ſi rex Perſarum ſuffragio renuncietur, proximum tibi locum tribuit. Reſpondit Ariamenes: equidem dona excipio; regnum vero mihi deberi puto; honorem tamen fratribus meis natu minoribus habebo ſuum, & primum inter fratres Xerxi. Cum vero Perſæ communi ſententia Artabanum judicem deſignaſſent, ac Xerxes, propterea quod multitudini fideret, judicem recuſaret, eum increpans Atoſta mater: quid fugis, inquit, Artabanum patruum; & Perſarum optimum, fili? idque certamen metuis, in quo ſi vincaris, præclarum eſt, fratrem regis Perſarum ſecundo te loco eſſe? His dictis acquievit Xerxes; & Artabanus quidem, cauſa cognita, cum Xerxi regnum adjudicaſſet, Ariamenes ſtatim fratrem adoravit, ejuſque manum apprehendit, & in regio ſolio ſedata mente, atque hilari collocavit. Deinde apud Xerxem primo ſemper loco habitus eſt, eique ſe ita benevolum & amicum præbuit, ut pro fratre navali apud Salaminam prælio ſtrenue decertans mortem non dubitarit occumbere (*Plutarc. de Fraterno Amore*) In quo & fratrum amor, & animi magnitudo apparet, & matris in dando conſilio, & diſſidio tollendo ſapientia. Achæi & Dii fratrum proponere exemplum lubet ad imitandum: illi enim cum Athenis partirentur hæreditatem, & Achæus, qui gymnaſio præfuerat, & ſumptus in ea dignitate fecerat, eoſque parti ſuæ detrahi vellet, Dius abnuit, cum ſe item alios ſumptus feciſſe diceret (*apud Stobeum Serm.*84.) Hoc quidem fratrum, qui recte inſtituti ſint,

 qui

ſtementior, quo majus fuerit in fratre defendendo ſtudium: hic enim ium minime dubitabit, ſe benevole atque amice reprehendi. At vero ſi frater is eſt, qui, proptereaquod ſe excuſari ſciat, liberior fit ad peccandum, nec ſemel, ac fortuito delinquit, at ſæpe, tunc excuſatio non adhibetur honeſte; cum non expediat parentis continere ſeveritatem, qua reus puniatur, & temperet a malefactis: at curandum eſt, ut is intelligat, te ex ejus incommodo ac vitio moleſtiam capere, non caſtigatione delectari.

XIV. Mox ex inæquabili inter fratres varietate, ut ſæpe invidentia quædam, obtrectatioque naſci ſolet, ita diſſenſio. Hoc incommodum aut minuet is, aut tollet omnino, qui qua in re excellit, eam ſtudeat cum fratre communicare, ſi fieri poteſt, aut, quod æquale non eſt, id compenſare animi moderatione, ſummaque ſignificatione benevolentiæ; in gerendis iis, in quibus præſtare videatur, fratris etiam opera & conſilio uti, ac fateri interdum, eum ſibi multis dotibus antelre. Hæc ſi faciat, aliaque generis ejuſdem, fratri multum ornamenti is quidem adjiciet nihil detrahendo dignitati ſuæ, & aberit invidentia (*vid. Plutarc. de Frat. Amor.*) Qui vero inferior eſt dotibus ac præſtantia, ſi invidere debet nemini vel dignitatis gradu, vel opum affluentia, vel doctrinæ, atque ingenii laude præſtanti, at fratri profecto multo minus, quem oportet habere cariſſimum. Eſt animi quidem de rebus male & diſſolute judicantis, amicitia illuſtris viri, clariſque majoribus gloriari; fratris autem, qui nunc vivit, honoris gradu, & proſpera fortuna dolere & angi, qua potius gaudere debeas, ut tua. Quod ſi cætera ſint fere paria, certe cum ſemper inter fratres inæquabilis ſit ætas, ordo poſtulat, ac quædam naturæ præſcriptio, ut junior cedat ſeniori (niſi obſtet dignitatis gradus) eique in rebus honeſtis morem gerat, & obſequatur. Cato fratrem ſuum Capionem majorem natu ita ſibi a pueritia devinxit obedientia & officio, ac tantam in ejus animo excitavit reverentiam ſui, ut Capio vir factus nihil fecerit, eo inſcio, nihilque dixerit, quod aliquod habere momentum videretur (*Plutarc. de Frat. Amor.*) At natu major viciſſim minoris officia compenſet benevolentia & caritate, ac non is ſit, qui præeſſe velit, & imperare minoribus; cum pa-

ternam ſibi procurationem, auctoritatemque vindicare jure non poſſit, ſed eam tantum, quæ ſocii & fere æqualis eſt propria, potius in adhortando, admonendoque, quam in jubendo ſita. Hæc ergo præceptio datur majori, ut ne magnum aliquid putet eſſe ætate præſtare; minori, ut ne parvum: ſic enim futurum eſt, ut neuter deſit officio.

XV. Porro ea generatim debet eſſe fratrum conſuetudo, ut & familiaritatis quædam, & obſervantiæ temperatio cernatur: nam liberior & licentior agendi ratio procreatrix eſt contemptionis, ex qua rixæ & diſſidia naſcuntur. Videndum tamen, ne obſervantia impediat admonitionem: eſt enim fratris & libere fratrem admonere, at cum modo & tempeſtive, ut ſæpe dixi (*lib.* 3. *part.* 3. *cap.* 17. & *lib.* 5. *part.* 3. *cap.* 6. & 7. & *alibi*) & monita libenter excipere. Immo obſervantia facit, ut fructuoſa ſit, & utilis admonitio: neque enim licet ſuſpicari, eum, qui te diligit & obſervat, perturbatione aliqua permoveri ad admonendum.

XVI. Deinde tumultus inter fratres, ac diſſenſio commovetur, ſi quis eorum quicquam ſibi vendicat, ac furtim ſeu aperte auferat rerum domeſticarum, nondum diviſa hæreditate. Hoc quidem turpe eſt, & odioſum, & tum parentibus, ſi adhuc vivant, tum fratribus moleſtum & grave. Itaque ſinguli eo contenti eſſe debent, quod ad vitæ uſum neceſſarium eſt, & potius communes opes & facultates augere, quam ex iis quidpiam ſine cauſa decerpere.

XVII. Præterea cum ſæpe exigua ſint initia diſcordiarum, ea ſunt omni ſtudio præcidenda, quales ſunt leves injuriæ & offenſiunculæ; & levi vulneri, ſi quod apertum ſit, ſtatim oportet facere medicinam, atque, ut libenter errato veniam dare, ita viciſſim petere, & exulceratum animum ſuaviter permulcere, iratumque placare. Euclides Socraticus fratri iracundia inflammato, ac dicenti: peream, niſi te ulciſcar, reſpondit: peream, niſi curem, ut, ira compreſſa, me ames ut prius (*Plutarc. de Frat. Amor.*) Qui vero innaſcentem iram ſentit, ea vitet & repellat omnia, quibus illa concitari poſſit, atque incendi vehementius; ut qui lippitudine laborat, is cavet, ne vis luminis uberior in oculos incurrat. Item meminerit, in humana ſocietate multa eſſe toleranda patienter, & animi eſſe pacati & magni ea,

quæ

quæ moleſta accidunt, diſſimulare quodammodo. Præterea non ſunt audiendi, qui ad aures inſuſurrant ea, quibus amicitia inter fratres diſſociari queat, & minui benevolentia: nocent enim plurimum; cum præſertim veteratoriæ artis occultandæ cauſa, velandique mendacii, rem aperire nolunt, niſi pacto ſilentio, quod nefas ſit violare. His flagitioſis hominibus id conſentaneum eſt dicere, quod vulpi gallina: cum enim ad gallinam, quæ forte ægrotabat, viſendam veniſſet vulpes, ſimulata urbanitatis & benevolentiæ cauſa, ex eaque quæſiviſſet, quomodo ſe haberet, bene, reſpondit, ſi tu diſcedas. Ita & tu dicito: nihil mihi cum fratre diſſidii eſt, ſi uterque noſtrum rumoribus, ineptiſque ſermonibus aures non præbeat (*vid. Plutarc. de Frat. Amor.*) Pollux, ut eſt in fabulis, quemdam ad aures ſuas inſuſurrantem neſcio quid de fratre pugno interemit (*Plutarc. cit. loc.*) Acerbius id quidem, quam oporteret; ſed tamen id valet ad improbos deterrendos ab eo flagitii genere, quo ſæpe non unius tantum quies, ſed univerſæ familiæ & diſciplina, & tranquillitas perturbatur. Certe malevolorum improbitate factum eſt, ut Ariſtobolus Antigonum fratrem ſuum, quem prius unice diligebat, juberet per inſidias crudeliſſime trucidari (*Joſephus Antiq. Judaic. lib. 13. cap. 18.*) cujus generis exempla extant quammulta memoriæ prodita. Quo fit & ſuſpicionem, quæ peſtis eſt benevolentiæ, impellitque ad maleficia, eſſe fugiendam. At cavere oportet, ne quid fratri renunciari queat a te aut factum, aut dictum, quo jure doleat: nunquam ergo vituperetur, cum abeſt, accuſeturve aut avaritiæ, aut inanitatis, aut imprudentiæ; at cum opus eſt, remotis arbitris privatim admoneatur, ut dixi.

XVIII. Expedit item plurimum removendæ diſcordiæ, ſi fratres conſuetudine utantur communium amicorum, quorum ſit una ſententia, idemque conſilium: ſi enim qui cum ſingulis fratribus amicitia conjuncti ſunt, opinione diſſentiant, poſſunt ſimiliter inter fratres diſſenſionem facile commovere. Accedit, quod dum ſeorſim alii aliis amicitia, vitæque ſocietate concilantur, ipſi mutuo ab ſe diſſocientur neceſſe eſt, ac diverſos mores ſuſcipiant pro varia amicorum indole. Immo argumentum eſt minime dubium, eos ingenio diſſidere, a quibus diverſi amici deligantur. Contra

com-

Digitized by Google

communes amici, præterquamquod ſuſpicioni nullum relinquunt locum, ſi quid inter frates diſſidii factum ſit, componunt, & id quaſi coagmentant, quod diſſolutum eſt; cum non uni faveant, ſed æque omnibus (*vid. Plutarc. de Frat. Amor.*) Evulſis diſcordiarum fibris, ac ſtirpibus circumciſis, pergamus dicere, quæ alia frarrum officia eſſe videantur.

XIX. Quemadmodum vero fratris eſt in fratrem benevolentiam præſeferre ſingularem, ut ſupra dixi; ita eos omnes amare, qui ei conjuncti ſint, aut aliquam utilitatem pariant, quales ſunt fratris famuli, ancillæ ac domeſtici, uxor vero in primis, quam veluti ſacram habeat, ac liberi, in quos majori quadam benignitate, indulgentiaque uti debet, quam in ſuos; iiſdemque convenit benefacere. Gratias etiam agat medico, per quem frater ſanitatem recuperarit, & amicis, quorum opera aut munus, aut dignitatem, aut magiſtratum adeptus ſit, aut e periculo ereptus, adverſaque fortuna liberatus. Alia officia, ſi qua ſunt, ad ea, de quibus dixi, facile revocantur.

XX. Illud vero non eſt dubitandum, quin tradita præcepta in ſorores etiam cadant, iccircoque ſorores inter ſe & in fratres, & hi viciſſim in ſorores iiſdem legibus teneantur. Sed major quædam interdum habenda eſt ſororum ratio (præſertim mortuis parentibus) quarum pudicitiæ, honori, ac dignitati ſtudioſiſſime conſulendum eſt, & cavendum, ne propter avaritiam, duritatemve aut miſere vivant, aut infelici conjugio copulentur.

XXI. Quid vero ſi frater protervus ſit, inſolens, malevolus, flagitioſus? ferendus eſt tamen, cum frater ſit, & amice tractandus: eſt enim a natura datus. Reliquis quidem amicitiis conſentaneum eſt præire judicium, at ei, quæ cum fratre intercedit, non ita; quippequæ in natura eſt, non in delectu. Tolerantur vitia animalium, ut equi, ut canis, ut felis, ut ſimiæ; cur non fratris? [*vid. Plutarc. de Frat. Amor.*] Monendus quidem, obſecrandus, leniter aliquando reprehendendus, at deſerendus nunquam: immo tum enitere, ut eum ad ſanitatem revoces, & agreſtem mitiges beneficiis, in quibus vis ineſt magna quædam ad animum molliendum: *canem*, ait Sotion (*apud Stobeum Serm.*84. *tom.*2.) *tibi infenſum mitigare conaris, ut fiat benignior; erga fratrem vero idem*

non

Digitized by Google

non facis. Nec vero irritus futurus eſt, & inanis labor: nam & feræ quæ ſunt, quamquam immanes, ad cicurum naturam rediguntur certo cultu, victuque quotidiano: *non ſolum autem homo frater*, ait Hierocles (*in libr. de Amore Fraterno apud Stobeum Serm.84. tom.2.*) *ſed etiam alienus, ſi ita omni officiorum genere colatur, licet peſſimus fuerit, manſuetior evadit*.

XXII. Quod ſi tanta ſit in fratre, aut ſorore morum perverſitas, ut nihil proficias; tamen magnum fructum capis induſtriæ ac benevolentiæ tuæ: nam præter honeſtatem, quæ in facto ineſt, & ſummopere fructuoſa eſt, eam tibi laudem paras, quæ nunquam occidat, nullaque ætate deleatur. Verum ſæpe contingit, ut qui fratrem malum queratur eſſe, ipſe ſit multo deterior, & non modo fratrem non placet, leniatque beneficiis, ſed dictis & factis cum ad iracundiam concitet, tum, quæ in eo eſt, exaggeret improbitatem, accuſet etiam, & criminetur: vulnus autem gladio aperiri poteſt, at ſanari non poteſt. Adhibenda medicina eſt, qua disjectæ partes conglutinentur & coeant.

CAPUT IX.

De Officio Præceptoris in Diſcipulos, & viciſſim.

I. Quæ officia ſunt parentum in liberos, eadem magna quidem ex parte ſunt præceptorum in alumnos ſuos. Iccirco quæ paullo ante (*lib.5. part.3. cap.6.*) de parentibus dixi, eadem fere in magiſtros cadunt, quorum ſimiliter eſt pueros & adoleſcentes cum literis, tum bonis moribus erudire. Hanc ob cauſam magiſter ita affectus ſit in diſcipulos oportet ſuos, ut optimus parens in filium; quod præcipit Quintilianus (*Inſtit. Orator. lib.2. cap.2.*) *Sumat igitur ante omnia parentis erga diſcipulos ſuos animum, ac ſuccedere ſe in eorumdem locum, a quibus ſibi liberi tradantur, exiſtimet*.

II.

II. Cum vero magna ſit in primis parentum in natos benevolentia & charitas, hæc eadem erga diſcipulos ineſſe debet in præceptores, eaque ejus dotes reliquæ continentur fere omnes (ſi doctrinam excipias, quæ ingenio & ſtudio conſtat) Charitas quidem doctorem incendit, & quaſi admotis calcaribus excitat ad diligentiam, ad aſſiduitatem, ad vigilantiam, tandem ad munus ſuum accuratiſſime, quoad fieri poteſt, obeundum, & fructuoſe, & cum dignitate, levatque in docendo moleſtiam, ac laborem ſane gravem, qui hominem expertem charitatis debilitare omnino, ac frangere videatur. Tum vero mirabili quadam exardeſcet doctor magnitudine charitatis, ſi ſecum reputet, quantum utilitatis induſtria ſua & cura ſit allaturus non adoleſcentibus modo, & pueris, quos erudiendos ſuſcepit, ſed & patriæ, & civitati, & reipublicæ, & religioni: qui enim a pueritia cum doctrina, tum bonis moribus exculti ſint, & quaſi cum lacte præcepta hauſerint bene vivendi, progrediente ætate boni futuri ſunt & cives, & patresfamilias, & ſacrorum miniſtri, & gubernatores rerumpublicarum, qui iccirco tum ſibi, tum aliis prodeſſe & ſciant, & velint. Sed illud maximum eſt, quod illi iidem, qui non magni æſtimandi videantur propter ætatem, ad ſummum dignitatis gradum, hoc eſt, ad beatam immortalitatem deſtinati ſunt, quam ut conſequantur, chriſtiano præceptori omni ope enitendum eſt. Itaque non tantum videndum, qui nunc ii ſint, quos erudis, ſed qui olim futuri. Ex quo vel inſtituendæ pueritiæ munus non humile ac demiſſum, ut multis videtur, ſed nobile ac præclarum judicatur a ſapientibus; eorum quidem culpa abjectum eſt, qui rem ex ſeſe honeſtiſſimam convertunt ad unius lucri cupiditatem: quamquam enim merces exigi jure poſſit; tamen qui hanc tantum ſpectat, is muneri omnem detrahit præſtantiam & dignitatem. Hæc quidem, de quibus dixi, ad doctoris munus rite exequendum generatim pertinent. Cum vero ejus muneris ſint partes duæ, quarum altera eſt inſtitutio in literis, altera in moribus, de utriſque quædam utile eſt præcepta tradere.

III. Ac primum conſtat, qui velit alios optimis diſciplinis & artibus erudire, eum eruditum eſſe oportere, immo ſi fieri poteſt, in arte ac facultate præcellentem, quam profitetur:

Digitized by Google

tetur: niſi enim ea probe tenet, quæ alios doceat, quo pacto docere poſſit, non video: quoniam hærebit ſæpe, hæſitabit, dubitabit, revocabit ſe interdum, nunc obſcura dicet, nunc falſa, nunc inepta & ambigua. Multi ſunt quidem in unaquaque civitate grammatici, at quotuſquiſque eſt, qui grammaticæ artis peritus ſit, qui latine ſciat & loqui, & ſcribere, qui Ciceronem in deliciis habeat, qui imitetur, qui intelligat. Immo ſunt, qui an quicquam aliud præter orationes & epiſtolas ad familiares a Tullio ſcriptum ſit, ne ſciant quidem; & tamen magna diſcipulorum caterva circumſepti ſunt; quod ſæpe aut eorum, qui magiſtris pueros tradunt, ignorantia fit, aut neceſſitate; propterea quod difficile eſt reperire meliores. Interim vel poſt aliquot annos pueri diſcedunt e ſchola non multo doctiores, quam venerint, & certe in lingua latina hoſpites & peregrini; ita quidem ut, quæ didicerint, ea dediſcere neceſſe ſit: non enim latine loqui docti ſunt, ſed barbare; cum magiſter eis dictarit non Ciceroniana, ſed ſua, eademque vulgaria & fere puerilia.

IV. Nec vero qui eloquentiam profitentur, ii ſemper eloquentes ſunt, & in rhetoricis rebus exercitati: quæ diſcipulis tradant, ea e rivis hauriunt, non e fonte, ut ex Hermogene, ex Ariſtotele, ex Tullio, ex Quintiliano; & ſibi videntur ſatis valere in arte dicendi, cum præcepta quædam memoria retinent, & figuras, ut vocant, verborum & ſententiarum, & pauca ſcribunt fere inconcinne aut ſoluta oratione, aut verſu; cum interim nullo aliarum ſcientiarum ut philoſophiæ, ut theologiæ, ut hiſtoriæ, ut juriſprudentiæ apparatu inſtructi ſint, quo qui caret, idem & eloquentia careat, & rhetorica arte neceſſe eſt, ut ex Tullii libris de Oratore intelligi poteſt: *etenim ex rerum cognitione* (*Tullius lib. 1. de Orat.*) *efflorescat, & redundet oportet oratio: quæ, niſi ſubeſt res ab Oratore percepta & cognita, inanem quamdam habet elocutionem, & pene puerilem*. Sed hæc late patent, neque ad inſtituti noſtri rationem pertinent; nec illud, de quo dixi, quorumdam tantum vitium eſt, qui ſe grammaticos & rhetores dici volunt, ſed & plurium, qui ſectantur ſtudia graviora: ſibi enim & philoſophi, & theologi, & juriſperiti præclarum nomen vindicant, jurene, non ſatis ſcio.

V. Præter ſcientiam in præceptore, doctrinæ etiam plane, dilucideque tradendæ facultas, facilitaſque eſt maxime neceſſaria, quæ quidem ſæpe eſt a natura, & quadam continetur mentis celeritate, & judicii vi, qua diſcerni poſſit, quid magis ſit cum in verbis, tum in rebus ad intelligentiam auditorum accommodatum. Ad hanc tamen docendi facilitatem plurimum valet accurata ac diligens præparatio eorum, quæ tradere, atque explicare doctor velit. Oportet itaque in ſcholam omnia, ſi fieri poſſit, afferre diu meditata, ac mente percepta: tunc enim facile eſt, nec perſpicuitatem deſiderari in rebus dicendis, nec orationis copiam: ex quo conſequens erit, ut audientes utraque delectentur, audiant attente, & quæ audierint, eorum memoriam teneant. Profecto doctoris diligentia plus ſæpe adjumenti affert ad ſtudia literarum, quam præcellens ac ſumma doctrina, quæ minus ſedula ſit, atque actuoſa.

VI. Deinde nulla prætermittenda eſt via & ratio, quæ ad diſcipulorum progreſſionem in diſciplinis opportuna videatur. Et primum præceptor de alumno ſuo ſpem concipiat optimam; ita futurus eſt diligentior: *falſa enim eſt querela*, ſcribit Quintilianus (*Inſtit. Orat. lib.1. cap.1.*) *pauciſſimis hominibus vim percipiendi, quæ tradantur, eſſe conceſſam; pleroſque vero laborem, ac tempora tarditate ingenii perdere. Nam contra plures reperias & faciles ad excogitandum, & ad diſcendum promptos. Quippe id eſt homini naturale. Ac ſicut aves ad volatum, equi ad curſum, ad ſævitiam feræ gignuntur; ita nobis propria eſt mentis agitatio, atque ſolertia: unde origo animi cæleſtis creditur. Hebetes vero & indociles non magis ſecundum naturam hominis eduntur, quam prodigioſa corpora, & monſtris inſignia. Sed hi pauci admodum.* Multi quidem ſunt, qui parum proficiunt; hæc tamen fere non ingenii culpa eſt, ſed voluntatis: alio diſtrahuntur, nugis & ludis & oblectationibus occupati, & non raro impediti vitioſitate, quæ cum in tenero animo innaſci cœpit, de ſtudiis actum eſt. Culpanda eſt etiam incuria præceptorum, qui ingenia excolere aut nolunt, aut neſciunt. Cæterum experientia comperi, qui non ſit aliquid labore & ſtudio conſecutus, fuiſſe neminem; immo qui tardiore ingenio viderentur eſſe, cum ad voluntatem acceſſit labor atque contentio,

ea

eo progreſſi ſunt, ut ſolertiori anteirent. Itaque præceptor ſpem alat cum ſuam, tum diſcipulorum.

VII. Mox vero, ut illi non modo ſtudium non oderint, ſed ament, eoque delectentur quaſi oblectatione & ludo, curet, enitaturque diligentius. Hoc autem conſequi poteſt, ſi amabilem ſe reddat, ſi in diſcipulos omnia proferat argumenta charitatis ſuæ, facilis ſit, patiens, affabilis, manſuetus, ſervato tamen dignitatis gradu; ſi interroganti puero & adoleſcenti comiter reſpondeat ac ſatisfaciat: *interrogantibus*, ait Quintilianus (*Inſtit. Orat. lib. 2. cap. 2.*) *libenter reſpondeat, non interrogantes percontetur ultro*: ſi humaniter excipiat venientem, non acerbe, non aſpere; ſi oſtendat promptum ſe ad omnia, ac paratum, quæ ſint ei profutura. Attamen retinentiſſimus ſit gravitatis & auctoritatis ſuæ, quem iccirco diſcipuli ament & vereantur: *non auſteritas ejus triſtis, nec diſſoluta ſit comitas, ne inde odium, hinc contemptus oriatur*, ait Quintilianus (*Inſtit. Orat. lib. 2. cap. 2.*) nec eo præſente audeant quicquam facere, aut loqui, quod minus honeſtum ſit, moderatum, decorum; itaque conſtans ſit in ſchola, & ſanctiſſima diſciplina, modeſtia, taciturnitas etiam, niſi quæ non poſſit cum ſtudiorum ratione, & ſcholaſtica exercitatione conſiſtere. At ſemper, niſi cujuſpiam ſit impudentia & temeritas comprimenda, in magiſtri vultu quædam cernatur ſpecies ac forma comitatis, quæ adjunctam habeat animi magnitudinem, atque conſtantiam. Si diſcipuli doctorem amant, & magni faciunt, ejus item doctrinam ac præceptiones libenter excipient, ducentque plurimi.

VIII. Similiter ad amorem, ſtudiumque literarum molles præſertim animos vehementer allicit, impellitque æmulatio: ſunt enim juvenes honoris, gloriæque percupidi, atque aliis antecellere præclarum & jucundum putant: illuc igitur ſponte rapiuntur, quo eos ſtimuli honoris, & quaſi calcaria impulerint. Huic eorum affectioni obſecundandum eſt propoſitis præmiis ac laudibus, ut multis in ſcholis & academiis fieri ſolet; ex quo inflammantur animi, & ſtudia efflorеſcunt pulcherrimarum diſciplinarum. Hanc inter adoleſcentes literariam concertationem deſcribit aureo quodam latinitatis genere, & eloquentia ſingulari vir Cl. Hierony-

 mus

mus Lagomarſinus, a quo jamdiu commentarios in Tullii ſcripta expectant eruditi. Is quidem locus aliquanto longior eſt, ſed utilis, atque, ut reor, plenus leporis, & venuſtatis. *Quanta alacritas?* inquit, (*pro Publicis Scholis Orat. 2. apud Cologer. tom. 19.*) *quanta ſedulitas? quanta æmulatio? quæ ſpes? qui timor? quæ cura? Ingenii enim mox eſt, memoriæ, doctrinæ, diligentiæ faciendum tanta in celebritate periculum. Procedit ecce publicus doctor: gymnaſii limen ingreditur. Omne murmur ac ſtrepitus, ſi quis erat, illico conquieſcit. Adſurgitur: fit honeſtiſſima perſalutatio: conſiditur: nihil ceſſatur. Jubentur prodire ex adverſis partibus aliquot, tamquam pugilum paria, & in mediam arenam ad certamen, luctamque deſcendere, & memoriter inſigniorem aliquem veterum ſive oratorum, ſive poetarum locum alternis vicibus recitare. Conſiſtunt in medio gymnaſii duæ utrimque adoleſcentulorum acies, magnorum exercituum inſtar, atque animos gerentes. Datur pugnæ ſignum: confligitur: recitatur. Qui curſus verborum, Deus immortalis! quæ linguæ celeritas! quam nulla hæſitatio! Ut imminent adverſarii! ut inſtant! ut urgent! ut moram afferre aliquam ſtudent! ut offendicula injiciunt! ut dejicere, & deturbare ſtantes omni ope, vique conantur! Nec, ſi non potuerunt, tamen animos demittunt: æque ſe viciſſim reſtituros, neque loco movendos ac pervertendos confidunt; & ſi non vicerint, non eſſe tamen vincendos ſperant. Inſtauratur de integro certamen: atrocior pugna committitur: hos ſucceſſus ferociores, illos anceps prælii eventus ex omni parte cautiores facit. Fit clamor, impetus, incurſus: petitiones propemodum gladiatoriæ conjiciuntur: aliquæ declinantur, non omnes. Qui enim in tanto animorum ardore ac pertinacia poſſit? Hic lapſus aliquis concidit. Clamorem victores tollunt, geſtiunt, exiliunt, gratulantur: ſupplicationem ſibi prope decerni, & triumphum poſtulant. Silent contra victi, dolent, indignantur, illacrymant. Excedunt tamquam ſaucii ex acie; integri, recenteſque ſuccedunt, qui hoſtium effrenatos impetus, atque inſolentiam frangant ac comprimant. Pugnatur rurſus infeſtiſſimis animis: ſtat aut glorioſe vincere, aut honeſte cadere: hæret vir viro, pes pedi: manus manu conſeritur: vi geritur res. Pulvereæ adeo nubes pedum ſupploſione, & corporum agitatione tolluntur. Quod ubi doctor animadvertit, rem plus nimio*

ca

calere, & prope ad internecionem, atque exitium adduci, furentes auctoritate ſua, nutuque cohibet, atque ut Virgilianus ille Æolus,

. . . . *mollitque animos, & temperat iras.*

(*Æneid.*1. v.61.) *conlaudatiſque victoribus, præmioque ornatis, & tamquam bonus imperator ſuorum virtute, rebuſque geſtis vehementer lætatus, receptui cani jubet, ſed ita, ut faciat tamen victis certaminis in alio quodam genere poteſtatem. Non pugna deſiſtitur, ſed locus, atque arma mutantur. Scribendo, interpretandoque decertant. Pugnatur eminus nihilo ſegnius, quam modo pugnatum eſt cominus. Idem animus, eadem vis, eædem rerum, fortunæque viciſſitudines. Ita poſt multas in acerrima contentione conſumptas horas, quum ſe propter ardorem animi contendiſſe vix ſentiant, in caſtra præclaræ cohortes dimittuntur; demum diſceditur; curantur corpora; ad aciem, ad ſolem, ad pulverem haud ita multo poſt reditur: eaque toto anno perpetua, ſibique ſuccedens exercitatio in ſcholis publicis, contentioque ſervatur.* Plura fortaſſe ex ea oratione huc tranſlata ſunt, quam oporteat, & certe quam ſoleam; ſed conſilium non reprehendet meum, qui intelligat, ex ea adoleſcentulorum umbratili pugna & concertatione tantum utilitatis & commodi proficiſci, ut ardor ille mentis ad ſtudia literarum, qui ſemel exardeſcit a pueritia, non modo non reſtinguatur unquam, ſed fiat ſemper, progrediente ætate, vehementior. Præſertim vero magnus exiſtit impetus animorum, ſi qui diligentia & doctrinæ laude reliquis antecellunt, ii publice coram honeſtiſſimis viris civitatis, ut fieri ſolet, dum publica habetur academia, præmio donentur.

IX. Verum iis magiſtris venia eſt danda quodammodo, qui propter multitudinem diſcipulorum, quorum alii alia docendi ſunt pro ratione ætatis, ingenii, ac ſcientiæ, illos in duplicem quaſi aciem, cohortemque diſponere nullo modo poſſunt, & ad mutuam, de qua dixi, dimicationem, pugnamque incitare. Quamquam quis vetat, ut belli ſit, qui fortiter, ſtrenueque pugnaverint, eos tum laude, tum quibuſdam munuſculis decorare? rurſus quis cogit plerumque

tot

tot pueris ſcholam complere, qui tam vario, tamque multiplici paſtu egent, cui parando ne plures quidem ſufficiant, unus autem multo minus?

X. Sed alii ſunt magis vituperandi, qui cavent, ne milites ſui manus conſerant cum adverſariis, ne & ipſi in partem veniant laboris & pugnæ, quaſi inertes duces, imbelles, timidi; qui ſemper in metu ſunt, ne quid incommodi patiantur, ne vires debilitentur, ne periclitetur valetudo. His quidem in promptu exempla ſunt eorum, qui labore fracti atque exercitatione diuturna, aut intempeſtive ceſſerint e vita, aut effœtam egerint ac miſeram ſeuectutem. Neſcio autem cur homines hi molles ac delicati non moreatur domi ſuæ in umbra ac receſſu, & cur aliis præbere ſe duces velint ad eam gloriam, quam nemo poſſit ſine incommodis ac labore conſequi.

XI. Tum præceptoris eſt ſæpe alumnos ſuos ad liberalium artium ſtudia ſuadendo, adhortandoque inflammare. Sed adhortationis ratio ad cujuſque indolem ac naturam accommodanda eſt, quam iccirco oportet eſſe perſpectam: ut enim non idem omnes humor & ſuccus plantas alit; ita non iiſdem rationibus omnes animi permoventur, ſed aliis alii. Quidam laudis ſtudio ducuntur, quidam rei honeſtate, quidam utilitate atque fructu. Increpatio huic prodeſt, illi nocet: *tradito ſibi puero*, ſcribit Quintilianus, (*Inſtit. Orat. lib.1. cap.4.*) *docendi peritus ingenium ejus in primis, naturamque perſpiciat*. Et non multo poſt (*ib.*) *perſpiciat deinceps, quomodo tractandus ſit diſcentis animus. Sunt quidam, niſi inſtiteris, remiſſi: quidam imperia indignantur: quoſdam continet metus, quoſdam debilitat: alios continuatio extundit, in aliis plus impetus facit. Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria juvet, qui victus fleat. Hic erit alendus ambitu: hunc mordebit objurgatio: hunc honor excitabit: in hoc deſidiam nunquam verebor.*

XII. Explorandum item eſt a doctore, quæ ſit in unoquoque diſcipulorum vis ingenii: hoc autem cum ex memoria, quæ facile percipiat, ſitque perceptarum rerum tenax, tum ex imitatione cognoſcet, ut idem Quintilianus ſcribit (*Inſt. Orat. lib.1. cap.4.*) Ingenio autem conſentaneum eſt dicendi rationem accommodare; atque illud curare maxime, ut ju-

Digitized by Google

juniores rationem adhuc impeditam evolvant & explicent, eaque bene utantur, & dignoſcant, quid in quaque re verum, falſumve ſit, honeſtum, aut turpe, eliciantque unum ex alio, nec errent in judicando; at ſenſim prudentes fiant, in quo & poſitam eſſe eloquentiam ſcriptum eſt a Tullio (*de Claris Orat.*) *dicere bene*, inquit, *nemo poteſt*, *niſi qui prudenter intelligit*. *Quare qui eloquentiæ veræ dat operam, dat prudentiæ*. Quo fit, ut optima ſint non longe quæſita, ſed naturalia: illa enim primo quidem aſpectu interdum placent minus eruditis; tum vero diſplicent: hæc ſemper placent, & omnibus, & ſunt iterum lecta gratiora.

XIII. Verum diſcipuli non modo adhortandi ſunt; ſed ſi quis maxime aptus videatur ad ſtudia liberalia, is pene obſecrandus eſt, ut eximio munere divinitus accepto utatur ad comparandam ſcientiam rerum præclariſſimarum. Atque huc pertinet, quod de Oratore ſcribit Tullius (*lib. 2. de Orat.*) *tentabo*, inquit, *quid deceat*, *quid voce*, *quid viribus*, *quid ſpiritu*, *quid lingua efficere poſſit*. *Si intelligam poſſe ad ſummos pervenire; non ſolum hortabor, ut elaboret, ſed etiam, ſi vir quoque mihi bonus videbitur, obſecrabo*. *Tantum ego in excellente Oratore, & eodem viro bono, pono eſſe ornamento universæ civitati*. Quæ & cadunt in eum, qui in arte qualibet & diſciplina non mediocriter poſſit excellere: poſſent autem multi, ſi elaborarent.

XIV. Ut vero qui ſtudiis dant operam, pergant alacriter, illud Fabii Quintiliani præceptum contemnendum minime eſt, non expedire nimiam in emendando ſeveritatem. (*Inſt. Orat. lib. 2. cap. 4.*) & orationis copiam inopia eſſe multo potiorem: ex illa enim decerpi deinceps poteſt, quod redundat. Atque id ex Tullio acceptum eſt (*lib. 2. de Orat.*) *volo enim*, inquit, *ſe efferat in adoleſcente fœcunditas*. *Nam facilius*, *ſicut in vitibus*, *revocantur ea*, *quæ ſeſe nimium profuderunt*, *quam ſi nihil valet materies*, *nova ſarmenta cultura excitantur*. *Ita volo eſſe in adoleſcente*, *unde aliquid amputem*. Hæ quidem viæ ſunt omnium opportuniſſimæ, & ſatis amœnæ, per quas adoleſcentes & pueri ad literarum ſtudia ducantur non inviti. Nam ſi dure & aſpere compellantur, ut illuc eant, quo nolunt, nihil proficient.

XV.

XV. Quamobrem rara debet eſſe acrior increpatio, verberationes autem rariſſimæ, quibus uti facilius quidem eſt doctori præſertim tetro, atque acerbo, qualis erat Orbilius, qui plagoſus dicitur ab Horatio [*Epiſt.* 1. *lib.*2.] ſed diſcentibus pernicioſum: oderunt enim id, quod non niſi amando licet conſequi, & videntur ſibi in carcere, aut triremi vitam agere; cum tamen veteres illi homines prudentiſſimi docendi locum, ludum potius, ut illuc allicerentur adoleſcentuli, quam alio nomine appellarint. Habet præterea verberatio aliquid humile, abjectum, ſervile, quo animi certe non eriguntur, ſed concidunt, ac ſæpe dureſcunt; nec emendatur natura, ſed continetur aliquandiu; tum vero erumpit majori impetu, cum nacta eſt libertatem. Iccirco ſic præcipit Quintilianus (*Inſtit. Orat. lib.*1. *cap.*4.) *Cædi vero diſcipulos, quamquam & receptum ſit, & Chryſippus non improbet, minime velim. Primum quia deforme & ſervile eſt, & certe quod convenit, ſi ætatem mutes, injuria. Deinde quod ſi cui eſt mens tam illiberalis, ut objurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut peſſima quæque mancipia, durabitur . . . . . Deinde cum parvulum verberibus coegeris, quid juveni facias, cui nec adhiberi poteſt hic metus, & majora diſcenda ſunt?* Quanto melius qui pueros ita tractat, ut faciant ipſi per ſe ſponte, quod debent. *Uter autem præceptor*, ait Seneca (*de Clem. lib.*1. *cap.*16.) *liberalibus ſtudiis dignior, qui excarnificat diſcipulos, ſi memoria illis non conſtiterit, aut ſi parum agilis in legendo oculus hæſerit: an qui monitionibus & verecundia emendare ac docere malit? . . . . Numquid æquum eſt, gravius homini, & durius imperari, quam imperatur animalibus mutis? Atqui equum non crebris verberibus exterret domandi peritus magiſter. Fiet enim formidoloſus & contumax, niſi eum tactu blandiente permulſeris.* (*vid. ib. alia*) Interdum tamen increpandus eſt puer & adoleſcens, & animadverſio adhibenda; ſed quando, quomodo, & qua de cauſa ſupra dixi (*lib.*5. *part.*3. *cap.*6.) cum de officio parentum in liberos præcepta ſunt quædam data: quæ autem in parentem, eadem & in magiſtrum cadunt. Eodem in loco dixi, quæ ſit oporteat ſeveritatis, indulgentiæque temperatio. Quod ſi quis eſt, cujus vitia influere in alios poſſint, is expellatur e ſchola, niſi ea omnino correxerit.

Digitized by Google

XVI. Poſtremo danda diſcipulis eſt remiſſio quædam, & animi relaxatio, ut Quintiliano eſt viſum: *danda eſt tamen omnibus*, inquit, [Orat. Inſt. lib.1. cap.4.] *aliqua remiſſio: non ſolum quia nulla res eſt, quæ perferre poſſit continuum laborem (atque ea quoque, quæ ſenſu & anima carent, ut ſervare vim ſuam poſſint, velut quiete alterna retenduntur) ſed quod ſtudium diſcendi voluntate, quæ cogi non poteſt, conſtat. Itaque & virium plus afferunt ad diſcendum renovati, ac recentes, & acriorem animum, qui fere neceſſitatibus repugnat*. Iccirco ludum in pueris non improbat Quintilianus: *eſt enim hoc*, inquit (*cit. loc.*) *ſignum alacritatis, neque illum triſtem, ſemperque demiſſum ſperare poſſim erectæ circa ſtudia mentis fore*. At modum poſtulat in oblectatione ac ludo, ac pergit dicere: *modus tamen ſit remiſſionibus, ne aut odium ſtudiorum faciant negatæ, aut otii conſuetudinem nimiæ*; quod non raro contingit; cum enim adoleſcentuli in oblectamenta propendeant natura, facile eorum immoderato quodam amore rapiuntur. Iccirco animadverti, nihil eſſe in collegiis, quod magis a literarum ſtudio animum alienum faciat, quam aliquanto diſſolutior, diuturniorque oblectatio: capiant quidem hanc juvenes, ſed cum modo, & intelligant, eam eſſe medicinam, non per ſe expetendam, ſed ad valetudinem & vires.

XVII. Quamquam non pauca dixi; mihi tamen videor in re, quæ latiſſime patet, ſumma tantum capita leviter attigiſſe. Doctor perlegat non obiter ac ſemel, ſed attente & ſæpe Fabium Quintilianum (*in libris Orat. Inſtit.*) Tullium (*in libris de Orat. maxime*) Sadoletum [*de recta liberorum Inſtit.*] Ludovicum Vives (*in libr. de recta docendi ratione*) Rollinum (*de ratione docendi ac ſtudendi præſertim lib.6. tom.4.*) Taliaſuccum (*in præfat. libri, qui inſcribitur*: Raccolta di proſe, e poeſie *ec. tom.1.*) Flaminii epiſtolas duas (*apud Taliaſuccum cit. loc. tom.2.*) & alios: etenim turpe eſſet, eum docendi artem non probe noſſe, qui ſe doctorem profiteatur. Sed plures ſunt, quos res nulla minus ſollicitos habere videatur, quam docendi ars & ratio: quiſque rem agit arbitratu ſuo, non judicio ſapientum; ſæpius male; at ſemper ſatis bene, ſi multitudine ſaltem adventantium ad officinam ſit aliquantum quæſtuoſa mercatura.

XVIII. Quod ſi doctor optime ſibi traditos adoleſcentes in literis erudite & ſciat, & velit, eaque in re diligens ſit, attentus, impiger, exiſtimabit profecto ad omnes muneris ſui partes implendas nihil amplius deſiderari; ſed errat tota via: id enim deeſt, quod ſummum eſt, quod primum, quod præcipuum: eſt enim prima præceptoris cura de moribus, probitateque eorum, quos aggrediatur ad erudiendum: quoniam eruditio, inſtitutioque huc referenda eſt, non ut pueri & adoleſcentes aut latine ſcribant, aut græce, vel ut poetæ ſint, rhetores, philoſophi, mathematici, ſed ut boni viri, atque utiles & familiæ, & civitati, & reipubliæ, aptique adminiſtrandis muneribus. Artes autem, diſciplinæque liberales adjumenta ſunt rerum gerendarum ac bene vivendi, non finis. Eſt autem inſipientis in inſtrumentis hærere, finem, extremumque negligere. Eam ob cauſam omnes, qui præcepta tradunt de præceptore deligendo, eum volunt eſſe in primis bonum, omnium virtutum genere præſtantem, cujus vita ſit quaſi ſpeculum probitatis. Quintilianus (*Inſtit. Orat. lib.2. cap.2.*) jubet, magiſtrorum præſertim inſpici mores oportere, *ut & teneriores animos ab injuria ſanctitas docentis cuſtodiat, & ferociores a licentia gravitas deterreat.* Plinius junior cum Corelliam Hiſpullam adhortatur nobilem feminam, ut filio præceptorem quærat (*lib.3. Epiſt. 3.*) *cujus ſcholæ ſeveritas, pudor in primis, caſtitas conſtet*; tum concludit: *trade eum præceptori, a quo mores primum, tum eloquentiam diſcat.* Atque alii ſentiunt eodem modo. Quapropter qui ſuum putant non eſſe de moribus, atque honeſtare diſcipulorum admodum ſtudioſe, diligenterque curare, ii quidem omnino ignari ſunt artis ſuæ ac muneris, quo funguntur, nec quorſum eo fungantur, vident.

XIX. Profecto debent auditorum animos ſcientia perpolire, ut dixi, ſed præſertim ornare virtutibus, quæ incipiant in molli animo radices agere, & ſtent, & confirmentur conſuetudine, compreſſis ſedatiſque motibus, quibus juniorum ætas maxime perturbatur, qualis eſt ſuperbia, iracundia, inſolentia, geſtiens lætitia, invidentia, atque alia generis ejuſdem. Horum plura enumerat Seneca (*de Vita Beata cap.10.*) *in primis inſolentiam, & nimiam æſtimationem ſui, tumoremque elatum ſupra cæteros, & amorem rerum ſuarum cæcum & im-*

Digitized by Google

improvidum; *delicias fluentes*, *ex minimis & puerilibus cauſis exultationem*; *jam dicacitatem & ſuperbiam contumeliis gaudentem*; *deſidiam*, *diſſolutionemque ſegnis animi obdormientis ſibi*. Imbuendi diſcipuli ſunt ab ineunte ætate ſtudiis honoris, & probitatis, & pietate, & Dei cultu; & danda opera, ut nihil magis, quam flagitium & peccatum pertimeſcendum putent; ex quo intelligant perniciem omnem permanare cum in animum, tum in corpus, eamdemque graviſſimam, & ſæpenumero ſempiternam. *Plurimus ei* (præceptori) ait Quintilianus [*Inſt. Orat. lib.* 2. *cap.* 2.] *de honeſto, & bono ſermo ſit* . . . *Ipſe aliquid*, *immo multa quotidie dicat*, *quæ ſecum audita referant*: ineſt enim in eo ſermone vis magna quædam. *Licet enim*, pergit Quintilianus (*cit. loc.*) *ſatis exemplorum ad imitandum ex lectione ſuppeditet*, *tamen viva illa*, *ut dicitur*, *vox alit plenius*, *præcipueque ejus præceptoris*, *quem diſcipuli* [*ſi modo recte ſunt inſtituti*] *& amant*, *& verentur*.

XX. At non modo neceſſe eſt ſæpe alumnos adhortari ad id ſequendum, quod honeſtum eſt, & fugiendum, quod turpe; quia ipſi per ſe imbecillitate naturæ, vique cupiditatum ab honeſto revocantur, & impelluntur ad vitia, ſed etiam quia muniendi ſunt contra perverſas non multitudinis tantum opiniones, erroreſque turbulentos & malos; verum & parentum, & domeſticorum, qui depravant ſuos & verbis, & factis. Nec vero illud volo, de religione & honeſtate præceptores loqui & ſæpius, & diu: hoc enim fortaſſe facerent nec grate, nec fructuoſe; ſed tamen eam in illis affectionem, atque ardens ſtudium oportet ita dominari, ut nihil libentius faciant, nihil ducant eſſe præſtantius, ac magis neceſſarium, quam auditorum mentes inflammare pietatis ac religionis ſtudio; iccircoque ad eam rem opportunitatem capiant idoneorum temporum.

XXI. Curent ſimiliter, ne alumni conſuetudine implicent ſeſe, ac familiaritate improborum; & cum ſæpe in eadem ſchola & pueri ſint, & adoleſcentes, & juvenes, videndum eſt, ut alii ab aliis ſecernantur propter periculum, quod ex propinquitate cujuſpiam malitioſi, & veteratoris imminet innocenti. Quo fit, præceptoris eſſe, diſcipulos admonere de ſequendis & fugiendis: *quo ſæpius monuerit*, ſcri-

bit Quintilianus (*Inſt. Orat. lib.2. cap.2.*) *hoc rarius caſtigabit*; item ejus eſt increpare, ſi oporteat, & punire aliquando, ſi quid peccatum eſt, præſertim accedente pervicacia (*vid. quæ dixi lib.3. part.3. cap.17., & lib.5. part.3. cap.6.*). Proderit eum, qui peccarit, interrogare more Socratico, ut errorem noſcat, & fateatur ſuum: V. C. ſi deliquit mentiendo, ex eo quærere, an ſit turpe mendacium? an dignum pœna? an qui præeſt, is diſſimulare poſſit impune? eoque adoleſcentem adducere interrogando, ut damnet ipſe ſe (*vid. Rollin. de ratione docendi, & diſcendi part.2. art.4.*)

XXII. At fruſtra doctor præcepta tradet bene vivendi, niſi ſingularem præſeferat vita & moribus honeſtatem, & non modo vitiis careat, ſed etiam ſuſpicione vitiorum: *ipſe nec habeat vitia*, ait Quintilianus (*cit. loc.*) *nec ferat*. Non elatus ſit, non ſordidus, non iracundus, non pertinax, non mollis & delicatus, & amans commoditatis ſuæ, non loquax, ſed modeſtus, liberalis, patiens, facilis, laborioſus, gravis (*quæ ſint præceptoris dotes ſupra dixi hoc lib.5. part.3 cap.6.*) nam ſenſim diſcipuli eum, quem ament & obſervent, imitantur: *vix autem dici poteſt*, ait Quintilianus (*Inſtit. Orat. lib.2. cap.2.*) *quanto libentius imitemur eos, quibus favemus*. Videor quidem ſatis multa & præclara a præceptore poſtulare; verum is meminerit, eſſe ſe parentum loco, ut dixi, & graviſſimæ provinciæ præfectum: agitur enim non de privata tantum utilitate, ſed publica, de fortunis, de fama, de dignitate, de ſalute plurimorum: nam parens quidem paucos habet liberos; at publicus præſertim doctor multos, quos erudiat; & cum aliis alii ſuccedant, progrediente ætate, tot ſunt, ut ex iis cohortes ac phalanges effici poſſint, quæ ſi dimicent pro honeſto, futurum eſt, ut virtutis regnum longe lateque propagetur, & ſedes ipſæ beatorum fortiſſimis militibus, & interdum etiam imperatoribus compleantur: nam eorum non pauci fortaſſe hominibus præbebunt ſe duces ad benefacta.

XXIII. Hæc quæ dixi, ſi doctor attente conſideret, non modo non faciet remiſſe, ſed erit (ſi lucrum tantum non ſpectet immemor honeſtatis) in ſuo munere diligentiſſimus: præcipueque in ea parte, quæ ad mores pertinet: unde & in literis ac liberalibus ſtudiis progreſſio pendet fe-

fere omnis: eſt enim intelligendum, adoleſcentem, qui bonus non ſit, eumdem nec doctum fore: obtundit quippe acumen mentis, & impedit judicium improbitas, & diſtrahit ad alia ſtudia, ad ludos, ad oblectationes, ad voluptates, ad rerum inanitatem; præterquamquod intercludit divinæ beneficentiæ viam, per quam cæleſtis quidam ſplendor affulget animis ad facilem cognitionem, ſcientiamque rerum. Quamobrem Maturinus Corderius (*de corrupti ſermonis emendatione in epiſtola ad ſtudioſam juventutem*) dum quærit, cur adoleſcentes honeſtiſſimis addicti ſtudiis, neque latine, neque erudite diſcant loqui, neque proficiant in literis, præcipuas hujus incommodi ſcribit eſſe cauſas duas; alteram præceptorum incuriam, ac in bene docendo negligentiam: alteram religionis chriſtianæ, & ipſius Chriſti quamdam pene contemptionem. De prima illa ſatis paullo ante dictum eſt. Quod ad ſecundam pertinet; pudet, inquit, doctores de pietate, de religione, de Chriſto in adoleſcentum conventu cœtuque diſputare, forte ne irrideantur, ne concionales homines habeantur. At vehementer errant: pietatem enim, vitæque probitatem ſequitur in liberalibus ſtudiis ac diſciplinis magna progreſſio: *vis*, ait Corderius, *facillime docere? incipe a moribus: auſpicare a Deo & rebus cæleſtibus. Doce pueros, divino tamen auxilio, non viribus tuis fretus, doce, inquam, pueros Chriſtum diligere; Chriſtum ſpirare; Chriſtum in ore habere. Doce Deo fidere; omnia facere ad Dei laudem; omnia ad gloriam Dei referre. Doce pios eſſe, & manſuetos, & obſequentes, & benevolos. Tam ſæpe inſtilla, immitte, ingere nomen Jeſu Chriſti; tam aſſidue inculca verbum Dei, ut ſaltem aliquam ſcintillam divini amoris concipiant. Summitte virgarum faſces, adhibe pietatis faſces & igniculos. Cur toties repetis artificialia ſuadendi, ac diſſuadendi præcepta, ut mentiri, ut fallere, ut ſpoliare doceas, & nunquam ſuades amandum eſſe Deum & proximum?* Auctor ſum præceptoribus, ut epiſtolam illam perlegant; puto enim fore, ut aliquid ex ea utilitatis capiant & ad gubernandam, & ad erudiendam juventutem. Nec vero Corderius tantum homo chriſtianus, ſed & Plinius vidit ſcientiarum fundamentum eſſe probitatem: Corelliam enim, de qua ſupra dixi, hortatur, ut filium ſuum tradat præceptori (*lib.* 3. *Epiſt.* 3.) a

quo

Digitized by Google

quo mores primum, mox eloquentiam diſcat, *quæ male*, inquit, *ſine moribus diſcitur*. Quare & Quintilianus ſcribit (*lib.2. Inſtit. Orat. cap.2.*) *ſi quis eſt, qui flagitia manifeſta in deligendo filii præceptore non evitet, jam hinc ſciat, cætera quoque, quæ ad utilitatem juventutis componere conamur, eſſe ſibi, hac parte omiſſa, ſupervacanea*: nam cum ab improbo præceptore non poſſint auditores bonis moribus inſtitui, nec diſciplinas poſſunt diſcere. Ex quo conſequens eſt, ut ſæpe dixi, doctoris præcipuam dotem eſſe ſanctitatem; qua iccirco omni ſtudio eniti debet, ut animum ſuum ornet & locupletet, idque affluentius in dies: nihil vero de induſtria ſua ſibi polliceatur, nihil de labore, nihil de prudentia, ſed omnia expectet a beneficentiſſimo Deo; in quem item id referat, quod fauſtum, fortunatumque acciderit, nec quicquam vindicet, atque adſcribat ſibi: nihil eſt enim, quod Deo magis inviſum, atque odioſum ſit, quam animi elatio. Nec vero deſperet, ac animum abjiciat, ſi videt, irritos aliquando, & inanes eſſe conatus ſuos, ſed pergat impiger: nam præterquamquod ſemper ex labore fructum capit, facile poteſt contingere, ut tandem, favente Deo, id conſequatur, quod velit [*vid. Rollinum lib.6. de ratione docendi, & diſcendi art.13. tom.4.*] Sed integer liber legatur velim a præceptore, in quem etiam ea cadunt, quæ ſupra diximus de parente. Nunc ad diſcipulos venio.

XXIV. Hi quidem ſi ſcirent, ſecumque ipſi reputarent, quot a magiſtris labores exantlandi ſint, quot incommoda toleranda, quot devorandæ moleſtiæ; quale ſit beneficium, quod ab eo accipiunt, a quo inſtituuntur pietate & literis, profecto egerent nemine, a quo admonerentur officii. At ſæpe res ita cadit, ut eximium & ſingulare beneficium, quod accipiunt a magiſtro ſuo, ducant maleficii loco: cum enim & laborem, & literarum ſtudia oderint, conſequens eſt, ut & oderint eum, a quo docentur, atque ad contentionem & diligentiam, a qua alieni ſunt, excitantur.

XXV. Rurſus cum malint obtemperare cupiditati, quam rationi, qui eos ab errore revocat, doctorem, moderatoremque inviſum & ſuſpectum habent, & quaſi adverſarium: ut æger, qui ſit idem furioſus & demens, medicum aut ſecantem, aut amara pocula præſcribentem ne videre

qui-

quidem poteſt. Hoc autem ita a recta ratione alienum eſt, ut inſipientis eſſe videatur: cum enim bene vivere præſtantius ſit & melius, quam vivere; & bene uti, quam præditum eſſe ratione; illud alterum doctoribus & magiſtris nos debere intelligendum eſt, qui doctrina mentem ornant, & bonis moribus voluntatem; & cum in tabulam incidant rudem atque informem, tanta eam, tamque illuſtri colorum varietate depingunt, ut nihil veteris formæ uſquam appareat, ſed quicquid eſt, id ornatum, decorum ac venuſtum ſit.

XXVI. Quo efficitur, nos optimo ac benevolo præceptori non minus debere, quam parentibus, atque etiam plus aliquando. Quid enim prodeſt vivere, niſi recte honeſteque vivas? quid proficit mens & ratio, niſi eadem recta eſt, culta, perpolita? Itaque Quintilianus viſus eſt, paucis verbis omnia diſcipulorum officia complecti in doctorem ſuum: *plura de Officiis docentium locutus*, inquit (*Inſtit. Orat. lib.2. cap.10.*) *diſcipulos id unum interim moneo, ut præceptores ſuos non minus, quam ipſa ſtudia ament, & parentes eſſe non quidem corporum, ſed mentium credant.* Quo fit, oportere diſcipulos eo eſſe in præceptorem animo, quo bene inſtitutus filius in patrem, & fere eadem ei, quæ debentur parentibus, officia præſtare, hoc eſt, amorem, obedientiam & obſervantiam. Ex amore autem reliqua conſequuntur.

XXVII. Certe vis ſumma eſt beneficiorum ad conciliandam charitatem: atqui ipſa eadem, quibus tantopere adoleſcentes offenduntur propter imprudentiam, atque inſcitiam rerum, beneficia ſunt, & quidem magna; hoc eſt, admonitio, objurgatio, reprehenſio, animadverſio gravior, & pœna, quæ adhibentur ad ſanandum animi morbum graviorem, continendamque perturbationum temeritatem, & repellendam ignaviam, a qua ſumma quædam inopia naſcitur in omni vita, ut & ſentiunt ii, qui ætatis beneficio prudentiam adepti ſunt: *tandiu illos odio habemus*, ſcribit Seneca (*lib.6. de Benef. cap.5.*) *quandiu graves judicamus, & quandiu beneficia illorum non intelligimus. Cum jam ætas aliquid prudentiæ collegit, & apparere cœpit, propter illa ipſa eos amari a nobis debere, propter quæ non amabantur, admonitiones, ſeveritatem, & inconſultæ adoleſcentiæ inconſultam cuſtodiam,* ra-

rapiuntur nobis. Quod ſi diſcipuli præceptorem amant, ſtudia ſimiliter literarum ament, neceſſe eſt: alterum enim ſine altero non conſiſtit; cum ea ſtudia ſummopere cordi ſint præceptori: quamobrem amor in docentem faciet, ut elaborent in diſcendo: *multum hæc pietas*, ait Quintilianus (*Inſtit. Orat. lib.2. cap.10.*) *confert ſtudio. Nam ita & libenter audient, & dicto credent, & eſſe ſimiles concupiſcent. In ipſos denique cœtus ſcholarum læti & alacres convenient: emendati non iraſcentur; laudati gaudebunt; ut ſint chariſſimi, ſtudio merebuntur*. Tandem nihil prætermittent, quod ei gratum ſciant eſſe, quem diligunt; quorum unum eſt docilitas: *nam, ut illorum* [magiſtrorum] *officium eſt docere*, pergit Quintilianus (*cit. loc.*) *ſic horum præbere ſe dociles. Alioquin neutrum ſine altero ſufficit. Et ſicut . . . . fruſtra ſparſeris ſemina, niſi illa præmollitus foverit ſulcus: ita eloquentia coaleſcere nequit, niſi ſociata tradentis, accipientiſque concordia*. In eo autem adoleſcens, ſi præceptorem amat ſuum, in primis elaborabit, ut ſit bonus, ut innocens, ut honeſtus: quid enim magis placere probo ac ſapienti doctori queat, quam morum probitas & innocentia? hæc enim, ut dos eſt præcipua magiſtri, ita & diſcipuli; ſine qua reliquæ aut nullæ ſunt, aut cito evaneſcunt, aut certe plus habent incommodi, quam emolumenti. Proponant ergo adoleſcentes ſibi optimos ad imitandum (*vid. Rollinum de ratione docendi, & diſcendi lib.6. part.2. cap.5. tom.4. ubi de Filio Quintiliani, ac de SS. Baſilio & Gregorio Nazianzeno.*)

XXVIII. Ex ea in præceptorem charitate naſcitur, ut dixi, obedientia: quis enim non libenter pareat ei, quem amat? & a quo intelligit amari ſe, & maximis beneficiis affici? Hæc autem obedientia cernitur tum in literariis exercitationibus, tum præſertim in moribus. Quo refertur in ſchola taciturnitas & modeſtia, animique applicatio adiunctioque ad ea, quæ doctor aut præſcribit, aut diſputat, exponitve interpretando. His muneris ſui partibus ſi diſcipulus ſatisfaciat, nullus eſt aut objurgationibus, aut minis, aut verberationi locus, a quibus honeſtus quiſque adoleſcens abhorret: eſt enim in proverbio, Phryges plagis emendari, & aſinorum eſſe cogi: quamobrem & conſuluit quieti & dignitati ſuæ: nam & diligitur & laudatur, nec moleſtiam

creat

Digitized by Google

creat doctori ſuo, qui certe, ſi bene animatus eſt, ſi humanus, ſi comis, ut eſſe debet, ad reprehendendum & puniendum venit invitus, ut medicus, qui ferrum & ignem non adhibet ægroto, niſi impulſus neceſſitate.

XXIX. Tum ſequitur obſervantia in præceptorem, ac veneratio, qua fit ut diſcipulus eum magni faciat, & honoris ſignificatione, quæ in verbis & factis poſita eſt, proſequatur, laudet abſentem, præſentem vereatur, & ea fere faciat, quæ præſcribit cultus in parentes, & reverentia; qua de re ſupra dixi (*lib.5. part.3 cap.6.*)

XXX. Ab his autem officiis disjungi non poteſt gratus animus in doctorem: nam tanti beneficii memoria debet eſſe ſempiterna. At non modo habenda gratia eſt, ſed & referenda, quo tandem modo poſſis [*de grato animo, ſeu gratia dixi lib.3. part.3. cap.16.*] *Quis eſt noſtrum*, ſcribit Tullius [*Orat. pro Plancio.*] *liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magiſtri ſui, atque doctores, cui non locus ille mutus, ubi ipſe altus, aut doctus eſt, cum grata recordatione in mente verſetur?* At non pauci ſunt, qui e ſchola diſcedunt, & non modo gratiam nullam referunt præceptori, ſed ne agunt quidem gratias, nec eum inviſunt unquam honoris cauſa, immo vix ſalutant, præſertim ſi ſuperiores ſe putent eſſe propter divitias, aut nobilitatem, aut ſi olim fuerint grati parum: tunc enim a præceptore declinant, ut debitores ſolent ab illo, cui debent. Secus vero qui bene inſtituti ſunt, qui humani, qui urbani: hi enim ſaltem gratiam habent in omne poſterum tempus. Certe Plato gratiſſimus in Socratem fuit, & M. Antoninus imperator in præceptores ſuos, quodque optimos nactus eſſet, id Deo referebat acceptum (*Eorum, quæ ad ſeipſum lib.1. num.17.*)

Digitized by Google

CAPUT X.

De Officio Principis in Populos, ac viciſſim.

I. EQuidem velim de principis officio eum ſcribere, qui diu præclare, & magna cum laude geſſerit principatum: ſentio enim vix poſſe aliquem iis de rebus præcepta tradere, in quibus non diu multumque verſatus ſit, quique non plura didicerit experiundo. Icciro ſi de oratore Tullius, de arte poetica Horatius ſcripſit, uterque id ſibi ſumpſit, quod poſſet ſuo jure, & certe optimo vindicare. Verum, ut ut eſt, ſuſcepti inſtituti ratio poſtulat, ut & de principis officio pauca dicam, ne hic locus omnino prætermiſſus eſſe videatur; cum præſertim eorum, quæ ad rempublicam bene gerendam univerſe pertinent, magiſtra ſit ipſa ratio ſine adjutrice experientia, quæ certe neceſſaria eſt ad multa, quæ ſæpe accidunt in tam variis imperii rebus adminiſtrandis. Utinam extarent libri, quos Tullius ſcripſerat de republica: neque enim dubitandum eſt, quin is & propter ſummam ſapientiam, & divinum quoddam ingenium, prudentiamque ſingularem, quam uſu diuturno in republica principe orbis terrarum, & maximis rebus geſtis, & muneribus magiſtratuum ſibi pararat, optimam præmonſtrarit viam ac rationem, qua populi præclariſſime regi poſſent. Sed fruſtra id quærimus, quod jampridem præreptum nobis eſt, & conſumptum vetuſtate. Nihilominus ſi velint principes ea præcepta ſervare, quæ a ſapientibus tradita ſunt, quæque ratio ipſa, & natura præſcribit, certe populo præerunt cum dignitate.

II. In primis vero regendi artem probe ſciant neceſſe eſt: ſi enim turpe eſt, qui grammaticum agit, qui rhetorem, qui architectum, eum imperitum eſſe, ac rudem harum diſciplinarum; quanto magis ſi populis velit imperare is, qui imperandi artem nunquam didicit omnium difficillimam, variam, multiplicem, periculoſam, in qua qui errat & labitur, & ſibi vehementer nocet, & univerſæ reipublicæ?

Digitized by Google

cæ? Hæc autem ars doctrina & prudentia maxime continetur. Quamobrem a principe opera danda eſt, ut excolat animum ſuum, iiſque ſcientiis exornet, quæ ad rempublicam gubernandam valent, quales ſunt rhetorica, geographia, philoſophia, politica, ethica, ac præſertim hiſtoria, quæ vitæ magiſtra eſt, & multa proponit exempla, quæ imitari principem decet, aut cavere.

III. Non ſunt tamen hiſtoriæ legendæ omnes ſine delectu: quædam enim poſſent in animum inſinuare fraudes, dolos, calliditatem, injuſtitiam. Certe quæ a Cornelio Tacito ſcripta eſt, non vacat periculo. Potius eos libros legere utile eſt, qui mores & facta narrant principum clariſſimorum; hoc eſt, qui propter egregias virtutes, lenitatem imperii, ac in populum benevolentiam in celebri fama verſantur; qualis fuit Titus, Trajanus, Probus, Alexander Severus, uterque Antoninus, Conſtantinus, qui Magnus eſt dictus, Theodoſius, & alii. Optima quidem eſt Xenophontis Cyropedia, in qua apparet Cyri virtus bellica, ſapientia, animi magnitudo, beneficentia, frugalitas, maxime amor quidam in populos eximius & ſingularis, & viciſſim populi amor in Cyrum, quem ille non ut regem, ſed ut patrem habere videretur. Plinius item Trajani dotes ita deſcripſit, ac virtutes imperatorias, ut qui eas æmulari velit, viam ſibi queat ad veram gloriam ſternere.

IV. Præter hiſtoriam extant etiam libri, a quibus in arte imperandi princeps erudiatur, de regno, de imperio, de republica: hi legendi ſunt, quippequi loquuntur libere, nec majeſtatem verentur; & cum virtutes eorum, qui præſunt, tum vitia in apertam lucem proferunt, nec ulla eſt ſuſpicio contumeliæ: neque enim in eum ſcripti ſunt, a quo leguntur. Contra niſi principes a libris moneantur de officio, fere admonitorem habent neminem: *quos omnium maxime*, ait Iſocrates (*ad Nicoclem*) *inſtitui conveniebat, hi, mox ſuſcepto principatu, ſine ullis monitoribus ætatem exigunt. Perpaucis enim ad eos patet aditus: qui vero familiariter cum eis vivunt, hi ad gratiam & dicunt, & faciunt omnia*. Porro cum philoſophi, cum juriſconſulti, cum mathematici, aliique manibus libros terant de iis rebus ſcriptos, quarum ſe ſtudioſos profitentur, non video, cur & prin-

cipes non oporteat in librorum ſtudio verſari, qui præcepta tradunt de principatu, quem bene gerere ſummæ ſapientiæ eſt non a natura tantum acceptæ, ſed & induſtria & labore partæ. Alphonſum Celtiberorum regem (vulgo *Aragona*) accepimus cum libris non procul a capite dormire ſolitum, eoſque, cum excitaretur e ſomno, accenſo lumine lectitare. Ab his quid ſibi conveniret, quid civibus, ajebat ſe diſcere (*Antonius Panormita de dictis & factis Alphonſi lib.* 4. *num.*31.) Idem apertum librum pro inſigni geſtavit, quod bonarum artium cognitionem maxime rebus convenire intelligeret, quæ videlicet ex librorum lectione perdiſceretur. Iccirco Platonem in primis laudare ſolitus erat, quod is reges diceret aut literatos eſſe oportere, aut ſtudioſos ac diligentes literatorum (*Panormita cit. loc. lib* 2. *num.*14.) Rogatus idem quos haberet conſiliarios, libros, reſpondit, quorum fidele conſilium eſt.

V. Verum ut hiſtoriarum, ita aliorum librorum ſunt delectus habendi: quidam enim eas artes docent, quæ non modo a principis dignitate, ſed cujuſque etiam boni viri alienæ ſunt, idque ab honeſto diſtrahunt, quod utile videatur (hoc autem fieri nullo modo poteſt) nec religionis rationem habent, & pietatis, & cultus adverſus Deum, nec communis utilitatis; in principem ea jura transferunt, quæ ſunt aliena, & interdum ſacra. Ex quo naſcitur non robur, & firmamentum, ſed everſio rerumpublicarum. In hoc genere conſtat eſſe ſcripta Nicolai Machiavellii. Sed alia ſunt non pauca eorum præſertim, qui cum a vera religione defecerint, de rebus magnis diſputant arbitratu ſuo & temere, & ſanctiſſimas leges ac majorum inſtituta pervertunt. Quamobrem bona mente opus eſt, & acri judicio, ut verum a falſo, honeſtum a turpi ſecerni poſſit, & nihil probetur, quod rationi non ſit, ac religioni omnino conſentaneum. Extant & multa, & præclara præcepta data principi in ſacris libris. Hæc vero accurate colligit ad principes erudiendos natus Cl. Boſſuetius [*in Opere, quod inſcribitur*: Politica ex ipſis ſcripturarum verbis eruta].

VI. Valet etiam plurimum ad ſcientiam parandam familiaritate uti, & conſuetudine ſapientum, quorum ſermonibus princeps, doctrinaque ſenſim fiat eruditior. *Itaque*, ait Iſo-

Iſocrates (*ad Nicoclem*) *tum domeſticorum prudentiſſimis familiariter utere, tum exterorum, quoſcumque poteris, accerſito: tum celebrium & poetarum & Sophiſtarum omnium periculum tibi eſſe faciendum perſuaſum habebo: ac illorum quidem auditor eſto; horum autem diſcipulus: itaque te para, ut & minorum ſis judex, & majorum æmulator. Nam his exercitationibus celerrime talis fies, qualem eſſe oportere nos conſtituimus eum, qui recte ſit regno præfuturus, & urbem ita, ut decet, gubernaturus.* Profecto priſci illi principes ac reges eruditiſſimis viris ſummopere delectati ſunt, fueruntque cum iis ſumma benevolentia & amicitia, victus etiam ſocietate conjuncti. Delectatus eſt Crœſus Lydorum rex opulentiſſimus Anacharſi, quem accerſivit ex Græcia, Dionyſius Syracuſarum quamvis ad ſævitiam natus Ariſtippo Cyrenaico, Ptolemæus Soter Ægyptiorum rex Stilpone Megarenſi; atque eodem modo Menedemo Eretrienſi, & Bione Boriſthenite Antigonus, Attalus rex Lycone Troadenſi, Antiochus Demetrio Byzantio, Mitridates Metodoro Sceptio (*Patritius de Regno lib.* 1. *tit.* 5.) ne dicam de aliis. Sed nihil attinet remotiſſimam inveſtigare antiquitatem; habemus enim exempla nobis propiora. Laurentii Medicei, ac ejus Filii Leonis X. Pont. Maximi ſingularis fuit in literatos amor, & egregia beneficentia, ut & Ludovici XIV. Galliarum regis, cui Magni nomen additum eſt, & Alphonſi, de quo paullo ante dixi. Hic cum eſſet Meſſanæ, & poſt cœnam Virgilius legeretur, admitti volebat pueros vel infimo loco natos, qui modo diſcendi animo accederent, excluſis ea hora vel ampliſſimis viris, qui legendi, audiendique cauſa non adeſſent. Abſoluta lectione, ſeu poma, ſeu bellaria rex manibus ſuis præceptori dabat [*Antonius Panormita de dict. & fact. Alphonſi lib.* 4. *num.* 18.] Hæc regia affabilitas eſt, & animi ad literas magna propenſio. Nec deſunt noſtra ætate reges ac principes, qui doctos viros perhumaniter complectuntur, ac liberaliter, munificeque tractant.

VII. Itaque audiendi non ſunt ii, qui dicunt, principis non eſſe literarum ſtudiis occupari: eos tam multis negociis, curiſque diſtineri, ut nullum tempus reliquum videatur eſſe, quo ſcientiis vacent. Immo cum tantæ adminiſtrationi præpoſiti ſint, egent præſidio & lumine literarum, ut videant,

quæ

quæ ſit optima rerum gerendarum ratio, & gradum ſuum teneant cum dignitate. Summus ille imperator Lucullus *majori ſtudio cum omnium literarum generi*, ut ſcribit Tullius (*Acad. qq. lib.2.*) *tum philoſophiæ deditus fuit, quam, qui illum ignorabant, arbitrabantur. Nec vero ineunte ætate ſolum, ſed & pro quæſtore aliquot annos, & in ipſo bello, in quo ita magna rei militaris eſſe occupatio ſolet, ut non multum imperatori ſub ipſis pellibus ocii relinquatur. Cum autem e philoſophis ingenio, ſcientiaque putaretur Antiochus Philonis auditor excellere, eum ſecum & quæſtor habuit, & poſt aliquot annos imperator. . . . . Delectabatur autem mirifice lectione librorum, de quibus audiebat.* Julii Cæſaris aurei commentarii in ipſo bello confecti ſatis indicant, conveniant ne literæ, an non conveniant etiam imperatori, ac viro principi. Alphonſus rex, de quo ante dixi, cum ex eo quæreretur, armis ne, an libris majorem deberet gratiam, reſpondit, ex libris arma ſe, & armorum jura didiciſſe (*Anton. Panorm. de dict., & fact. Alphonſi lib.4. num.19.*) Adde, quod nihil magis principis auctoritati, gloriæque conducit, quam literas amare, & literatos viros habere chariſſimos, qui ſcriptis eum ſuis tradunt etiam immortalitati, ac memoriæ hominum ſempiternæ. Magnus itaque imperio ex doctrina ſplendor accedit; quemadmodum & ex imperio doctrinæ: ex quo extat illud Julii II. Pontif. Max. ſcite dictum (*apud Stephanum Guatium dial. de regis prudentia, ac doctrina*) literas in plebejo homine argentum eſſe, in nobili aurum, at gemmas in eo, qui gerat principatum. Huic autem ſcientiam maxime convenire conſtat etiam ex eo, quod ex rectoris ignorantia vix dici poteſt, quæ mala & incommoda permanent in rempublicam: etenim vel non utitur alieno conſilio, & propter ignorantiam fere faciet imprudenter & male, aut ab alieno arbitrio pendebit, ut puer, & facile hac principis infantia perverſe abutentur adminiſtri; ex quo cum ejus dedecus, tum populorum pernicies conſequatur.

VIII. Oportet præterea rectorem civitatum præditum eſſe prudentia. Quæ ad hanc virtutem pertinent, ea ſupra expoſui [*lib.3. part.2. fere integra.*] Addo autem hoc loco, poſſe etiam prudentem effici principem, ſi faciles ad eum, & quotidiani patent aditus privatorum: nam propter varieta-

ta-

Digitized by Google

tatem & perſonarum, & rerum, ac multiplices eventus, & querimonias, & diſcrepantem cujuſque indolem mens acuitur, excitaturque ita ſolertia; ut princeps promptior ſit cum ad intelligendum, tum ad providendum: nec enim dubium eſt, quin & a plebejis hominibus poſſit multa diſcere, etſi a doctis, cum quibus verſetur, multo etiam plura. Debet item princeps certior fieri, quid geratur in alienis terris præſertim finitimis, ex quo & eruditi, & prudentis nomen conſequetur. Similiter ſi plurimis negociis vacet, futurum eſt, ut ſenſim uſu, atque exercitatione floreat laude prudentiæ; modo tamen ſit ad eam natura comparatus quodammodo: prudentia enim mentis quoddam acumen poſtulat temperatum ac ſolers: *rerum gerendarum exercitatione*, ait Iſocrates [*ad Nicoclem*] *conſequeris, ut res dextre adminiſtres. Cogita quæ res & gerantur, & ferantur tum a privatis hominibus, tum a principibus. Nam ſi præteritorum recordaris, de futuris etiam rectius deliberabis.*

IX. Verum princeps in primis ut aliis gradu antecellit, ita debet eminere virtute; ut alio in loco dixi (*lib.3. part.2. cap.6*) *Te dare operam decet*, ſcribit Iſocrates (*Orat. ad Nicoclem*) *ut quantum honoribus aliis antecellis, tantum etiam virtutibus eos ſuperes*: nam abſurdum videri poteſt, ut ſtolidiores prudentioribus, ita deteriores præſtantioribus dominari. Prima autem virtus, quæ ineſſe debet in principe eſt religio, qua is ſancte colat & veneretur Deum, atque ei ſubeſſe ſe intelligat ut moderatori, ut domino, ut vindici etiam, ſi quid peccarit. Deum vero in primis colet benefactis: *id pulcherrimum ſacrificium*, ait Iſocrates (*ad Nicoclem*) *& cultum eſſe maximum exiſtima, ſi ipſe te quam optimum & juſtiſſimum præbeas*. Quid vero præſcribat religio, ſupra dixi (*lib.3. part.3. cap.7. & 8.*)

X. Juſtitia item omnino eſt principi neceſſaria: iccirco enim præfectus eſt communitati, ut ſuum cuique tribuat, nec ſinat quempiam improborum vi, aut opibus, aut potentia opprimi, vel dolis ac fraudibus circumveniri; iccircoque cum tenues velit, tum potentiores ac nobiles æque puniri, ut jure conſtitutum eſt, & delicti ratio poſtulat; & qui funguntur munere magiſtratus, operam det, & videat, ut ii optimi ſint juſtitiæ vindices & adminiſtri (*de Juſtitia*

di-

Digitized by Google

dixi libr.3. part.3. primis 5. capitibus) Ut vero peccatis ſupplicia, ita recte factis ac meritis præſertim in rempublicam, præmia debentur. His duobus princeps & malos continet in officio, & bonos ad virtutem incendit, ſervatque publicam tranquillitatem.

XI. Sunt etiam virtutes principis propriæ magnificentia, magnanimitas, fortitudo, conſtantia, fides, largitas, beneficentia. *Jam beneficentia reges conſtituit, quod eſt bonorum virorum officium.* (*Ariſt. Polit. lib.3. cap.11.*) Adde & frugalitatem, quamquam hæc eſſe videatur privatorum; quamobrem eam Tullius laudat in rege Dejotaro: *omnes ſunt in illo*, ait (*pro Dejotaro*) *regiæ virtutes, quod te, Cæſar, ignorare non arbitror: ſed præcipue ſingularis & admiranda frugalitas; etſi hoc verbo ſcio laudari reges non ſolere. Frugi hominem dici non multum habet laudis in rege: fortem, juſtum, ſeverum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem; hæ ſunt regiæ laudes; illa privata eſt. Ut volet quiſque accipiat: ego tamen frugalitatem, ideſt, modeſtiam & temperantiam virtutem eſſe maximam judico.* Tum princeps ſummopere commendatur affabilitate: neque enim quicquam detrahit majeſtati ſuæ, ſi amabiliter, ſi comiter, ſi humaniter agat cum hominibus etiam infimis & obſcuris; immo tunc regnat in animis, quod & jucundum, & maxime regium eſt, & paucis datum. Nihil dico de veritatis ſtudio, de fide, de hoſpitalitate, de clementia, aliiſque virtutibus; quæ omnes ita eximiæ & præſtantes eſſe debent, ut cum principis gradu & dignitate conſentiant; atque ita ſplendeant in quovis & dicto & facto, in geſtu, in motu, in habitu, cultuque corporis, ut populis demonſtrent viam ad benefacta. Equidem has virtutes non expono fuſius hoc loco: quicquid enim ad eas pertinet, ſatis arbitror explicatum libro tertio.

XII. Quo efficitur, oportere principem vitiis & perturbationibus vacare: niſi enim ſibi imperet, recte aliis imperare nullo modo poteſt; nec præeſſe, ſi turpi ſervit cupiditati. Præſertim vero cum turpiſſima eſt avaritia, tum & principi, & communitati exitialis maxime. Principi quidem: nam cum populo odioſus fiat, miſeram vitam degat, neceſſe eſt, inhonoratam, ingloriam, plenam ſuſpicionis, metus, periculorum. Communitati etiam: quoniam ſi

prin-

principis mentem occupet avaritia, nihil eſt tam indignum, tam ſævum, tam impium, tam flagitioſum, quod ei non ſuadeat, modo utile videatur. Tunc probantur eorum conſilia, qui novas artes excogitarint ad imponenda vectigalia, exaggerandumque ærarium accommodatas; quamquam res privatorum funditus evertantur, exhaurianturque facultates, opeſque civitatum. Inter perturbationes certe indigna principis gravitate eſt iracundia, & voluptatum libido, quæ mollis & effeminati animi eſt, non fortis & excelſi, qualem principem decet. Sed alii omnes turbidi motus comprimendi ſunt, de quibus dixi libro ſuperiore. Quo fit, ut a principe maxime ſit eorum familiaritas fugienda, qui aliquo vitio contaminantur: quoniam ſuſpicari licet, eum talem eſſe, quales illi ſunt, quorum conſuetudine delectatur: hoc autem ab ejus, qui reipublicæ præeſt, dignitate & fama alienum eſt.

XIII. Quod ſi in rectore populorum ſint ornamenta doctrinæ, prudentiæ, probitatis, iccircoque vacuitas a vitiis, animique perturbationibus, reſpublica beata futura eſt tum propter optimam gubernationem, tum propter propagationem virtutis; quippequæ a capite in omnia membra influit, ac longe, lateque permanat; ut contra ex male affecto capite ſingula membra morbum ſuſcipiunt & inquinantur, & lues latiſſime funditur in regiones & regna, & in remotiſſimam poſteritatem. Profecto a bono principe, & prudentia & doctrina prædito nihil aliud expectari poteſt, niſi quod juſtum ſit, quod humanum, quod benignum, quod utile civitati: is enim intelligit, quorſum ſint imperatores conſtituti, nec vult ab eo fine diſcedere, quem iis a natura & ratione propoſitum ſciat eſſe: quoniam inter omnes convenit, pares inter ſe homines eſſe, nec alios aliis ſubeſſe natura, ut dixi; iccircoque reges & magiſtratus electos conſenſione populorum tuendæ juſtitiæ & publicæ tranquillitatis, & ſalutis gratia. Itaque qui ſuſcipit, geritque magiſtratum, & regnum adminiſtrat ad commoditatem, ad gloriam, ad voluptatem ſuam, is non princeps, non rex, non imperator judicandus eſt, ſed tyrannus, qui perverſe abutitur data poteſtate, nec manet conditione, atque pacto, quo ſaltem tacite obſtrinxit ſeſe, cum ſuſcepit imperium.

Digitized by Google

XIV. Profecto eum finem qui ſpectat, is ægre ferat neceſſe eſt, ſe præfici communitati: nam graviſſimæ curæ & moleſtiæ, aſſidui labores, pericula & multa & magna ſequuntur quemlibet principatum, ita certe ut qui explere partes velit muneris ſui, is dies, noctesque ſollicitetur, nec quiete unquam poſſit vivere: cum enim magnum quoddam ſit onus vel uni familiæ optime providere, quanto magis univerſæ reipublicæ? in qua propter multitudinem & hominum & negociorum, propter incertos eventus belli & pacis, propter iniquitatem temporum, & fraudes, & dolos, & injuſtitias tam multa accidunt, ut divina quadam mente opus ſit, divino conſilio, animique actione, atque agitatione ſempiterna. Quamobrem mihi videtur, qui recte imperet, eum non imperare, at ſervire; ex quo imperium ſplendida ſervitus nominatur, ut ſupra dixi (*lib.*3. *part.*4. *cap* 6.) quis autem ſponte ſeſe conjiciat in ſervitutem, cum nihil ſit in terris libertate præſtantius? Eam ob cauſam ajebat Tiberius (*apud Cornelium Tacitum lib.*1. *Annal. p.*6. *edit. Pariſ. Lipſianæ*) ſe in partem imperii ab Auguſto vocatum didiciſſe experiundo, quam arduum ſit, quam obnoxium temeritati fortunæ, gubernandi onus ſuſtinere; increpavitque amicos [hi enim eum adhortabantur ad capeſſendam rempublicam] ut ignaros, *quanta bellua eſſet imperium* (*apud Suetonium in Tiberio cap.* 24.) Tandem quaſi coactus cum miſeram & gravem ſibi imponi ſervitutem quereretur, ſuſcepit imperium; nec tamen aliter, quam ob ſpem fore, ut illud deponeret aliquando (*apud Suetonium cit. loc.*) An hæc ſimulate dicta ſint a Tiberio, non ſatis ſcio; at non dubito, quæ dixerit, ea eſſe veriſſima.

XV. Nec vero princeps ſatis poteſt & conſiliariis, & adminiſtris, & familiaribus, & vicariis ſuis fidere: eſt enim hominum ingenium verſutum atque obſtruſum maxime. *Sed ego*, ait Aurelianus (*Flavius Vopiſcus in Aureliano apud Salmaſium*) *a Patre meo audivi, Diocletianum principem jam privatum dixiſſe, nihil eſſe difficilius, quam bene imperare. Colligunt ſe quatuor, vel quinque, atque unum conſilium ad decipiendum imperatorem capiunt: dicunt, quid probandum ſit. Imperator, qui domi clauſus eſt, vera non novit: cogitur hoc tantum ſcire, quod illi loquuntur: facit judices, quos fieri non*

opor-

Digitized by Google

oportet, amovet a republica, quos debebat obtinere. Itaque tanta rerum difficultate, multitudine negociorum tanta, tot fluctibus moleſtiarum, tam periculoſa adminiſtratione implicari ſe, quis ſanæ mentis velit propter gloriæ inanitatem, aut voluptatem & libidinem dominandi? cum poſſit in privata vita honeſto otio frui, & pacate ætatem agere.

XVI. Una tantum eſſe poteſt cauſa, quæ probetur ſapientibus, capeſſendæ reipublicæ, hoc eſt, ut liceat prodeſſe quamplurimis, & populos meliores facere, ac beatas, quoad fieri poteſt, civitates; cum alii deſunt, qui bene conſulere reipublicæ aut poſſint, aut velint. Ex quo etiam princeps maximam ſibi, ſolidamque gloriam pariet: neque enim magna laus eſt imperii fines propagare cum pernicie & cæde populorum, ac ſæpe inique; ſed rempublicam acceptam tueri, & a vitiis repurgatam, ad virtutem honeſtatemque traducere. *Æmulare*, ait Iſocrates (*Orat. ad Nicoclem*) *non eos, qui latiſſime imperium propagarunt, ſed qui id, quod habent, rectiſſime adminiſtrarunt*. Itaque oportet, principem meminiſſe, parentem eſſe ſe eorum, quibus præeſt, qualem fuiſſe Cyrum ex Xenophonte accepimus: ſic enim ait Chryſantas [*apud Xenophontem de Pædia Cyri lib.8. init.*] *Ego, o viri, ſæpenumero etiam alias cogitavi, bonum principem nihil differre a bono patre. Nam & parentes filiis provident, ut bona his nunquam ſint defutura. Et Cyrus videtur mihi nunc ea nobis conſulere, a quibus maxime in felicitate poſſimus ad ultimum uſque finem perſeverare*. Hæc ſi princeps tenet, nihil attinet, tui eum muneris admoneri: refert enim omnia ad ſalutem, incolumitatemque reipublicæ, atque, ut pater ſolet, nihil prætermittet induſtriæ, omnemque curam & laborem ſuſcipiet, ut filiis bene ſit. Eos ſeu majores natu, ſeu minores, tum politiores, tum rudiores libenter audiet, juvabit, ſolabitur & dictis, & factis. Quædam tamen alia leviter ac ſtrictim attingam, quæ ad bonum principem, & patriæ parentem pertinent, quo nomine nullum ei eſſe illuſtrius & glorioſius poteſt: iccirco Auguſtus *Domini appellationem ut maledictum & opprobrium ſemper exhorruit . . . . Dominumque ſe poſthac appellari ne a liberis quidem, aut nepotibus ſuis nec ſerio, nec joco paſſus eſt* (*Sueton. in Auguſto cap.53.*)

XVII. Quoniam vero ei, qui præeſt, propoſita eſt, ut dixi, felicitas & ſalus populorum; hæc autem non conſtat ſine virtutibus; nam, cupiditate & vitio dominante, nullus eſt ſaluti & tranquillitati locus: iccirco princeps ſummopere curare debet, ut in republica vigeat ſancta quædam, & conſtans diſciplina, morumque probitas & innocentia, & præſertim ut chriſtiana religio ſarta tecta ab omni detrimento & periculo conſervetur; quippequæ morum & virtutum omnium magiſtra eſt, & firmamentum, roburque reipublicæ: nam & juſtitiam docet, & fidem, & beneficentiam, & concordiam, & charitatem, & alia omnia, quæ aptiſſima ſunt continendæ humanæ ſocietati, & hominum tum contra alios homines, tum contra principem refrenandæ temeritati. Si in civium animis inſita religio eſt, intercluditur cuique flagitio via; at, religione ſublata, patet: nam improbi peccant ſaltem clam & occulte, cum in metu ſunt, ne ab hominibus puniantur.

XVIII. Quapropter multum proſunt reipublicæ, & ipſi principi, qui alios literis & pietate inſtituunt: nihil enim a viro bono timendum eſt. Quo ſanctiores ſunt, qui ſacris præſunt, qui magiſtri ſunt diſciplinæ, educatores in primis optimi, altoreſque puerorum, eo utiliores ſunt hominum ſocietati; & majori laude & præmio digni. Iccirco principis eſt in id incumbere, ut ſacri miniſtri ejuſmodi ſint cum doctrina, tum moribus, quales doctores hominum oportet eſſe, & cuſtodes ac vindices diſciplinæ. Ad eam rem prodeſt item vehementer ſeminaria & collegia conſtituere, aut conſtituta ſummo ſtudio tueri ac juvare patrocinio, inviſere etiam, & laude ac præmio ſedulos atque impigros adoleſcentes incendere ad literas & pietatem; inertes vero a deſidioſo ac turpi otio removere: id enim tenendum eſt, quod ſupra dixi, alienam non eſſe a principis gradu affabilitatem; immo cum eo mirifice conſentire.

XIX. Deinde principis eſt videre, ne populi inopia premantur, & annonæ caritate, ne commeatus deſint, nec eorum copia, quæ ſint ad vitam, cultumque corporis neceſſaria. Pauperum in primis ratio habenda eſt, & vel nova conſtituenda ſunt publica hoſpitia ad eorum commoditatem, vel quæ conſtituta ſunt, ea ut bene adminiſtrentur, curandum.

dum. Eſt autem opportunum conſilium in frugum ubertate tantam earum vim congregare, quanta ſatis ſit ad populi indigentiam ſublevandam, ſi forte exiſtant ſterilitates. Nec vero tunc pretium augendum eſt, ſed dumtaxat id exigendum, quod in emendis, ſervandiſque frugibus impenſum eſt: neque enim principem decet quæſtum ex mercatura quærere, præſertim in tanta civium neceſſitate.

XX. Eſt autem intelligendum, tunc fere perpetuam fore rerum copiam in civitate, ſi artes in ea excolantur, floreatque commercium & mercatura. Quo fit, ut alantur plurimi, atque huc ex externis regionibus multum advehatur pecuniæ, quæ funditur quaſi ſanguis & ſuccus in membra reipublicæ: quoniam in eo ſita eſt ars omnis, & ratio abundantiæ retinendæ, ut quam minima pecuniarum vis aſportetur e civitate, & contra magna in eam importetur, quoad fieri poteſt. Quocirca cordi debet eſſe bono ac ſapienti principi, ut quæ ad victum, ad veſtes, ad ſupellectilem, omnemque cultum pertinent, ea non ab exteris quærenda ſint, ſed domi naſcantur; & ſi neceſſe eſt, advocentur artifices, honeſto eis ſtipendio conſtituto, atque admittantur omnes, qui exercere quæſtuoſam velint, & utilem mercaturam. Quæ in Britannia, quæ in Galliis, quæ in Germania, aliiſque in locis pulchre elaborari, atque effici poſſunt, cur hæc fere eodem artificio perfici in ea civitate non poſſint, in qua vivimus? cur exteri noſtra pecunia locupletentur, cum potius, ſi excitetur induſtria, difficile non ſit, nos ipſos locupletari aliena? At multi ſunt, qui, neſcio qua opinionis perverſitate, faſtidiunt propria, peregrinis delectantur, quæ ſæpe non quicquam habent, quo domeſticis antecellant, præter peregrinitatem. Huc accedit, quod ſi qua nova rerum forma cernatur, ſi qua veſtis, ſi qua ſupellex, eam arripiant, & imitari velint, ut ſimiæ ſolent, nec ab alia gente legem accipere, turpe & indecorum putent. Ad hæc incommoda propulſanda multis in locis ſapienter leges ſumptuariæ conſtitutæ ſunt; ſed niſi principis auctoritate ſuſtinentur, brevi evaneſcunt & abrogantur, aut certe violantur ab iis, qui gratia & potentia valent.

XXI. Cum vero etiam ex agrorum ubertate magna quædam exiſtat utilitas, curandum principi eſt, ut populi dili-

gen-

gentem operam dent agriculturæ, de qua re dixi (*lib.* 3 *part.* 2. *cap.* 5.) & ne id, quod hinc lucrantur, inde effluat, a principe ratio habenda eſt parſimoniæ (*de parſimonia dictum eſt lib.* 3. *part.* 5. *cap.* 9.) & vetandum, ne ſupra modum in ludis, in conviviis, in funeribus, aliiſque hujus generis profundatur.

XXII. Princeps autem ipſe a populis ne plus exigat, quam neceſſarium omnino ſit cum ad dignitatem ſuam, tum ad bene adminiſtrandam rempublicam, eorumque ſecuritatem & quietem, quibus præeſt: quamquam enim pendenda ſint vectigalia, & jure hæc principi debeantur; tamen ea nec iniqua oportet eſſe, nec gravia, at ſingulis congruentia pro virium & facultatum modo; & ſi qua pro publica neceſſitate impoſita ſunt, non ad tempus durent magis diuturnum, quam neceſſitatis ratio poſtulat: ſæpe enim fieri ſolet, vectigal, quod ſemel impoſitum ſit, eſſe ſempiternum; quod juſtitiæ contrarium eſt. Quamobrem ſi princeps prodigus ſit, non ſua profundet, ſed aliena; atque eodem modo ſi bellum gerat temere & ſine cauſa, aut cupiditate aliqua impulſus, aut libidine amplificandi principatus: ex quo præterea alia graviſſima incommoda conſequuntur (*de bello dixi ſupra lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 8.)

XXIII. Non mediocris etiam eſſe debet cura principis de moneta: niſi enim pretium, quod ei conſtitutum eſt, cum eo fere convenit, quod ipſa habet in ſe, id & principi, & populo pernicioſum eſt. Principi quidem; quippequi in exigendis vectigalibus tanto minus accipit, quanto plus pretii monetæ extrinſecus adjectum eſt: populo item, qui damnum ſentit grave cum exteris contrahendo, a quibus minoris æſtimatur data pecunia. Sed res hæc multis difficultatibus implicatur, quas expendere non eſt hujus loci (*de Monetis vid. Carolus Antonius Broggia in libro edito Neapoli an.* 1743.)

XXIV. Compertum ſimiliter eſt ad principis officium pertinere leges condere ſalutares, & utiles reipublicæ (*de legibus fuſe dixi lib.* 2. *a cap.* 20.) præſertim vero in id incumbere, omneſque induſtriæ ac potentiæ nervos intendere, ut illæ ab omnibus obſerventur, quæcumque eorum ſit aut nobilitas, aut dignitas, aut potentia, aut gratia: ſi

e-

Digitized by Google

enim his leges perrumpere & aſpernari licet impune, ſequitur magna quædam in republica perturbatio, & atrox tenuiorum querimonia, qui vident acriter puniri ſe; at jura omnino conticeſcere, ſi potentiores peccarint quamquam & ſæpe, & gravius. Certe non pauci ſunt, qui cum ſe obligarint multo ære alieno, quod debent, id diſſolvunt nemini. Sentiunt hoc mercatores, artifices, operarii, familiæ, & integræ aliquando communitates. Debitores autem ejus generis non modo in jus vocare, ſed etiam ſuppliciter ac demiſſe rogare, ut debitam pecuniam ſolvant, inurbanum eſt, immo injurioſum, & contumeliis ac fuſte dignum. Hanc certe inſolentiam compeſcere, & pauperum indigentiæ & calamitati ſubvenire principis eſt, eique maxime glorioſum. Ipſe autem ſe obligatum legibus profiteatur, & alios ſtudeat anteire exemplo: *digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe principem profiteri* (*Leg.*4. *C. de Legibus*) Cæterum pœna, quæ lege ſancita eſt, non debet eſſe gravior, quam culpa; ſecus iniqua eſt. Quando autem clementiæ ſit locus, quando ſecus, cum & ſæpius, quam oporteat, clementia uti principem, & nunquam, utrumque in vitio ſit, ſupra vidimus (*lib.*3. *part.*3. *cap.*24.) Similiter non ſunt cuipiam temere irroganda privilegia, nec cum alieno incommodo, ſed tantum ad communem utilitatem, hoc eſt, ob merita in rempublicam, ut & alii excitentur ad præclara facta, atque ad benemerendum de civibus: nam princeps non eſt conſtitutus, ut ſpectet unius utilitatem, ſed omnium.

XXV. Quoniam vero princeps non poteſt ipſe per ſe tantam imperii molem ſuſtinere, nec ſemper in tanta rerum varietate ac difficultate perſpicere, quid ſit optimum, in partem curarum advocet neceſſe eſt conſiliarios & adminiſtros, in quorum delectu omnis induſtria & diligentia adhibenda eſt, atque intelligendum, ea tribui rectori populorum, quæ ab adminiſtris geruntur. De his equidem dixi alio in loco (*lib.*3. *part.*2. *cap.*6.) Nec fere ad unum multa ſunt munera deferenda, ne ſingula, ut fieri ſolet, negligantur. Si quos autem princeps nactus eſt fideles & probos, ſtudioſos ac diligentes officii, eos charos habeat, & amicorum loco, & cuique ex adminiſtris & conſiliariis honeſtiſſimam mercedem

dem conſtituat, & honores deferat, ne quid ſit aliunde quærendum. Judices item probatiſſimi ſint & religione, & juſtitia, & fide, & doctrina; ſecus & hominum fama, & vita, & fortunæ periclitantur. Ne vero clientes rem familiarem exhauriant, & conſumant in litibus, conſentaneum eſſet cauſis fines quoſdam ſtatuere breviores, quoad fieri poteſt: nam propter temporis diuturnitatem, ac magnos ſumptus ſæpe uſuvenit, ut vel is, cui cauſa adjudicatur, plus impenderit, quam acquirat, cum quæſtio definita eſt. Nec parum intereſt reipublicæ, eos & probos, & peritos eſſe artis ſuæ, qui publica auctoritate conſtituti acta, & teſtamenta, & res contractas ſcribunt: eorum enim vel malitia, vel ignorantia ſemen eſt litium plurimarum, & cauſa interdum cur familiæ quædam funditus evertantur.

XXVI. Verum cum adminiſtri delecti ſunt rerum agendarum, principis eſt inveſtigare, an recte provinciam obeant ſibi datam; atque in eos, qui in ſuo munere negligentes ſint, animadvertere. Et quoniam oppida tuor, & civitates, quæ ab oculis, conſpectuque principis longe abſunt, utile erit, & fortaſſe neceſſarium identidem illuc cenſores mittere cum poteſtate viros probatæ fidei, quaſi magiſtros diſciplinæ & ſeveritatis, qui exquirant attentius, quid geratur, an ex præſcriptione juſtitiæ & charitatis adminiſtrentur omnia. Certe hoc freno improbitas continetur, ne excurrat foras, & damnum pariat aut privatis, aut communitati. Princeps ipſe per ſe multa cognoſcet, ut dixi, ſi ejus ſit ſingularis facilitas in audiendo, ſi omnes excipiat, eoſque libere loqui patiatur. Quæ ad facilitatem pertinent, ſupra explicavi (*lib.3 part.3. cap.27.*) Nihil dico hoc loco de militia, de armis, de reliquo belli apparatu, quo propulſari poſſint injuriæ, & conatus hoſtium, atque impetus diſſipari.

XXVII. Illud certe ſilentio prætereundum non eſt, quod jam me dixiſſe memini (*lib.3 part.2 cap.6.*) imperium potiſſimum firmari benevolentia populorum; cultu item, & religione in Deum, cujus conſilio & providentia regna ſtant, aut ad interitum ruunt. Quamobrem principis eſt prudentis ac boni a Deo ſemper flagitare ſapientiam, ac cæleſte præſidium ad bene regendum, gubernandamque rempublicam; tum vero induſtriam ſuam omnem, laborem, vigilantiam

tiam

Digitized by Google

tiam in eam rem conferre; ſecumque ipſe reputet, ut rectori populorum graviſſima pœna conſtitura eſt deſidioſo ac malo, ita bono & vigilanti mercedem olim ampliſſimam a Deo eſſe tribuendam; apud homines vero ſe maximam gloriam conſecuturum, ſi bene præſit; & contra etſi puniri non poſſit, vituperari tamen poſſe, odio haberi & contemni; quod honeſto viro eſt magni ſupplicii loco.

XXVIII. Priuſquam finem facio, illud quoque dicere opportunum eſt, firmari rempublicam utriuſque poteſtatis conſenſione, civilis & ſacræ: hac enim ſublata, communis tranquillitas perturbatur, labefactaturque quodammodo optimus ſtatus civitatis; quemadmodum & diſſidiis, ſi qua inter cives oriantur; hæc ergo ne fiant, diligenter providendum eſt; iccircoque, quæ eorum ſæpe cauſa ſunt, mutuæ injuriæ tollantur.

XXIX. Sed his de rebus, quæ latiſſime patent, volumina ſcripta ſunt a ſapientibus, quæ rector populorum legat. Is tamen a pueritia inſtituendus eſſet in difficillima arte imperandi, gerendique principatus: tunc enim & mens liberior eſt ad intelligendum, & eorum retinens, quæ percepit (*vid. Ariſtoteles in libris Politicorum, Plato in libris de Rep. Iſocrates Orat. ad Nicoclem, Xenophontis Cyropædia, Patritius de Regno, & de Inſtit. Reip., Petrus Gregorius de Rep. Paruta in libro, cui titulus*: Perfezione della vita politica, *Ludovicus Antonius Muratorius in libro, qui inſcribitur*: Pubblica Felicità oggetto de' buoni Principi; *aliique multi, præſertim vero præclarum opuſculum S. Thomæ, quod 7. libris continetur, de eruditione principum*)

XXX. Quemadmodum vero plures ſunt imperii formæ; hoc eſt, ſumma rerum vel penes unum eſt, vel penes optimates, vel penes populum; ita varia eſt gubernandi ratio, quæ & pro ingenio populi, & rerum natura, & temporum conditione laudabiliter mutari interdum poteſt. Nunc de populorum officio adverſus rectorem civitatis pauca dicam.

XXXI. Quemadmodum vero præſidis & gubernator is eſt recte imperare; ita ejus recte obedire, qui ſubeſt. Fere autem populi ſapienter ac bene imperanti ſe prebent promptos, atque alacres ad parendum, ut ſupra dixi; atque hæ res duæ ſunt, quibus tranquillitatem, quietem, firmitatem-

Digitized by Google

que retinent reſpublicæ & civitates. Porro qui ſubeſt, is obedit, ut oportet, ſi ea facit omnia, quæ præcepta ſunt, ſi libenter, ſi judicat, id eſſe optimum, quod rector juſſerit ſeu ipſe per ſe, ſeu lege lata. Huc ea ſpectant, quæ de obedientia ſupra dixi (*lib.3. part.3. cap.12.*).

XXXII. Cum vero exiſtimandum ſit, quoddam quaſi divinum ac ſanctum ineſſe in moderatore reſpublicæ, quippe qui Dei perſonam gerit in terris, ac in populis dominatur poteſtate accepta divinitus, conſequens eſt, ei cultum tribuendum eſſe cum charitate, benevolentiaque conjunctum: quod non modo obſervantis eſt animi, ſed etiam grati: ſunt enim & multa, & magna beneficia, quæ in nos confert conſervator, rectorque civitatis; cum ſuum cuique ſervet, & a vi, injuriiſque defendat; afferat pacis & ocii tranquillitatem, conſuatque corporis incolumitati, cum rerum affluentia & copia non modo ad vitæ uſum, ſed etiam ad oblectationem, ad delicias, ad voluptatem: quare & labores, & moleſtias, & curas propter tantam, & tam gravem rerum procurationem ſuſtinear, neceſſe eſt. Hæc quidem ejuſmodi ſunt, ut populum adducere debeant cum ad obediendum imperatori, tum etiam ad eum & colendum, & diligendum; ita certe, ut cives nihil habeant in terris ſecundum Deum magis charum & venerandum, quam rectoris ſui auctoritatem ac vitam; atque, ut pro capitis ſalute membra periclitari conſentaneum eſt, ita nullum debet eſſe periculum, cui illi non libenter offerant ſeſe, ut ſalvus & incolumis ſit, qui præeſt: ſibi enim perſuadeant oportet, violato & læſo capite, membra ſalva eſſe nullo modo poſſe. Quam ob cauſam preces etiam ſunt Deo adhibendæ pro rege ac magiſtratu: nam bonus & ſapiens præſes civitatis munus Dei eſt eximium & ſingulare. At cuique rempublicam gubernanti etſi iniquo ac flagitioſo parendum eſt; ſi modo is jubeat honeſta: neque enim jure imperandi caret propter morum improbitatem, qua ſæpe Deus utitur quaſi inſtrumento ad gravia populorum ſcelera punienda.

XXXIII. Cæterum qui potentia valent, opum divitiarumque copia, gratia, nobilitate, ii debent præ reliquis & parere, & cultum adhibere ſuperioribus poteſtate ad exemplum, quod tenuiores imitentur: qua in re multi peccant, præ-

præſertim in libera civitate, in qua cum nobiles viri imperantis perſonam gerant identidem, eam volunt ſemper retinere, & tunc etiam cum nullo funguntur munere magiſtratus, & tamquam privati ſubjecti eſſe debent alienæ poteſtati; nec ſatis animadvertunt, quid honeſtum ſit, quid decorum, quid utile reipublicæ. Eamdem ob cauſam iraſcuntur, & ſibi injuriam eſſe factam putant, ſi dicto ſuo vel eos obedientes non habent, qui cæteroquin nulla obtemperandi lege teneantur: quod quidem non modo ſuperbi eſt, ſed ſtulti & rerum ignari: omnes enim homines liberi ſunt natura, nec pauper locupleti, nec plebejus nobili, nec ruſticus civi ſubeſt ex ſeſe, ut alio in loco vidimus (*lib. 5. part.3. cap.2., & alibi.*) Quamobrem philoſophi ac ſapientes viri libentiſſime quidem ſe eorum voluntati ſubmittunt, qui præſunt; ſed contra ii, in quos jus nullum habent, eos non adigunt ad parendum. Hæc ſatis: nam huc multa ſpectant eorum, quæ dixi de officio liberorum in parentes (*lib. 5. part.3. cap.6.*) quandoquidem & qui præeſt reipublicæ, idem debet eſſe parentis loco (*vid. & de obſervantia lib.3. part.3. cap.11., & de fide lib.3. part.3. cap.14.*)

Finis Tomi III.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

QUÆ IN HOC TOMO III. CONTINENTUR.

LIBER IV.

DE *Affectionibus Animorum*. Pag.1.

PARS I.

DE *animi Affectionibus generatim*. Pag.3.

CAPUT I.
Quid ſit animi Affectio. pag.3.

CAPUT II.
Quot ſint animi Affectiones. pag.5.

CAPUT III.
Sint ne bonæ Affectiones, an malæ. pag.9.

CAPUT IV.
De recto Affectionum uſu. pag.17.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.
Quæ ſit regendarum Affectionum ratio. pag. 20.

CAPUT VI.
Nullam eſſe Affectionem, quæ regi non poſſit. pag. 29.

CAPUT VII.
Honeſtum eſſe, utile, jucundum Affectiones regere. pag. 32.

CAPUT VIII.
De perverſo Affectionum uſu, & quæ ex eo incommoda conſequantur. pag. 36.

CAPUT IX.
Homines cognoſcendi, regendique gratia, eorum affectiones inveſtigare oportere. pag. 40.

PARS II.

De ſingulis Affectionibus. pag. 44.

CAPUT I.
De Amore. pag. 44.

CAPUT II.
De Odio. pag. 58.

CAPUT III.
De Cupiditate. pag. 64.

CAPUT IV.
De Fuga. pag. 86.

CA.

CAPUT V.
De Spe. pag.88.

CAPUT VI.
De Deſperatione. pag.94.

CAPUT VII.
De Metu. pag.98.

CAPUT VIII.
De Pudore. pag.119.

CAPUT IX.
De Zelotypia. pag.121.

CAPUT X.
De Æmulatione, & Invidentia. pag.124.

CAPUT XI.
De Iracundia. pag.137.

CAPUT XII.
De Admiratione. pag.160.

CAPUT XIII.
De Voluptate, ac Lætitia. pag.164.

CAPUT XIV.
De Moleſtia, ac Triſtitia. pag.176.

LI.

Digitized by Google

LIBER V.

DE *Mutuis Officiis.* Pag.193.

PARS I.

DE *Officiis in Deum.* pag.195.

CAPUT I.
Primum Officium in Deum eſt credere Deum eſſe. pag.196.

CAPUT II.
Alterum Officium in Deum eſt credere, omnia ab eo providentiſſime gubernari. pag.204.

CAPUT III.
Tertium Officium in Deum eſt credere, eum eſſe in quovis genere perfectiſſimum. pag.212.

CAPUT IV.
Quartum Officium eſt Deum colere, & venerari. pag.219.

CAPUT V.
Alia in Deum Officia, quæ ex ſuperiore conſequuntur. pag.224.

Digitized by Google

PARS II.

DE hominis Officiis in ſe. pag. 229.

CAPUT I.

Primum Officium hominis in ſe eſt mentem imbuere opinionum veritate. pag. 230.

CAPUT II.

Alterum hominis Officium in ſe eſt mentem ornare artibus & diſciplinis. pag. 236.

CAPUT III.

Tertium Officium in ſe ipſum eſt probis moribus informare, & perficere Voluntatem. pag. 245.

CAPUT IV.

Quartum Officium in ſe eſt curatio corporis. pag. 248.

CAPUT V.

Quintum Officium in ſe eſt ea parare, quæ corpori ſunt neceſſaria, atque illud tueri contra injurias, quæ inferuntur extrinſecus. pag. 253.

PARS III.

DE hominis Officiis in alios homines. pag. 257.

CAPUT I.

De Officio communi, quod præſcribit, ne cui quis noceat. pag. 257.

CAPUT II.
Alterum hominis Officium commune eſt æqualitatem conſervare, & præferre ſe nemini. pag. 262.

CAPUT III.
Mutua omnium in omnes humanitatis Officia. pag. 266.

CAPUT IV.
De Officiis eorum, qui paciſcuntur & contrahunt. pag. 269.

CAPUT V.
De Officio Viri in Uxorem, & viciſſim. pag. 272.

CAPUT VI.
De Officio Parentum in Liberos, & viciſſim. pag. 289.

CAPUT VII.
De Officio Dominorum in Famulos, & viciſſim. pag. 330.

CAPUT VIII.
Fratrum in Fratres Officia. pag. 347.

CAPUT IX.
De Officio Præceptoris in Diſcipulos, & viciſſim. pag. 359.

CAPUT X. & ULTIMUM.
De Officio Principis in Populos, ac viciſſim. pag 378.

Digitized by Google

INDEX.

Litera *a* denotat primum tomum, *b* alterum, *c* tertium; numerus Arabus paginam, Romanus marginalem.

A

Abrogatio legis quid ſit, *a*. 195. I. penes quos ejus poteſtas, II. & *ſeq*.
Abſtinentia in quo apud Latinos poſita, *b* 575. I.
Abſtinentia, dum ad cibum refertur, quid ſit, *b*. 575. I. qui modus in ea ſervandus, 576. II. ad 580. X. quæ vitia ei contraria, 581. XII. ad 591. XXIX.
Abſtinentia Epaminondæ in menſa quæ fuerit *b*. 577. IV. quæ Gordiani junioris V. quæ Octavii Auguſti, *ib*. quæ Perſarum *ib*. quæ Senecæ, 576. II.
Achaeus quam benevolus in Deum fratrem. *c*. 353. XI.
Actio humana quæ ſit, *a*. 86. I. quotuplex, II. vel honeſta eſt, vel turpis, 148. II. 149. III. an honeſta ſit efficiens virtutis, *b*. 26. XIV. an turpis vitium procreet, 83. I. num præter turpitudinem, honeſtatemve quidpiam tertium habeat, 150. III. an pars ejus honeſta, pars turpis, ſi ad diverſa tempora referatur, 142. I. quid ſi ad unum idemque tempus, 143. II. 144. III.
Actio hominis interior in quo verſetur, *a*. 86. II. an voluntaria ſit, 90. III. an pendeat a corpore, 128. IV. ad 130. VII. an vetari poſſit, ſeu juberi lege ſacra, 229. I. ad 230. III.
Actio extrinſeca hominis a quo perficiatur, *a*. 86, II. quotuplex 87. III. an voluntaria, *ib* & 90. III. an per hanc augeatur honeſtas & turpitudo interiori actioni, 145. I. ad 147. VII. ex ea quid lateat intrinſecus an conjici poſſit, 130. VIII.
Adam qua perfectione a Deo conditus, *a*. 152. II. quo pacto animum ſuum contaminavit, *ib*. quæ ad ejus labem purgandam medicina, III. quæ mala ex hac nata, 218. II. *b*. 81. I.
Adiuncta in humanis actionibus quæ dicantur, *a*. 139. II. eorum effectus quis, III. & *ſeq*. ad 142. IX.

Admiratio quid ſit, *c.* 160. I. ejus vis & effectus an cernantur in corpore, *ib.* an honeſta vel turpis poſſit eſſe, *ib.* in quos cadat, 161. II. quid valeat, 162. III. & *ſeq.* ſi nimia eſt, tunc vitioſa, IV. ex hac quæ damna oriantur, *ib.* & 163. V. & *ſeq.*
Admonitor quas cautiones adhibeat neceſſe eſt, *b.* 303. XXXIX. ad 307. L.
Adoleſcens cur ſeniorum dicta & facta vituperet, *b.* 252. XVII. & *ſeq.* an ejus contumacia exitialis, 255. XXII. & *ſeq.* qua ratione opus illi ſit ad ſibi imperandum, *a.* 132. VI.
Adulator quomodo ab amico dignoſcatur, *b.* 321. LXXXV. ejus inſidiæ quam difficillime vitentur, 322. LXXXVII. quibus artibus utatur, 323. LXXXVIII. ad quos præſertim ſe adjungat, 324. XC.
Adulatio *vide* aſſentatio.
Ædiles unde dicti, *a.* 233. VIII. qua de cauſa nuncupati Curules *ib.* eorum officium *ib.*
Ægyptii quem potum adhiberent, *b.* 592. III.
Aelianum jus; auctor ejus quis, *a.* 237. X.
Æmulatio quid ſit, *c.* 124. I. inter quos domicilium fere teneat, *ib.* an ea in virtutum imitatione honeſta & laudabilis, 126. II. & *ſeq.*
Æqualitas an ſervanda ſit inter homines. *c.* 263. V. quid ea præſcribat. VI. contra eam qui peccent, 264. VII. & *ſeq.*
Æquanimitas quomodo definita, *b.* 174. XVI.
Æquitas quid ſit, *b.* 174. XV.
Æromantia per ſigni quæ dicatur, *b.* 224. XXIII.
Affabilitas in quo contineatur; *b.* 401. I. ejus finis, *ib.* quæ officia habeat, II. & *ſeq.* quorum propria, 402. VI. 403. VII. qui modus ſervandus, 404. VIII. qui ſint ejus effectus, IX. quæ vitia contraria, 405. X. & *ſeq.*
Affectio animi quid ſit. *c.* 3. I. an ea motu corporis concitetur, 4. II. an varia ſit, III. an ea, ut virtutum materia eſt ita & vitiorum, 1. I. de affectionum numero quæ diſſenſio inter philoſophos, 5. I. ad 8. VIII. num bonæ vel malæ ſint, 9. I. ad 16. XI. ex quo pendeat earum rectus uſus, 17. III. & *ſeq.* iis quomodo mens delectetur 19. V. quid in earum cognitione adhibendum, 20. I. ad 22. VI. ad eas moderandas, continendaſve quid conferat, VII. & *ſeq.* ad 28. XVIII. an arduum ſit eas regere, 29. I. ad 31. VI. an honeſtum eas comprimere, 32. I. & *ſeq.* an utile, 34. IV. & *ſeq.* an jucundum, 35. VIII. & *ſeq.* earum uſus perverſus in quo poſitus, 36. I. quæ ex hoc uſu damna & incommoda proficiſcantur, II. ad 38. V. ad eas inveſtigandas, cognoſcendas regendaſque quid valeat. 40. I. ad 43. VIII.
Affectio virtutis quæ ſit, *b.* 7. I.
Ageſilaus qua ſolertia uſus fuit, Lacedæmoniorum periclitante repub. *b.* 171. VIII.

Agra-

Agraus Sophidius quis, *a.* 66. II. ab apolline beatior Gyge Rege Lydiæ judicatus, *ib.*

